C. Vi. 134

C
VII 88

Digitized by Google

Digitized by Google

DE FESTO CORDIS JESU
DISSERTATIO
COMMONITORIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAMILLI BLASII AUXIMATIS

J. U. D.,

ET IN ROMANA CURIA ADVOCATI

DE FESTO CORDIS JESU

DISSERTATIO

COMMONITORIA

CUM NOTIS, ET MONUMENTIS SELECTIS.



ROMÆ MDCCLXXI.

APUD BENEDICTUM FRANZESI

PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

BEATISSIMO

THOMÆ AQUINATI

ANGELO SCHOLARUM,

ET ECCLESIÆ DOCTORI

CAMILLUS BLASIUS

DEVOTUS DOCTRINÆ SANCTITATIQUE EJUS.

SÆPE mecum quærere, & admirari vehementer ſoleo, SANCTISSIME DOCTOR, quî fieri poſſit, ut, quum in ſumma ac formidanda litteratiſſimi hujus ævi luce nemo uſquam ſatis cautus & prudens animum ad ſcribendum de rebus in religione graviſſimis appellere, publicique judicii aleam ſubire velit, niſi prius ingenti quodam ac ſplendidiſſimo ſacræ

omnis

Digitized by Google

omnis profanaque eruditionis apparatu ſe abunde locupletatum, inſtructumque ſentiat, ego tamen unus, etſi probe ſciam quam curta ac vilis doctrinarum, litterarumque ſupellex in me ſit, audeam jam tertium in medium prodire, novamque ſpartam ornandam ſumere plane arduam, & invidiæ ac periculi plenam. Egi enim primum de Deipara Virgine ſine labe concepta ſecundum Angelicam mentem tuam: deinde ab offuſis tenebris vindicavi objectum cultus in Feſto *recens invecto* Cordis Jeſu. *Nunc vero iterum in eodem verſor argumento, ne qui reſpicit ſpirituale Chriſti Cor, vertatur jam, quod a multis tamen factitari ſcimus, in cultum cordis carnalis. Sed ubi cogitationes meas, divine Mecænas, in te converto, tecumque reconditas mei pectoris curas religioſe communico, ſentio ſtatim eas omnes ſollicitudinum, & admirationum cauſſas, quibus antea tantopere agitabar, ex animo penitus evaneſcere. Video enim, planeque perſpicio in his, quæ mihi deſunt, ex cæleſtis ſapientiæ tuæ promptuariis præſentiſſima ſe mihi auxilia, atque ſuppetias cumulatiſſime ferre. Hinc mea omnia, niſi vehementer fallor, non aliud ſpirant, ac ſapiunt, quam Doctrinam, vocem, mentemque tuam, quod & lubens fateor, & acceptum tibi integra caſtaque mente refero.*

Et quidem ſi quid ego profeci in hoc ſtudiorum genere, id tibi totum uni debeo. Nam aſſidua plurium annorum lectione in deliciis mihi fuit meum facere ſuccum, ut ita loquar, & ſanguinem ſacræ omnis Doctrinæ tuæ, quem abunde deguſtare & haurire potui cum ex cæteris operibus tuis, tum ex illa maxime admira-

mirabili Summa *de qua merito dici poſſit :* Mille clypei pendent ex ea , omnis armatura fortium . *Æquum proinde erat , ut quoniam Magiſtro Tuo Maximo & incomparabili* AUGUSTINO *partem aliquam immenſæ debitionis meæ jam ante perſolveram , eique tamquam Auſpici & Patrono Principi* Obſervationes *meas Italicas in* Feſtum Cordis Jeſu *conſecraveram ; Tibi quoque , AQUINAS BEATISSIME , ſecundas haſce lucubrationes , quas ego , Te tantum duce & adjutore , ad illud idem argumentum illuſtrandum conficere potui , pari pietatis ardore nunc denique dedicarem . Patere , igitur , ANGELICE PRAECEPTOR , ut quod mente gero , & erumpere geſtit grati animi obſequium , ſolemni etiam teſtificatione patefaciam , tuoque nomini inſcribam , ac tibi reddam , quod reipſa tuum eſt ; nec eo tantum tuum , quod Alumnus tuus ſim , ſed quod , ut cæteri faciunt , e tuo penu depromam , quod Cauſæ ſerviat , & Eccleſiæ temporibus . Norunt enim omnes , & Romani teſtantur Pontifices , proprium eſſe ac præcipuum Doctrinæ tuæ , ut præter antiquos , novos etiam & ſuccreſcentes præfocet enecetque errores . Id mihi videre videor in eo , quod aggredior , augmento ad religionis cultum ſpectante , & errorem detegente , qui Feſtum invadit Cordis Jeſu . Tam enim præſto mihi es , ut quæ mutuor abs te , non interpretatione ad rem meam derivata , ſed in præſentem opem ſuppeditata eſſe videantur . Communi itaque Eccleſiæ bono , quod tibi maxime cordi fuit , quodque unum ego quoque in animo habui , dum hanc provinciam ſuſcepi , fac , oro te , validiſſimo Patrocinio tuo , ut meum hoc opus*

qua-

qualecumque ſit, eum denique fructum ferat, quem boni omnes in Eccleſia Chriſti ardentiſſime cupiunt. Sic enim futurum ſpero, ut univerſi Fideles intelligant, non marte cuique ſuo, neque ſecundum inventa hominum, privatique ſenſus licentiam, quam ſibi plerique arrogant, ſed ſecundum Doctrinam ſanam, & rectam Eccleſiæ mentem, in ſpiritu, & veritate ſanctificari oportere eum diem, qui SERVATORI *amantiſſimo conſecratus eſt ſub titulo* CORDIS JESU.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.
D. Jordani Patr. Antioch. Viceſg.

APPROBATIONES.

Mirum eſt, quantum ego metuam, atque reverear ardens illud & incitatiſſimum effatum Apoſtoli 1. ad Corinth. 1. *Μεμέρισται ὁ Χριστός; ὁ δὲ λέγει, (Παῦλος) τοιοῦτόν ἐστι· κατετέμετε τὸν Χριστὸν, καὶ διείλετε αὐτοῦ τὸ σῶμα. ὁρᾷς θυμὸν, ὁρᾷς ἐπίπληξιν, ὁρᾷς λόγον γέμοντα ἀγανακτήσεως; ὅταν γὰρ μὴ κατασκευάζῃ, ἀλλ' ἐρωτᾷ μόνον, ὡς ὁμολογουμένου τοῦ ἀτόπου τοῦτο ποιεῖ*. Sic nempe interprete Chryſoſtomo invehitur Paulus in eos, qui, quantum in ipſis erat, *κατετμήκεσαι τὸν Χριστὸν, καὶ διῃρήκεσαι αὐτοῦ τὸ σῶμα*. Et nunc equidem tantam Apoſtolicæ hujus ſententiæ vim eſſe intelligo, ut nullo modo fieri poſſe ſentiam, quo minus ea omnia quam libentiſſime approbem, quæ Vir nobilis, idemque in primis doctiſſimus *Camillus Blaſius de Feſto Cordis Jeſu*, unius pietatis ac religionis cauſſa, juxta ipſiſſimam, eamque apertiſſimam Sac. Rit. Congregationis mentem copioſe admodum ſolideque diſſeruit. Quum enim ex imperio, & auctoritate *Rmi Patris Sac. Apoſtol. Pal. Magiſtri Thomæ Auguſtini Ricchinii*, Dissertationem de argumento iſto ſingulari a *Blaſio* noſtro elaboratam diligenter perpenderim, non ſine ingenti quadam cum animi mei voluptate procul inde eſſe percepi quicquid ejus monſtri ſimile, quod Apoſtolum Paulum tantopere exhorruiſſe noram, videri quomodocumque poſſet. Illud accedit, quòd & in cæteris omnibus Diſſertationis ſuæ partibus nihil habet Scriptor noſter, quod cum Catholicæ Fidei decretis, cumque Chriſtianæ pietatis inſtitutionibus non omnino conſonum deprehenderim. Quamobrem, ut paucis dicam quod ego de hoc Opere ſentio, & Religionis puritati conſervandæ utiliſſimum fore confido, & dignum illud eſſe cenſeo, quod publicæ luci tradatur.

Ex Ædibus S. Auguſtini die 19. Maii 1771.

Fr. Auguſtinus Antonius Georgi publicus in Rom. Sap. Archigymnaſio Scripturæ Sanctæ Profeſſor: Angelicæ Bibliothecæ Præfectus, & Sac. Rit. Congr. Conſultor.

Li-

Librum, cui titulus: *Camilli Blaſii Auximatis, J. V. D., & in Romana Curia Advocati, de Feſto Cordis Jeſu Diſſertatio Commonitoria*, juſſu Rmi P. F. Thomæ Auguſtini Ricchinii Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri attente perlegi, in eoque nihil, quod Fidei, boniſque moribus adverſetur, offendi; imo vero in decernendo Feſti hujus objecto, ac religioſo cultu ad mentem Sac. Congregationis Rituum vindicando, ſolidam ratiocinandi vim Angelici Doctoris auctoritate perpetuo fultam, in Viro doctiſſimo, ut alias in (a) privato meo judicio pluribus oſtendi, ſum demiratus: quare, ut Fideles hoc in Feſto percolendo ad Chriſtianam pietatem informentur, typis dignum cenſeo.

Ad D. Franciſci Trans - Tyberim die 8. Maii 1771.

F. Carolus Chriſtophorus a Caſali Cong. Sacrorum Rituum Conſultor.

Camilli Blaſii Auximatis J. V. D., & in Romana Curia Advocati de Feſto Cordis Jeſu Diſſertatio Commonitoria; titulus eſt Libri, quem juſſu Rmi P. F. Thomæ Auguſtini Ricchinii Sac. Pal. Apoſt. Mag. iteratis labore, & attentione perlegi. Legeram enim, & perpenderam plus uno abhinc anno. Et quemadmodum prima vice nihil, quod Fidei Catholicæ, boniſque moribus adverſaretur, animadverti, id quod in (b) epiſtola ad Auctorem data ex animo teſtatus ſum, ſic altera hac vice lectio ejuſdemmet libri eoſdem in me ſenſus excitavit, ideoque judicium, quod ante tuleram, nunc fero. Scilicet quum in eo nihil offenderim, quod Fidei, aut bonis moribus offenſioni ſit, pluresque immo ex eo credam hauriri poſſe fructus rationabilis obſequii, de quo Apoſtolus ad Rom.: nihil obſtare cenſeo, quin typis mandetur Opus, ac publici juris fiat.

Ex Collegio Clementino de Urbe die 9. Decembris 1770.

D. Joſeph Bettoni C. R. S. Congr. Sacrorum Rit. Conſultor.

Ut Fideles ſub Sanctiſſimi Cordis Symbolo *devotius, ac ferventius recolant Charitatem Chriſti patientis, & pro generis humani Redemptione morientis, atque in ſuæ mortis commemorationem inſtituentis Sacramentum Corporis*, & *Sanguinis ſui, Clemens*

(a) Habes infra inter Monumenta Selecta Monum. V. pag. 307.

(b) Vide ſis inter eadem Monumenta Monum. IV. pag. 305.

Digitized by Google

mens XIII. Pont. Max. ejuſdem Sanctiſſimi Cordis Feſtum celebrari permiſit. Legitur in Officio Sanctiſſimi Cordis Jeſu *Lect.* 3. 2. *Nocturni*.

Sic colendum eſſe, ſi quo modo colendum, Chriſti Cor, perdocte, diſerteque probatum ad mentem Eccleſiæ manet in Opere cui titulus: *Camilli Blaſii Auximatis J. U. D., & in Romana Curia Advocati de Feſto Cordis Jeſu Diſſertatio Commonitoria*, quam ex Commiſſione R̃mi P. Mag. Sac. Pal. Apoſtolici Fr. Thomæ Auguſtini Ricchinii attente legi, nullumque in ea paratum inveni Religioni offendiculum; immo, remota exibendi cultum modo indebito occaſione, veritas cultus ab Eccleſia præſcripti in tuto ponitur. Cultus enim continens falſitatem non pertinet proprie ad Dei invocationem quæ ſalvat, inquit S. Thomas 22. q. 93. art. 1. ad 1. Cum igitur in hoc diligenter elaborato Opere firma ſtet, tutaque ab errore veritas Fidei, veritas cultus, publica luce dignum cenſeo.

Romæ in Collegio Apoſtolico Pœnitentiariorum S. Mariæ Majoris die 1. Decembris 1770.

Fr. Thomas Maria Manganoni Ord. Præd. Pœnitentiarius Apoſtolicus Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſor.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

AUCTORIS AD LECTOREM

PROLUSIO.

I. NON erit, opinor, abs re meæ huic *Diſſertationis Commonitoriæ*, nonnulla præmittere, quæ in anteceſſum cognita plurimum tibi lucis, Amice Lector, adferre poterunt ad ſeriem omnem, naturamque ipſam tractandarum rerum penitius intelligendam.

Principio quidem, ne quis invidiam mihi creet, teque etiam ludificet, ambiguitate argumenti, ſcias velim, eo me tantum conſilio *diatribem* iſtam *de Feſto Cordis Jeſu* ſcribere decreviſſe, ut firmioribus, quam ante, præſidiis ac munimentis ſtatuerem & vindicarem vorum illud, purum, ac genuinum *objectum cultus*, quod ei Feſto præfixit Auguſtiſſimus Romanæ Eccleſiæ Senatus ad ſacros, ut noſti, divinoſque Sanctiſſimæ Religionis noſtræ ritus cognoſcendos moderandoſque ſelectus. Objectum hocce ſolemni Patrum oraculo præfixum, *unicum* eſt *Cor Jeſu ſymbolicum*, *myſticum*, *& ſpirituale*. Sed quoniam plerique ſunt, qui eo oraculo per ſummam injuriam abutuntur, & ſub velamine ſymboli vel in nudum cor materiale vertunt quod unice myſticum & figuratum eſt, vel nova excogitata metamorphoſi *biforme* illud faciunt, carnale ſimul, & ſpirituale, vel carnem ipſam & fibras *cordiformis* muſculi veſte ſymbolica induunt, ac in principium etiam caritatis, quæ propria eſt ſpiritus, ex arte transformant, huc vires omnes meas, quantumvis tenues, & imbecillas, intendi, ut objectum cultus huic Feſto ab Eccleſia præſcriptum nullo modo eſſe *cor Chriſti carneum & materiale* oſtenderem.

Porro cultus cordis carnalis Jeſu non nudius tertius, ſed ſeculo ſuperiore vertente duxit exordium a revelatione, quæ facta perhibetur Parodii Ducatus Burgundiæ in Galliis Ven. So-

rori

rori Margaritæ Alacoque Ordinis Viſitationis S. Franciſci Saleſii. Revelationem hanc auribus ſuis ex ore ejuſdem Sanctimonialis *Alacoquiæ* excepit P Claudius la Colombiere Societatis Jeſu, idemque ipſe ſuo eam calamo ſcripto tradidit his plane verbis conceptam; *Die quodam infra Octavam Corporis Chriſti cum orationi coram Sanctiſſimo Sacramento vacarem, cæleſtibus gratiis a Domino meo ſupra omnem modum repleta ſum. Ego vero cum pro tantis beneficiis aliquid pro tenuitate mea rependere ardenter cuperem, votis meis Dominus annuens: Nihil, inquit, præſtare potes, quod mihi futurum ſit acceptius, quam ſi illud perficias, quod te ſæpius antea monui. Tum Cor ſuum Sacroſanctum detegens. Vides, inquit, Cor meum? Cor illud tanto hominum amore ſuccenſum, ut nihil prætermiſerit, viribus exhauſtis penitus atque conſumptis, quo amorem hunc immenſum certiſſimis ſignis teſtatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxima uſque adeo ſe mihi gratos, amicoſque non exhibent, ut me etiam injuriis, contumeliiſque in hoc amoris myſterio aſſidue laceſſant. Quod & etiam acerbius recidit, quod a perſonis mihi dicatis talia quoque pati cogor. Itaque a te requiro, ut feria ſexta, quæ poſt Octavam Feſti Corporis mei proxima ſequitur, Cordi meo colendo peculiariter ſit dicata, qua die ad Sacram Menſam accedendo, injuriæ Cordi meo in Altaris myſterio inflictæ, eo maxime tempore, quo palam Fidelium venerationi expoſitus ſum, violati honoris reparatione reſarciantur. Et quidem ſpondeo eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipſius Divini Cordis influxu cæleſtium gratiarum copia fore cumulandos.*

II. De inſtitutione igitur hujus Feſti non multo poſt agi cœptum eſt. Sed Sacra Congregatio Rituum die 30. Martii 1697. nec annuendum duxit votis inſtantium, nec eos dimittendos inanes, ac vacuos. Prudenti enim temperamento uſa, mediam inivit viam, & loco Feſti Cordis Jeſu, quod ſeparationem redoleret cordis a corpore, Feſtum ſubſtituit quinque Vulnerum. *Ipſa enim vulnera ex Corpore Chriſti ſeparari haudquaquam poſſunt, ſicut poteſt ſanguis relictus, aut pars aliqua carnis, cum nihil ſint aliud, quam ipſummet corpus certis in locis ex dif-*

jun-

junctione carnis apertum, ſicut optime animadvertit *Guyet de Feſt. propr. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 6. *qu.* 12. Poſt diuturnum tamen ſilentium iteratæ fuerunt antiquæ preces, quarum Promotor P. Joſeph de Galliffet Societatis Jeſu, vetus obſtaculum, quod firmiſſimum norat, amovere primum ſtuduit eo, quem edidit libro Romæ impreſſo anno 1726. *De cultu Sacroſancti Cordis Dei, ac Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Et ut refert ſan. mem. Benedictus XIV. *De Canonizat. lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 31. *num.* 23. *Quod attinet ad inſtitutionem Feſti, maxima vis conſtituta fuit in inſtitutione Feſti Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quæ originem ſuam habuiſſe dicebatur a Revelatione facta in Civitate Leodienſi B. Julianæ Virgini*. Sed res iterum infecta remanſit. Cauſa nanque ad Sacram Congregationem delata in Conſeſſu habito die 12. Julii 1727. reſcriptum fuit. *Non propoſita: qui reſcribendi modus aliquando adhibetur, ut Poſtulatores admoneantur a petitionibus eſſe abſtinendum, quæ cum multas involvant difficultates, viam aperiunt negativo reſponſo*, uti jam contigit, & ſequutus comprobavit eventus. Nam biennio poſt in ulteriori propoſitione tertio loco tentata ſub diem 30. Julii 1729. reſcriptum fuit *negative*, ut notum eſt, & de utroque teſtatur Benedictus XIV. loco citato *num.* 25., præmittitque ſub initium; *Inſtitutionem Feſti Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſuam cauſam deſumpſiſſe non ex Revelatione utcumque habita, nec ex ſola Revelatione, ſed ex Revelatione ab Epiſcopo in Epiſcoporum, & Eccleſiaſticorum Conſeſſu examinata, una cum patratione miraculi, quod ob oculos ipſius Romani Pontificis Deus operari dignatus fuit; Cumque proinde nec juridicum Revelationis Ven. Margaritæ examen, nec ullum miraculum interceſſiſſet, quo inſtitutio novi Feſti in honorem Sacratiſſimi Cordis Chriſti commendaretur, credidi exemplum inſtitutionis Feſti Corporis Chriſti inſtitutioni Feſti in honorem Cordis nequaquam ſuffragari*.

III. His tamen non obſtantibus, poſt annos triginta ſex id eſt anno 1765. ad novam ventum eſt, & quartam Officii, & Miſſæ petitionem pro cultu Cordis Jeſu; & quidem pro cultu dicti Cor-

Cordis non aliter accepti, quam ut pars eſt Corporis Chriſti, ſicut liquet ex Poſtulatorum ſcriptis in propoſitione Cauſæ diſtributis, & præſertim ∫. 32. ubi firmius etiam inhærentes jactatæ Revelationi Ven. Margaritæ Alacoque, quam ad rem ſuam ſtudioſius commentari videntur, hæc habent. *Ex his clariſſime patet Chriſti Jeſu conſilium fuiſſe, ut novum quoddam religionis Officium erga Cor ſuum in Eccleſia inſtitueretur; hoc enim eſt, quod ſe vehementer cupere Famulæ ſuæ affirmavit. Porro de Corde non translatitie ſumpto, ſed in propria, ac nativa ſignificatione accepto, videlicet ut pars eſt Corporis Chriſti nobiliſſima, eum locutum evidens eſt ex ipſa actione, qua Cor ſuum detegens, vides, inquit, Cor meum? De hoc ergo Corde loquitur, quod detegit ac monſtrat. En igitur quæ ſit res, quam Jeſus colendam proponit, nimirum Cor ſuum Sacroſanctum, non tantum ut eſt ſymbolum omnium interiorum affectionum, ſed ut eſt in ſe.* Non omittamus tamen & reliquam proferre Commentarii partem, quam ita Poſtulatores exponunt. *Ratio vero, propter quam Cor illud Sanctiſſimum coli debeat, ſequentibus verbis exprimitur: Vides Cor meum, Cor illud &c. nempe duplicem rationem illud colendi proponit, amorem erga nos ſuum, & afflictionem propter injurias illi a nobis illatas, præſertim in Sacramento Euchariſtiæ. Itaque in hoc religionis Officio vult Jeſus Cor ſuum conſiderari, ut eſt amore hominum ſuccenſum, & ab ipſis tamen hominibus impie ingratis crudeliſſime offenſum, eaque potiſſimum duplici ratione moveri nos ad amantiſſimum Cor redamandum, injuriaſque, quibus in ipſo amoris ſui myſterio impetitur, reparandas, & compenſandas. Qua autem ratione id fieri Jeſus velit, verbis quæ ſequuntur, declarat, quæ præcipuum quidem & non unicum novi exercitii actum comprehendunt.*

IV. Verum Sacra Rituum Congregatio nihilo ſecius ac ante factitaverat, annis 1697., 1727., & 1729. abſtinendum cenſuit a conceſſione Officii, ac Miſſæ pro cultu Cordis proprie ſumpti, ſed inſtantiam reformando votis annuit pro Corde tantum ſymbolice accepto, ut ex ejus liquet Decreto, quod ita ſe habet. PO-

POLONA.

Inſtantibus pro conceſſione Officii, & Miſſæ Sanctiſſimi Cordis Jeſu pleriſque Reverendiſſimis Epiſcopis Regni Poloniæ, nec non Archiconfraternitate Urbis hoc ſub titulo erecta; Congregatio Sacrorum Rituum habita die 26. Januarii hujus anni probe noſcens, cultum Cordis Jeſu jam hodie eſſe per omnes fere Catholici Orbis partes foventibus eorum Epiſcopis propagatum, ſæpe etiam a Sede Apoſtolica decoratum millenis Indulgentiarum Brevibus datis ad innumeras propemodum Confraternitates ſub titulo Cordis Jeſu canonice erectas, ſimulque intelligens, hujus Officii, & Miſſæ celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam inſtitutum, & SYMBOLICE renovari memoriam illius Divini AMORIS, quo Unigenitus Dei Filius humanam ſuſcepit naturam, & factus obediens uſque ad mortem, præbere ſe dixit exemplum hominibus, quod eſſet mitis & humilis corde: his de cauſis, referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Epiſcopo Sabinenſi, audito R.P.D. Cajetano Forti Promotore Fidei, prævio receſſu a deciſis ſub die 30. Julii 1729., annuendum precibus cenſuit Epiſcoporum Regni Poloniæ, & dictæ Archiconfraternitatis Urbis, deliberatura deinceps de Officio, & Miſſa rite approbandis. Quod quidem Congregationis Votum per me Secretarium relatum Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi Papæ XIII., Sanctitas Sua, hujus etiam Decreti tenore perlecto in omnibus approbavit. Hac die 6. Februarii 1765.

Ex quibus probe conjicitur, objectum cultus in admiſſo Feſto Cordis Jeſu non poſſe jam uſurpari ſecundum privata, & antiqua præjudicia. Nam ſi confers quod conceſſum eſt cum eo, quod petitum fuit, facile intelliges, quid fuerit etiam negatum. Petitum fuit Officium, & Miſſa pro cultu Cordis proprie ſumpti. Non fuit autem conceſſum, niſi pro Corde ſymbolice accepto. Negatum igitur fuit pro Corde, quale eſt in ſe, & uti pars eſt Corporis Chriſti.

V. Neque vim frangunt tam perſpicuæ & invictæ illationis, ea Decreti verba, quibus dicitur: *hujus Officii, & Miſſæ celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam inſtitutum.* Quid

Quid enim, obſecro, ex his verbis colligi poteſt? Quod Sac. Congregatio, accedente nutu Pontificis Max. Clem. XIII. approbare fortaſſe voluerit cultum cordis *carnalis* Jeſu? Nihil minus. De corde enim *carnali* nulla prorſus mentio fit in tota hujus Decreti ſerie. Neque heic unum verborum ſonum, ſed ſenſum, qui verborum eſt animus, tenere oportet. Quum itaque *cultum Cordis Jeſu jam inſtitutum*, *decoratum*, *ampliatum*, audis, ne in his ſiſtas, ſed vide in ſequentibus, quid illud ſit, quod nomine *cultus Cordis Jeſu* intelligi debeat. Mox enim percipies *cultum* hunc omnem, non in alia re ulla ſitum eſſe, quam in *renovanda*, *ac recolenda memoria illius divini amoris*, *quo Unigenitus Dei Filius humanam ſuſcepit naturam*, *& factus obediens uſque ad mortem præbere ſe dixit exemplum hominibus*, *quod eſſet mitis*, *& humilis corde*. Chriſtus itaque *amator hominum*, *obediens Patri*, *vere mitis*, *& humilis* eſt reale, proprium, & unicum hujus novæ ac feſtivæ Commemorationis objectum. Sed quia divinus Chriſti amor repræſentatur ſub ſymbolo *cordis*, & amor ſortitur figuratum vocabulum *cordis*, ex hoc *ſymbolo* nuncupationem & titulum accipit celebritas, & commemoratio iſta, ſicque nomine tenus & improprie dicitur *cultus Cordis Jeſu*. Rurſus quia obedientia, manſuetudo, & humilitas Redemptoris noſtri fuit ſumme vera, ſincera, intima, & ex animo, ideo Chriſtus ſe *mitem & humilem corde* dixit: *corde*, inquam, metaphorice, non proprie neque carnaliter ſumpto. Ac Tu equidem non aliter verba Decreti interpretaberis, niſi in mentem tibi veniat indigne prorſus & inique de Eminentiſſimis Sac. Congregationis Patribus opinari. Quoties enim de Chriſti cultu, ejuſque adoratione agitur, ampliſſimus iſte Romanæ Eccleſiæ Ordo non aliam regulam tenet, quam quæ a Spiritu Sancto in Scripturis, & perpetua Patrum traditione revelata eſt. At vero ubinam, amabo te, vel in ſacris Litteris, vel in teſtimoniis SS. Patrum invenies amorem, obedientiam, manſuetudinem, humilitatem, aliaſque vere divinas Chriſti virtutes illius *cordi carnali* tributas? Nuſquam gentium. Ubicumque enim Cor de Deo & Chriſto

in iis prædicatur, cor ſemper in ſenſu *ſymbolico*, *metaphorico*, *figurato*, *&* per ἀνθρωποπάθειαν uſurpatura invenitur. Age ergo & tu quum in hoc Decreto *Cor Chriſti* commemoratum legis, de uno corde ſymbolico, & metaphorico cogita; nec aliter Romanam Eccleſiam loqui potuiſſe putes, quam loquuti fuerint divini Scriptores, ſanctique Patres. Illudque tandem perſuaſum tibi eſſe velim *cultum Cordis Jeſu, quum per omnes fere Catholici Orbis partes propagatus* ex alienis informationibus nude ſimpliciterque refertur, eum unum a nobis hactenus explicatum, nec plane alium Sac. Congregationem deſignare voluiſſe. Nam ne omnia huc congeram, qoorum plura paullo poſt accepturus es, ſingula hujus Decreti verba, atque ſententias ea plane ratione, qua factum a nobis eſt, & tu cogeris interpretari, niſi tam inſanus ſis, ut majorem ipſius cognitionem, quam vivi ipſi vigenteſque conditores habeant, te habere præſumas. Vivit jam, propitio Deo, vivetque diu ad publicam felicitatem Catholici Orbis Pater ille Maximus, qui ex eo ampliſſimo Ordine præclariſſimis concitus meritis, & ſacrarum rerum indeptus faſtigium, eo pervenit, quo altius provehi mortalium omnium fas eſt nemini (*a*). Ille omnium princeps palam aperteque edicit, hanc unam fuiſſe Sac. Congregationis mentem in deliberando de feſtivitate propoſita *Cordis Jeſu*, ut excluderetur *cultus cordis carnalis*, eique ſimplex titulus *cordis ſymbolici* concederetur. Nihil neceſſe nunc eſſet Patres illius Judicii reliquos commemorare, poſtquam tam ſplendidas ſupremi oraculi voces audivimus. Sed dulce nimis, & jucundum mihi eſt, auguſtum appellare nomen Sereniſſimi Principis, & Cardinalis Eminentiſſimi Henrici Benedicti Mariæ Clementis Ducis Eboracenſis, Vice-Cancellarii S.R.E., Archipresbyteri Vaticanæ Baſilicæ, & Epiſcopi Tuſculani. Hujus vere *Regiæ Celſitudinis* pietas ardentiſſima, morum ſanctitas, pura & incorrupta Fides, Religionis cura, Sacrarumque rerum, & Litterarum ſtudium, aliaque ſplendidiſſima illius animi ornamen-

(a) Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa XIV., qui Sacram ornavit Congregationem Rituum dum Cardinalis munere fungeretur, in hanc rem appellari ſe benigne annuit, & humaniſſime clementiſſimeque nobis indulſit.

Digitized by Google

menta in omnium ore ſumma cum laude verſantur. Is vero eſt qui conſtantiſſime affirmat,aliud nihil tam diligenter in ea Congregatione ſingulis Patribus fuiſſe cautum, quam ne quid *materialis*, *carnaliſve Cordis Jeſu* novæ iſti celebritati immiſceretur. Eoque conſilio decretum fuiſſe teſtatur, ut *Cordis* vocabulum in ea divini amoris commemoratione ad unum *cor ſymbolicum* reſtringeretur. Nec dubitavit & ipſe hanc nobis veniam dare, ut ſuum hoc tam præclarum teſtimonium poſterorum memoriæ commendaremus. Quid porro dicam de Cardinali Ampliſſimo Andrea Corſinio magnæ & ipſo virtutis ac dignitatis Principe ſpectatiſſimo? Notiſſima ſunt, ac plane ſimillima, quæ de hac ipſa Sac. Congregationis mente non ſemel affirmavit. Nec alia credas te auditurum, ſi cæteros quoſque integerrimæ Fidei, & ſingularis ſapientiæ Patres Eminentiſſimos conſulas.

Quod ſi defunctorum nomina hoc in loco appellare liceat, en tibi immortalis memoriæ Cardinales duo, *Ferronius*, & *Gallius*. Ille Sac. olim Congregationis Præfectus quo die de hoc Feſto permittendo actum in ea eſt, quaſi lætus de re bene geſta, ſingulis ad ſe pomeridianis horis ſalutationis gratia accedentibus, animi ſui gaudium his ferme verbis ſignificabat: Audiſtis ne quid hodie decreverimus? Feſtum *Cordis Jeſu* permiſſum a nobis eſt, ſed *cordis ſymbolici*. Alienis votis ita ſatisfecimus, & tamen non admiſimus in eo, ut petebatur, *cor carneum*, *& materiale*. Præclarum inventum! Deus hoc nobis conſilium *de corde Jeſu ſymbolico* inſpiravit. Non tam effuſis,lætitiæ modis,ſed eadem tamen verborum ſinceritate cum ſententiarum gravitate conjuncta, in hoc Patres omnes conveniſſe ajebat *Card. Gallius*, ut *de uno corde ſymbolico* feſtivitas iſta permiſſa intelligeretur. Quare ſi veriſſimum eſt, quod Paulus Jnreconſultus monuit, L. 19. ff. ad Exhibend. *Non oportere verba captari*, *ſed qua mente quid diceretur*, *animadvertere convenire*, dubitare jam nullo modo poteris, quin *cor ſymbolicum* illud unum ſit, quod ex mente Sac. Congregationis in hoc Feſto conſiderandum eſt.

Verum & alia argumenta ſuppetunt, quæ ex ipſo Decreti

Digitized by Google

contextu depromta, hanc plane unam fuiſſe Patrum ſententiam invicte demonſtrant. Feſtum Cordis Jeſu annis 1727. & 1729. negatum fuerat a Sacra Congregatione Rituum ea quoque de cauſa, quod exoſam ſaperet *novitatem*. Qua de re locuples extat teſtificatio ſan. mem. Benedicti XIV. *de Canonizat. lib. 4. part. 2. cap. 31. num. 24. Renovata itaque majori conatu inſtantia conceſſionis Officii, & Miſſæ Sanctiſſimi Cordis Jeſu, dum ipſe munere fungebar Fidei Promotoris, oppoſui auctoritatem* S. Bernardi *Epiſt.* 174. *ad Canonicos Lugdunenſes, qui Feſtum celebrare incœperant Conceptionis B. Mariæ Virginis. Etenim licet Sanctus id improbet, eo quod novi hujus Feſti celebratio fieret, inconſulta Sede Apoſtolica*. Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconſule paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum, *non omittit tamen vim conſtituere in ipſius etiam Feſti novitate*. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? Periculoſe præſumimus, quidquid ipſorum in talibus prudentia prætérivit. Nec vero id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiverit *omnino diligentiam prateriiſſe* =. Hinc manifeſtum eſt, objecta Decreti verba: *hujus Officii, & Miſſæ celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam inſtitutum* eo tantum conſilio fuiſſe poſita, ut tolleretur antiquum obſtaculum a novitate Feſti deſumptum; niſi enim id fieret, locus eſſe non poterat *receſſui a deciſis*. Nam & olim ob ejuſdem novitatis præjudicium Poſtulatores repulſam paſſi fuerant.

VI. Idque ad amuſſim videre licet in eodem illo, Conceptionis B. Mariæ Virginis, Feſto quod S. Bernardus in Eccleſia Lugdunenſi reprehendebat tamquam novum. Objectum quippe dicti Feſti Canonici Lugdunenſes ponebant in conceptione carnali, quod ut erroneum damnat S. Doctor laudata Epiſt. 174. *Ante quidem apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens devotioni, quæ de ſimplici corde, & amore Virginis veniebat. Verum apud Sapientes, atque in famoſa, nobilique Eccleſia, & cujus ſpecialiter Filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa,* *neſcio*

neſcio an ſine gravi offenſa etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim. Et cauſam prætexens erroris ex eo ductam, quod caro Virginis ſeminali ratione derivata fuit concupiſcentialiter ex Adam: *Quo pacto*, ſubdit, *aut Sanctus aſſeretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non eſt, ne dicam de peccato eſt, aut Feſtus habebitur, qui minime Sanctus eſt?* Quum vero dictum Feſtum non eo minus apud varias Eccleſias longe lateque diffuſum fuerit, ſequiore ævo etiam Romæ celebrari cœptum eſt. Eoque nomine de illo æque dici poterat, ac de Feſto dicitur Cordis Jeſu *hujus Officii, & Miſſæ celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam inſtitutum*; Nec inde tamen ſumere fas eſſet, Eccleſiam Romanam cultum probaſſe conceptionis carnalis; propterea quod ea de re ſæpius edita Decreta nitide directa ſunt in conceptionem (*a*) ſpiritualem, neque carnem reſpiciunt informem, ſed ipſam ſpectant *Animam B. Virginis Mariæ in ſui creatione, & in Corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato originali præſervatam* ſunt ipſa verba Conſtitutionis 117. Alexandri VII., quæ nos ad noſtram rem attulimus, & obſervavimus in Epiſtolis Familiaribus de Immaculata Virginis Conceptione ſecundum mentem Angelici Præceptoris. Confer nunc cultum, qui pari fere modo præceſſit tempore approbationem Romanam, & in variis fortaſſe Catholici Orbis partibus deferebatur tum *Conceptioni* Virginis, tum *cordi* alicubi ſecundum *carnem*, alicubi vero ſecundum *ſpiritualem intelligentiam* conſideratis, cum eo cultu qui Romæ poſtea receptus eſt, & conſecratus tum *Conceptioni* Virginis, tum *cordi* Chriſti ſecundum *ſpiritualem tantum intelligentiam* ſpectatis; ſtatimque deprehendes verba illa, *non aliud agi, quam ampliari cultum jam inſtitutum*, quæ leguntur in Decreto pro celebratione Officii, & Miſſæ Cordis Jeſu, eo tantum pertinere, ut obicem tollerent præjudicatæ & inviſæ novitatis; cæterum nihil ea influe-

(a) Spiritualem voco, non quod ſit carni impermixta; id enim generationi hominis ex anima conſtantis & corpore repugnat, ſed quia confertur in illud temporis momentum, quo carni infunditur ſpiritus, ſive anima rationalis, quæ naturam complet humanam.

influere in ſequentia, quibus objectum cultus determinatum fuit, ut ex præmiſſo patet exemplo, ubi vides conceptionem Virginis alibi *carnaliter*, alibi *ſpiritualiter* acceptam & celebratam aditum præbuiſſe, ut & Romæ Feſtum Conceptionis Deiparæ Virginis ſecundum *ſpiritualem intelligentiam* acceptæ admitteretur.

VII. Decretum itaque Sacræ Congregationis, de quo agitur, non præfert ampliationem cultus ſub eodem conſpectu, prout nempe ferebatur in cor carnale, ſed ſub conſpectu plane diverſo, prout ei ſuffectum eſt unum cor ſpirituale. Unde non variat, ut ita dicam, *ſuperficiem* cultus in genere ſuo; nam quod ei dat incrementum, ad idem ſpectat genus quantitatis continuæ, ſed variat ſolum ex parte coloris, & aſpectus; quo nempe fit, ut macula quæ antea quorumdam hominum vitio inhærebat cultui cordis carnalis, abſtergatur, & ita totum ſimplex, & nitidum appareat, unum illud, quod hujus cultus objectum eſſe debet, *Cor Jeſu* ſymbolicum & ſpirituale. Accommoda tu ad hanc rem, quæ habet S. Thomas 1. 2. *q.* 20. *art.* 6. *corp.* Ait enim *quod nihil probibet aliquid eſſe unum, ſecundum quod eſt in uno genere, & eſſe multiplex, ſecundum quod refertur ad aliud genus: ſicut ſuperficies continua eſt una ſecundum quod conſideratur in genere quantitatis: tamen eſt multiplex, ſecundum quod refertur ad genus coloris, ſi partim ſit alba, & partim nigra*. Ampliatio cultus natura ſua ad ordinem ſpectat *extenſionis*, patiturque ſecum ſecundum alium intentionis ordinem, formam quoque diſcolorem citra ullum *diſcontinuitatis* metum; quod ea ratione probat S. Doctor 1. *p. q.* 9. *art.* 1. *corp.* *Quia omne quod movetur, quantum ad aliquid manet, & quantum ad aliquid tranſit: ſicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet ſecundum ſubſtantiam*. Et id quidem locum maxime habet in re noſtra; quia ad rationem prioris cultus non pertinebat incidens illa carnalis imperfectio, qua tendebat in Cor Jeſu materialiter acceptum. Etſi namque præſtitutam velint in carne, Auctores & fautores dicti cultus, nativam ratio-

nem

nem objecti, quod ipſa ſui vi cultum informare, ipſumque, ut ajunt, ſpecificare videtur, nullo tamen id nitebatur inſtituto legitimo, ſed eorum tantum privato arbitrio, quod impos erat ad inducendum novum Feſtum, ejuſque finiendum objectum. Et propterea nulla erat neceſſaria & intrinſeca connexio inter Feſtum Cordis, & objectum cultus, ut non idem dilatari Feſtum poſſet niſi ſub eodem objecto. Quod itaque prius imperfectum erat ſub corde carnis, perfici potuit ſub typo cordis ſpiritualis, & ſymbolici. Quanquam etſi mavis variari Feſtum quoad ſubſtantiam, manet tamen ſemper aliquid utrique commune; continuitas nempe cultus ſub objecto utrique Feſto reſpondente, ut rurſus docet, & novo confirmat exemplo S. Thomas 3. *p. q.* 77. *art.* 8. *ad* 2. *Erit quidem una dimenſio ſecundum continuitatem quantitatis, non tamen una ſecundum modum eſſendi..... Sicut ſi aliquod corpus conſtituatur ex duobus metallis: erit unum corpus ſecundum rationem quantitatis, non tamen unum ſecundum ſpeciem materiæ.*

VIII. Tenes igitur & nova, & vetera, quæ nobis Sacra Rituum Congregatio in hujus noſtri argumenti tractatione ſpectanda proponit. Vetus eſt quod profert de ipſo cultu Cordis Jeſu generatim conſiderato. Novum eſt, quod profert peculiariter de unico dicti cultus objecto. Antiquitatem profert cultus, ne novum videatur Feſtum admittere, quod obſtaret ab extrinſeco. Novum autem profert objectum cultus, ne Feſtum vetus, quod amplificat, extendiſſe videretur ſine cauſſa, quod obſiſteret ab intrinſeco. Sciendum eſt enim, quod præter novitatem inſtitutionis, admiſſioni dicti Feſti obſtaculum maxime fecerat in anteactis Propoſitionibus ipſa ratio cultus cordis, utpote quæ devia videretur a perenni, & conſtanti Eccleſiæ conſuetudine, juxta quam Feſta quæque Domini Noſtri Jeſu Chriſti *repræſentant ſingulares gratias, & altiſſima myſteria, quæ idem Verbum incarnatum operatum eſt ad humani generis ſalutem* ut ait Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor in ſuis *Animadverſionibus* §. 3. qui propterea hæc inferebat: *Si Feſta omnia,*

omnia, quæ celebrantur ad Chriſti honorem, repræſentant ſingulares gratias, & altiſſima myſteria, quæ Verbum incarnatum operatum eſt ad humani generis ſalutem, ex hoc ſequitur, non eſſe annuendum petitoni inſtitutionis Feſti in honorem Sanctiſſimi Cordis Jeſu, cum nullum myſterium per illud ſeorſim ſumptum a reliquis partibus corporis, exhiberi poſſit & repræſentari eorum, quæ idem Verbum incarnatum operatum eſt ad humani generis ſalutem. Huic autem adeo exitiali conſecutioni Decreto ſuo præcluſit aditum Sacra Congregatio, coercendo unice objectum cultus ad cor ſymbolice ſumptum; quod tamen impar ad hoc eſſet, ſi ſimul admiſiſſet etiam cultum cordis naturalis & carnei, quippe quod in illud mox recidiſſet inconveniens, quod omnino cavendum oſtenderat ſan. mem. Benedictus XIV. Et notatu dignum eſt, quod eadem Sacra Congregatio, dum ita ſtatuit, atque ſecrevit objectum cultus, ea omnia præ oculis habuit, quæ ad eluendam inſolentiam, & abſurditates ex cultu cordis carnei neceſſatio manantes, cumulari ſolent ab Adverſariis: eaque videri poſſunt in præcitatis Poſtulatorum ſcriptis eorumque Reſponſionibus ad antiquas Animadverſiones Promotoris Fidei §. 18. & 19. ubi ſic loquuntur. *Rem ſane nunquam ſatis inculcandam iterum iterumque ſub oculos legentium ponamus. Objectum Feſti Cordis Jeſu nequaquam conſiſtit in corde ſolo nude, ſolitarie, corporaliter, ac materialiter ſumpto. In quo ergo conſiſtit? In mirabili illa, ac prorſus divina rerum complexione formata: tum ex Corde Jeſu corporeo, ac vulnerato: tum ex Anima Sanctiſſima, qua cor vivit: tum ex perſona Verbi divini Cordi hypoſtatice unita, & a qua habet, ut divinum ſit: tum ex amore immenſo, quo Cor ardet: tum ex virtutibus, quarum ſymbolum vel ſedes eſt: tum ex doloribus & anguſtiis ab ipſo corde hominum cauſa toleratis. Hæc, inquam, complexio rerum tam ſublimium, tam admirabilium, tam divinarum, tam amabilium, verum, proprium, & adæquatum objectum eſt Feſti Cordis Jeſu.*

IX. Satis ergo perſpectum habes, ut arbitror, nihil valere horum omnium congeriem, ut componi poſſit cum mente

Sac.

Sac. Congregationis objectum cultus, quod his adjutum præſidiis etiamnum conſtituitur a multis in corde carnis. Eam quippe congeriem Sacra Congregatio luſtravit univerſam, dictoque loco recenſitam vidit quaſi per claſſes. *Quæ ſit autem vera ratio, ſub qua conſiderari debeat* (ita Poſtulatores inſiſtebant *dicto num.* 18.) *paucis his articulis complectemur. Igitur Cor Jeſu conſiderandum eſt. Primo. Quatenus cum Anima Jeſu, ejuſdemque divina Perſona rem unam quodammodo (propter intimam unionem) conſtituit. Secundo. Quatenus eſt vel ſymbolum, vel naturalis ſedes omnium virtutum, & affectionum interiorum Chriſti Domini, in primiſque amoris illius immenſi, quo Patrem, & homines proſequutus eſt. Tertio. Conſiderandum ulterius eſt ut centrum dolorum omnium interiorum amantiſſimi Redemptoris, quos tota vita, ſed potiſſimum paſſionis ſuæ tempore pro hominum ſalute toleravit. Quarto. Non omittenda contemplatio vulneris ſupra Crucem accepti; vulneris, inquam, non tam lancea Militis facti, quam ab amore Chriſti ictum lanceæ ad cor dirigente profecti. Hæc omnia Cordi Jeſu propriiſſima, atque conjunctiſſima rationem objecti in hocce Feſto una cum ipſo corde vere ingrediuntur.* Quum itaque hæc omnia in conſpectu haberet Sacra Rituum Congregatio,& tamen abſtinendum putaverit a ſubſcriptione precum,Decretumque ſuum reſtrinxerit ad *unum cor ſymbolice* ſumptum,nec alia de cauſa præcedentis cultus mentionem fecerit, quam ut ne quid omnino novum videretur ſapere hujus Feſti recens inſtitutio; plana ſane, & aperta res eſt, quod non minus, imo magis, a ſenſu diſcedit Eccleſiæ, qui nunc temporis dirigere præſumit objectum cultus ad Cor Chriſti, quam qui id olim præſtitiſſet, quando pro petito & negato *Feſto Cordis*, conceſſum ab ea eſt Feſtum quinque ſacrorum Vulnerum Chriſti.

His igitur inſtructus notitiis jam noſtra legas, & ut ſapientiſſimus es, non poteris, ut auguror, non eis aſſentiri; ut es autem humaniſſimus, ea quoque juvabis, ut precor, auctoritate qua præſtas & gratia.

X. Quamquam non tuam tantum ſapientiam, tuamque

 huma-

Digitized by Google

humanitatem, ſed & eum, qui tuum urit Chriſtianum pectus, ſobrium tamen ac juſtum, religionis ſtudium, ardoremque appello. Noſti enim heterodoxorum hominum ingenium noſtra omnia vellicantium, atque adeo vel in ſcirpo nodum quærentium, ut nævos, quos non habet, per ſummam injuriam imponant Eccleſiæ. Neque vero ſatis eſt ad obſtruenda malignantium ora, ut Sacra Rituum Congregatio Decreto ſuo alienam ſe jam præbuerit a cultu cordis carnalis, ſed conandum præterea eſt, ne vulgi licentia ſub ſpirituali & ſymbolico cor carnale obtrudatur, latiuſque ſerpat. Hinc enim ſummopere metuendum eſt, ne maligni obtrectatores noſtri pronam magnamque arripiant occaſionem calumniandi, evomendique virus acerbitatis ſuæ in ipſam Sanctam Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam Romanam. Quid enim? Nonne omnem damnat Eccleſia Dei corruptelam morum? Damnat profecto. Sed quia frequens eſt, & abundat nihilominus apud malos Catholicos, non ceſſant ab his infectionem derivare in Sponſam Chriſti, eique vel hoc nomine quæſtionem movere de ſucceſſione legitima. Ne igitur infenſiſſimi hoſtes *irrationabile* cordis carnalis *obſequium*, a quo ſemper abhorruit, refundere præſumant in Eccleſiam, eamque coarguere de noxiis quæ ſequuntur abſurdis, quæque mox in medium proferam; vides jam non tam mea, quam tua etiam, omniumque ſimul intereſſe, ut ego juver abs Te, mihique ne deſit atque Operi meo officium & opera tua. Quod enim a Te poſco munus, ac vehementer opto, non id ad meum pertinet privatum commodum, ſed commune ſpectat bonum Eccleſiæ; de qua ut quiſque mereatur, quanta maxima poteſt, eniti virium contentione debet. Non eſt autem ferendum, quod gratia neſcio cujus affectati *materialiſmi*, unde Feſtum Cordis Jeſu ad objectum redigitur tam diſtans a vero, quam diſtant a rebus ipſæ rerum imagines, moleſtia, & odium creetur Eccleſiæ, ne ſcilicet *ex hoc verbo derideatur ab infidelibus*, *& ne eis via credendi præcludatur*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.* 68. *art.* 1. *corp.* & ſupra *q.* 32. *art.* 1. *pariter corp.* Quæ ſint vero tui muneris partes,

Digitized by Google

tes, tuique ſimilium, accipe jam a S. Auguſtino *lib. de ver. Relig. cap.* 55. *Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris: melius eſt enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt*. Ab hoc ſane qui deſciſcit officio; deſciſcunt autem omnes, qui cor carnis adoptant: is & aditum parat irriſioni hoſtium, quorum calumnia, & invidia communis fit omnibus Fidelibus, & juſtam præbet inſontibus offenſionis cauſſam ob incidentem injuriam Eccleſiæ; quod graphice deſcripſit idem S. Auguſtinus *lib. de Geneſ. ad litt. cap.* 19. *Turpe autem nimis & pernicioſum, ac maxime cavendum, ut Chriſtianum de his rebus quaſi ſecundum Chriſtianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut quemadmodum dicitur, toto cælo errare conſpiciens, riſum tenere vix poſſit. Et non tam moleſtum eſt, quod errans homo deridetur, ſed quod Auctores noſtri, ab eis qui foris ſunt, talia ſenſiſſe credantur ..... Quid enim moleſtiæ, triſtitiæque ingerant prudentibus Fratribus temerarii præſumptores, ſatis dici non poteſt*.

Noli

Digitized by Google

Noli conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera Religione ſuperſtitioſi ſunt.

S. Auguſtinus de Morib. Eccleſ. cap. 34.

Occaſiones erroris ſunt hominibus ſubtrahendæ ſecundum illud Iſa. 57. Auferte offendicula de via populi mei.

S. Thomas 3. *p. q.* 78. *art.* 3. *arg.* 3.

DE

Digitized by Google

DE FESTO CORDIS JESU
DISSERTATIO COMMONITORIA

CAPUT PRIMUM.

Mendacium maxime turpe, ac pernicioſum eſt, quod cadit in cultum religionis. Hujus mendacii ſpeciem ſubrepere in Feſtum Cordis Jeſu demonſtratur.

IN externo Religionis exercitio, quod feſtis diebus maxime excolitur, primum, ac ſummum Chriſtiani hominis officium eſt, ne quæ palam agit, divinis quum vacat obſequiis, ab interiori cultu disjungat. Quod ſi faceret, cultus ejus vitali ſpiritu careret, fieretque velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, quod olim Judæis exprobravit Dominus *Iſai.*29., & *Matt.*15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. Hinc vero ſtatim deprehenditur, exteriorem cultum, qui ſuam mutuatur ab interno vim, eſſe etiam hujus argumentum, ac ſignum. Quod ut cætera, præclare expreſſit S. Auguſtinus *lib.*10. *de Civit. Dei cap.*5. *Sacrificium*, inquit, *viſibile inviſibilis ſacrificii Sacramen-*

Digitized by Google

tum, *ideſt ſacrum ſignum eſt*. Illud autem in ſigno maxime quæritur, ne quid præferat, quod a re, cujus ingerit ſpeciem, diſſidere videatur; alioquin genus quoddam mendacii eſſet, a quo ſocietas abhorret humana: neque enim ſtare hæc poteſt ſine mutuo commercio veritatis ac fidei. Multo vero magis quævis mendacii ſpecies eliminari debet a rebus ſacris, quarum præcipua proprietas eſt, ut quod geritur foris, omnino conſonet ei, quod agitur intus juxta Domini verbum *Joan.* 4. *Spiritus eſt Deus*, *& eos qui adorant eum*, *in ſpiritu*, *& veritate oportet adorare*. Quare ut merito docet idem S. Auguſtinus *lib.*1. *contra mendacium cap.*14. *Mendacium maxime pernicioſum eſt*, *quod ſit in his*, *quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent*. Eique conſentit S. Thomas 22. *q.* 113. *art.* 2. *corp. Mendacium*, *quod ſit in doctrina Religionis*, *eſt graviſſimum*.

Nonnihil equidem tanti mali irrepere mihi videtur in recens Feſtum Cordis Jeſu. Quamvis enim Eccleſia Dei nava veritatis magiſtra, præfixerit hujuſmodi Feſto pro objecto cultus Cor Spirituale, illud ſcilicet quod ſimplex indicium eſt amoris Chriſti, & Cor myſticum, ſeu ſymbolicum appellatur, non defuerunt tamen, qui viribus artibuſque omnibus moliti ſint ſpirituali ſubſtituere carnale Cor: idque præſtare curarunt ſcriptis in lucem editis adeo multis, ut ſi ea colligas univerſa, in vaſtam molem excreſcant. Injuriam veritati, & Eccleſiæ illatam ego quidem, utut nullus homo, pro ingenii mei tenuitate vindicare ſtudui *Obſervationibus* iis, quas ea de re ſuperioribus annis elucubravi. Verum etſi qui contra ſtaret, mihique propalam obſiſteret, extiterit nemo; cauſam enim æquiſſimam, eamque optimam tueor; nihilo tamen minus ſpatium occupat, gliſcit, & creſcit error antiquus. Id ego tacitus, ut par erat, hactenus dolui, hactenus tuli: quum præſertim ageretur de Feſto peculiari, quod ad paucos ſpectare videbam. Nunc vero quum dictum Feſtum tota fere Urbe celebrari intelligam, religioni mihi ducerem, ſi continerem in corde meo quod latere putem malum, non in Feſto, quod ſanctum eſt, ſed in obje-

objecto Cordis carnei, quod a multis invehitur, ac præpoſterum eſt. Nemo itaque mihi ſuccenſeat, ſi ſtudio veritatis, & puro Religionis zelo commotus rurſus in medium prodeam, & turbam colentium diem feſtum Cordis carnei Chriſti: arguam, obſecrem, increpem *in omni patientia, & doctrina*, uti monet Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 4.

CAPUT II.

Qua ſint nota digni, qui pervertunt objectum Cultus in Feſto Cordis Jeſu. Vana illorum excuſationes auctoritate Eccleſia refelluntur.

ET mihi quidem patientia multa opus eſt. Non ſum enim adeo tardus ingenio, ut non videam, quam male audiam apud iſtiuſmodi homines, qui tanta pugnant contentione pro cultu Cordis carnei; & eos nihilominus ferre ſum paratus; ut eoſdem ipſos, ſi fieri poterit, veritati litare compellam. Neque enim ſunt de iis, quos Apoſtolus commemorat loco citato 2. *ad Timoth.* 4. *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent*. De his, inquam, non ſunt, ſed tamen ægre ferent, eorum opinionem, quam in ſpeciem pietatis tuentur, in ſuſpicionem erroris adduci, & de falſitate coargui. Hinc me forte durius, ac triſtius excipient; ſed hanc moleſtiam vel eorum cauſſa ſubire non recuſem. Abſit autem, ut ſim patiens tacendo, quod ipſi mallent. Quamquam & id ego facerem, ſi quod ipſi moliuntur, ad meam tantum pertineret injuriam. Sed ejus generis injuria eſt, quæ in communi cauſa Religionis ac Dei omnes omnino tangit. Nam ut probe diſtinguit Chryſoſtomus *Homil.* 5. *in Matth. In injuriis propriis patientem eſſe laudabile eſt; Injurias autem Dei patienter ſuſtinere, nimis eſt impium*. Et S. Auguſtinus *epiſt.* 5. *contra Marcellinum*.

linum. Præcepta patientiæ non contrariantur bono Reipublicæ, pro quo conſervando contra inimicos pugnatur. Ad rem itaque ſtatim veniamus.

Principio autem ſi negent Adverſarii, de objecto cultus, quod Feſtum ſpectat Cordis Jeſu, ſententiam ſe gerere ab ea diverſam, quam gerit Eccleſia, negent etiam oportet ſtare ſe pro Corde carnis. Sed ſi nervos omnes huc intendunt, ut Cor carneum ipſum feſti hujus objectum eſſe conſtituant, fateantur neceſſe eſt, ſeſe tantum ab Eccleſiæ ſenſu diſſidere, quantum a carne diſſidet ſpiritus. Eccleſia ſiquidem non alio reſpexit, quum hoc Feſtum agi primum conceſſit, quam ad Cor ſpirituale, ut nitide liquet ex ejus *Decreto*, quod noſtris illuſtravimus *Obſervationibus*, ad quas eos omnes mittimus, qui contrariis occupati præjudiciis de luce adhuc dubitent in meridie (*a*).

Quo poſito vel ipſi judicent Adverſarii, num eorum ſyſtema cultum adſtruens Cordis carnei, immune dici queat ab evidenti nota *cultus falſi*. Hæc ſecum dum taciti reputant, deque iis meliora auſpicamur, audiant S. Thomam ſic eos ſuggillantem 22. *q.* 93. *art.* 1. *corp. Alio modo poteſt contingere falſitas in exteriori cultu ex parte colentis: & hoc præcipue in cultu communi, qui per miniſtros exhibetur in perſona totius Eccleſiæ. Sicut enim falſarius eſſet, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non eſſent ei commiſſa, ita vitium falſitatis incurrit, qui ex parte Eccleſiæ cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Eccleſia conſtitutum, & in Eccleſia conſuetum*. Nec vero excuſationem ullam ii captare valent a ſcriptis (*b*) multorum, quaſi ſervum pecus alienas ſequentes aberra-

(a) Vide quæ dicta ſunt in Proluſione præſertim §.V.

(b) Index Libr. prohib. recuſus anno 1758. juſſu ſa: me: Benedicti XIV. recenſet ſub litt. D.

La devotion au Sacré Cœur de N.S. Jeſus-Chriſt, par un Pere de la Compagnie de Jeſus. Decr. 11. Martii 1704.

Item. La devozione all' amabiliſſimo e divino Cuore del noſtro Signore Gesù Criſto cavata dall'Opere di Giovanni Laſpergio Certoſino. Decr. 22. Maji 1745.

Nuper in Galliis cenſuram ſubierunt Theologicæ Facultatis Civitatis Namnetum plures Propoſitiones erutæ ex Libro cui titulus - Le Manuel des adorateurs du Cœur

errationes, planeque fallaces de cultu Cordis carnei loquendi, opinandique modos. Quotquot enim illi ſint, & quantavis auctoritate præditi, ſive ob doctrinæ laudem, ſive ob commendationem morum, nullo plane numero ſunt habendi, ſemel ac Eccleſia, quæ ſedet ad clavum navis, & depoſitum ſervat fidei, aperuit ſenſum ſuum de cultu Cordis Jeſu, limitatum ſcilicet, ac reſtrictum ad Cor ſpirituale. Senſus enim Eccleſiæ abſorbet omnia contraria, tam quæ præceſſerunt, quam quæ conſequuta ſunt. Nam quæ præceſſerunt, intercipit, quæ vero conſequuta ſunt, antevertit, ut apte tradit S. Thomas 22. q. 10. *art.* 12. *corp. Quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet. Unde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris*. Quamquam ſi cum novi hujus cultus inventoribus veteres Eccleſiæ Magiſtri comparandi ſint, aurea illa doctiſſimi *Cani* ſententia præ oculis haberi debeat: *Maxima eſt vis & auctoritas vetuſtatis, & ubi cum novitate certet, eſt illa ſine dubio præferenda.*

Cœur de Jeſus, & des ſerviteurs de Marie.

Noviſſime vero anno 1769. intercepta fuit Arimini in Æmilia Sacri Novendialis editio, quæ parata erat in honorem, & cultum Cordis Jeſu.

Et demum etiam recentius anno ſuperiori 1770. proſcripta fuit Bononiæ imago Cordis Jeſu, quæ duodecim conſtabat myſteriis, aut ſymbolis Cordi ejus adſcriptis, & quolibet anni menſe ordinatim colendis, recolendiſque.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Non conſtare apud Philoſophos, an humanarum affe-ctionum fons & origo in corde magis, quam in cere-bro collocanda ſit. Ob ejus etiam tam incertæ rei me-tum nec ante, nec modo conceſſum fuit quod peteba-tur Officium, & Miſſa pro cultu Cordis carnei. Non minus Eccleſiæ adverſantur, qui objectum cul-tus in Corde ſtatuunt proprie ſumpto, quam qui forte auderent ipſum Feſtum reprehendere prout ab Eccleſia inſtitutum eſt.

RES porro abs ſe loquitur, & ulteriori mora non eget. Non fert enim, non ſinit, non patitur reverentia & ob-ſequium Eccleſiæ debitum, ut quod ea ſtatuit objectum cultus in Corde ſymbolico, id jam convertatur in Cor verum, ac pro-prium. Atque hîc rurſus arbitros appellamus ipſoſmet Adverſa-rios. Si quis modo exiſteret, qui contra Feſtum inſurgeret Cor-dis Jeſu, ejuſque inſtitutionem libere reprehenderet, nonne eum diris omnibus devoverent? Nullus ego dubito. Et is tamen ſua produceret monumenta; & quidem graviora iis, quæ proferunt ipſi pro cultu Cordis carnei, quod & olim haberi voluiſſent, & nunc nimis confidenter obtrudere moliuntur, tamquam objectum dicti Feſti. Neque vero id temere dixe-rim. Auctor enim mihi eſt, ut cæteros mittam, San. Mem. Benedictus XIV. *de Canonizat. lib.4. part.2. cap.31.* ubi ratio-nes retexit, quas propoſuerat contra Feſtum Cordis Jeſu, dum munus obiret Promotoris Fidei, eamque præſertim commemorat *n.25.* quam ab eo tunc oretenus additam teſtatur, nimirum: *Sta-tui tamquam certum a Poſtulatoribus Cor eſſe, ut vocant, comprinci-pium ſenſibile omnium virtutum, & affectionum, quaſique centrum voluptatum, & dolorum omnium interiorum; ſed id quæſtionem phi-loſophicam involvere, cum recentiores Philoſophi amorem, odium, & re-*

& reliquas animi affectiones non in Corde tamquam in ſede ſua, ſed in cerebro collocent, ita ut affectus in animæ, & ſpirituum commotione maxime poſiti, in cerebro formentur, poſtea ad Cor ipſum per nervos diffundantur: Ex eoque mox ita concludit. *Quamobrem cum nullum adhuc prodierit Eccleſiæ judicium de veritate unius, aut alterius ex his opinionibus, prudenterque ab hujuſmodi definiendis ſententiis Eccleſia abſtineat, reverenter inſinuavi, non eſſe petitioni annuendum, innixa potiſſimum antiquorum Philoſophorum ſententiæ, cui recentiores adverſantur.*

Quid ad hæc Adverſarii, ut invicte revincerent hominem, qui, ut paullo ante indicare cœperam, his aliiſve ſimilibus argumentis, ipſum Feſtum impugnare tentaret? Non aſſumerent, ut arbitror, arduam, & periculoſam provinciam refellendi, & confutandi rationes exadverſo ſtantes, & probatas Benedicto XIV. Doctori ſummo, & in hoc maxime rerum genere facile principi; ſed ſtricte reſponderent, ac merito, quôd Eccleſia Feſtum inſtituit, idque unum ſufficere, ut habendum ſit pro recte inſtituto: quamquam necdum univerſale ſit, totique Catholico Orbi commune. Ita namque præclare nos edocet S. Thomas *3. p. q. 72. art. 12. corp. Firmiter*, inquit, *tenendum eſt, quod ordinationes Eccleſiæ dirigantur ſecundum ſapientiam Chriſti. Et propter hoc certum eſſe debet, ritus, quos Eccleſia obſervat .... eſſe convenientes.* Hinc ab eo, quem impugnatorem finximus Feſti, retorqueant oculos Adverſarii in ſe ipſos, qui non ficte, ſed vere objectum cultus impugnant, quod ei Feſto præſcripſit Eccleſia; & ni fallat eos nimius amor ſui, propriæque ſententiæ, non poterunt non videre, æque ſe atque illum extra metam excurrere, dum quam inferunt Eccleſiæ non levem injuriam, ſubducere nituntur iis ipſis argumentis, quæ quoties ad incudem venerunt, inventa ſunt plane vitrea, & futilia; nec unquam inducere potuerunt Pontifices Maximos ad Feſtum hoc inſtituendum ſub titulo, & objecto Cordis carnei. Quid interſit inter unum, & alterum caſum, ego plane non video, niſi quod in caſu ficto res perti-

pertineret ad unum, qui proprio tantum malo Eccleſiæ auctoritati reſiſteret, in vero autem manat latius, & in totam redundat Eccleſiam. Fac enim invaleſcat, & aliquando tandem prævaleat falſa hypotheſis de Corde carneo in hoc feſto die ſingulariter colendo, nonne jam cogeretur quodammodo Eccleſia pro legitimo partum agnoſcere non ſuum, ſuamque facere ſententiam illam, a qua ſemper abhorruit, quamque non ſecus ac olim, eadem illa antiqua ſepiunt involvuntque abſurda, quibus Sacra Congregatio Rituum vehementer deterrita ab ipſius Feſti conceſſione abſtinendum perpetuo cenſuit? Abjiciant igitur Adverſarii ſententiam ſuam de cultu Cordis carnei, ne tamquam contemptores Eccleſiaſticæ auctoritatis habeantur, neve probroſam ſubeant falſariorum notam, quam judice S. Thoma, ut jam audivimus, hujus tam abſurdæ opinationis propugnatores merentur. Nam ut ait idem S. Doctor 1. *p. q.* 17. *art.* 2. *ad* 2. *Quando aliquis convertitur ad ſimilitudinem rei tamquam ad rem ipſam, provenit ex tali apprehenſione falſitas*. Et ut boni, & æqui ſunt, agnoſcant denique quod ab eis ſtricte poſtulant ſapientes ordinationes Eccleſiæ, *contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit*, ut apte eis rurſus inſinuat S. Thomas 22. *q.*11. *art.*2. *ad* 3.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Cultus non cadit proprie, niſi in perſonam, quæ totum quid exprimit in rationali, vel intellectuali natura ſubſiſtens. Hinc dividitur in abſolutum, & relativum. Humanitas Chriſti conſiderari poteſt, vel ut id, quod ſimul adoratur cum Verbo Dei; vel in hypotheſi mere ſpeculativa & abſtracta, ut id, quod eſt adorationis cauſſa.

EA, quæ ſuperiori capite diſputata ſunt, ſatis eſſe putamus, ad continendos in officio morigeros Eccleſiæ filios. At quoniam nimis illud verum experimento comperimus, quod cecinit Poeta.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu

operæ pretium erit, ut quæ de Corde carnis in ſpeciem pietatis hauſta ſunt præjndicia, ea diſſona oſtendamus a ſana doctrina, ut ideo non tam mala ſe prodant, quia prohibita, ſed etiam prohibita, quia mala. At enim quid mali latere poteſt in cultu Cordis carnei, quod præcipua pars eſt corporis Chriſti, fons ejus vitæ naturalis, humanarum affectionum origo, virtutum, & charitatis comprincipium ſenſibile, & ut cætera, quæ ſunt hominis, copulatum Verbo Dei in unitate perſonæ? Huc ſummatim redeunt dictæ malæ præoccupationis argumenta, quæ certe nolim hic iterum ad trutinam revocare, dum id ſatis egi *Obſervationibus* meis, ubi ea ſingillatim disjeci. Malo enim ad radicem mali nunc manum, & falcem, quod ajunt, apponere. Quod ut faciam, rem altius repetere juvat, & ob oculos ponere, quod cultus, honor, reverentia, & obſequium, utpote cauſam, & fomentum habentia ab aliqua prærogativa, quam ſuſpicimus, & admiramur in iis, quos utpote reverentia, & obſequio dignos colimus & honoramus, non

B cadunt,

cadunt, nec cadere poſſunt niſi in hypoſtaſim ſubſiſtentem in rationali, ſeu intellectuali natura, quam perſonam dicimus. Ut enim ſola noſſe, ſic & ſola ſuſcipere poteſt alienam grati, devotique animi ſignificationem qualicumque honoris, & obſervantiæ officio explicatam. Quod etſi translatitium ſit, audire nihilominus præſtat a S. Thoma 22. *q.*103. *art.*1. *corp.*, ubi ait *quod honor teſtificationem quamdam importat de excellentia alicujus. Et* 3. *p. q.*25. *art.* 1. *corp. In eo qui honoratur, duo poſſumus conſiderare, ſcilicet eum, cui honor exhibetur, & cauſam honoris. Proprie autem honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti: non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, ſed quod homo honoretur .... Cauſa autem honoris eſt id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam. Nam honor eſt reverentia alicui exhibita propter ſui excellentiam.* Idque repetit tum *art.*2. *corp. Sicut ſupra dictum eſt, honor adorationis proprie debetur hypoſtaſi ſubſiſtenti*, tum *art.*3. pariter *in corp. quia reverentia nonniſi rationali naturæ debetur*, tum *art.*4. ſimiliter *in corp.* ubi rurſus inculcat, *quod ſicut ſupra dictum eſt, honor, ſeu reverentia non debetur niſi rationali naturæ.*

Hinc autem fit, ut cultus dividatur in abſolutum, & relativum. Abſolutus eſt, qui defertur, ut diximus, hypoſtaſi ſubſiſtenti in rationali, vel intellectuali natura. Relativus vero, qui tendit alio, ut cultus, quo ſacras honoramus imagines, & reliquias Sanctorum. Neque enim in iis ſiſtit imaginibus, atque reliquiis, quæ res ſunt inanimatæ, nec ex ſui cauſa adoratione dignæ, ſed aſcendit ad prototypum, & ad animas Sanctorum, quas in utriſque veneramur, ut apte diſſerit S. Thomas 3.*p. q.*25. *art.*4. *corp.* ubi *Honor*, inquit, *ſeu reverentia non debetur, niſi rationali naturæ*, (quod ad cultum ſpectat abſolutum,) *creaturæ autem inſenſibili non debetur honor, vel reverentia, niſi ratione rationalis naturæ*, (quod relativum cultum deſignat, cujus tantum eſt capax res ipſa ſenſu & ratione carens) *& hoc dupliciter. Uno modo in quantum repræſentat rationalem naturam. Alio modo in quantum ei quocumque modo conjungitur. Primo modo*

con-

conſueverunt homines venerari Regis imaginem. Secundo modo ejus veſtimentum. Utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur & Regem = & ſic adorare carnem Chriſti nihil eſt aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum: ſicut adorare veſtem Regis nihil eſt aliud, quam adorare Regem veſtitum, ut præmittit *art.2. in corp.* ubi proinde ſic ſtatim concludit. *Et ſecundum hoc adoratio humanitatis Chriſti eſt adoratio latriæ.* Animadvertendum eſt autem, humanitatem Chriſti in adoratione Verbi, quod caro factum eſt, nedum honorari poſſe dicto cultu ad eam protenſo ratione unionis hypoſtaticæ, qua dicitur Filius Dei *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, ad Philipp.2.*, ſed etiam conſiderari poſſe, ut eſt cauſa, & ratio adorationis; hoc enim reſpectu non eſſe *latriæ*, ſed *duliæ* cultu adorandam, mox tradere videtur S.Thomas *3.p.q.25. art.2. corp. Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quæ fit ratione humanitatis Chriſti perfectæ omni munere gratiarum: Et ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latriæ, ſed adoratio duliæ. Ita ſcilicet, quod una & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione latriæ propter ſuam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.* Et prius *art.1. corp. Sic ergo cum in Chriſto ſit tantum una perſona divina, & humanæ naturæ, & etiam una hypoſtaſis, & unum ſuppoſitum: eſt quidem ejus una adoratio, & unus honor ex parte ejus, qui adoratur, ſed ex parte cauſæ, qua honoratur, poſſunt dici eſſe plures adorationes: ut ſcilicet alio honore honoretur propter ſapientiam increatam, & alio propter ſapientiam creatam.* Quod tamen hypothetice potius, quam ſimpliciter & abſolute tradidiſſe dicendus eſt, quemadmodum magni nominis Theologi firmiſſime ſentiunt; ſuæque ipſorum ſententiæ vindicem, & interpretem adferunt eumdem S. Thomam. Sed omnium inſtar unus mihi erit Gaſpar Juenินius, qui *Inſtit. Theolog. par.4. Diſſert.6. quæſt.14. cap.1. in fin.* ita ſcribit: *S. Doctor duas adorationes Chriſto exhibendas eſſe concedit quidem hypothetice, ſi nempe humanitas concipiatur in ſtatu, in quo nec fuit, nec eſt, nec erit unquam in Chriſto; hoc eſt*

ſi intelligatur tamquam a Verbo, non diſtincta tantum, ſed etiam realiter ſeparata: verum cum ille humanitatis ſtatus non ſit realis, ſed fictitius tantum, ſequitur, duplicem adorationem realiter & in praxi Chriſto exhiberi non poſſe. Eam autem eſſe S. Thomæ mentem evidenter colligitur ex illius reſponſione ad primum argumentum (art. 2.) ſic enim loquitur: ſic intellectæ, ut ſeparatæ a Dei Verbo, deberetur ſibi adoratio duliæ, non cujuſcumque, ſed cujuſdam excellentioris, quam hyperduliam vocant (a).

CAPUT V.

Cor Chriſti carneum reſpici nequit ut adorationis cauſa. Humanitas Chriſti non adoratur cultu latriæ niſi ratione Divinæ perſonæ, cui juncta eſt, & ad quam nos deducit. Cor ejus materiale ſi ſumatur ut res adorata, cultum reſpuit abſolutum quantum eſt ex propria ſui vi; non eum quippe pars ulla ſuſcipit, ſed unum totum.

UTrovis autem ex his modis, ſive ut ratio & cauſa cultus, ſive ut res quæ colitur, reſpiciatur exadverſo Cor Chriſti carneum, inepte prorſus obtruditur tamquam objectum novi Feſti. Nam ſi ſpectetur quaſi ratio & cauſa cultus, nulli uſui eſſe

(a) Hanc rectam, & ſanam Theologorum interpretationem turbare nequit, quod S Doctor *in corp.* utriuſque *art* 1. *&* 2. duliæ cultum cadere faciat, ut videtur, in ipſam Chriſti perſonam. Id enim facit, aut facere videtur, habito tantum reſpectu ad cauſſam cultus, quæ utpote quid creatum, impos eſt ad fundandam latriam. Sed quod hujuſmodi reſpectus, velut incidens in ſuppoſitum increatum quod cultum ſuſcipit, nonniſi hypothetice poſitus fuerit a S. Thoma (relative nempe ad id quod per ſe ferret humanitas Chriſti a Verbo ſeparata) vel ex eo plane liquet, quod exemplum profert de dulia, quam Deo debitam dicit ratione dominii. Quis enim adeo vecors eſt, ut eam proprie cadere poſſe putet in Deum? Patet ergo, quod quam poſuit in Chriſto duliam in abſtracto, attenta nempe proportione, & menſura cauſſæ, non exceſſu, & infinitate perſonæ; eam ſumpſit in concreto pro latria quæ debetur, & ſola congruit Homini Chriſto ob unitatem perſonæ divinæ: ut præmiſſum declarans exemplum, nitide expoſuit S. Doctor 22. *q.*113. *art.*3. *ad* 1. ubi ait *quod ſicut religio per excellentiam dicitur pietas, in quantum Deus eſt per excellentiam Pater; ita etiam latria per excellentiam dicitur dulia, in quantum Deus excellenter eſt Dominus*, atque hic poſſet addere: *& in quantum Chriſtus excellenter eſt Homo, ſcilicet Homo-Deus.*

Digitized by Google

eſſe poteſt ad eum fundandum, qui ſit infra latriam. Hujuſmodi namque cultus genus, tamquam hypotheſis tantum fictitia, concipi valet, ut vidimus, in Homine Chriſto. Et quidem ſi ea fingeretur hypotheſis, qua ipſa humanitas Chriſti eſſet a Verbo divino avulſa ac ſeparata, velle eam adorare *latriæ* cultu, fœdiſſimus error eſſet, atque delirium *Joannis Wicleſſi*, de quo plura ſcribit Dionyſ. Petavius *lib.* 15. *Theol. Dogm. de Incarn. cap.* 4. *n.* 12. Oportet igitur, ut Patroni *Cordis* de cultu certent *poſitivo*, qui ei deferatur uti eſt cum divino Verbo conjunctum. Is autem niſi unus *latreuticus* ſit, vix ab errore ſejungi quiverit, ut non obſcure ſignificavit etiam S. Thomas loco citato 3. *p. q.* 25. *art.* 1. *corp.* ubi poſt hypotheticum *thema* quod *ex parte cauſæ qua honoratur, poſſunt dici eſſe plures adorationes*, rem inde deducens ad ſenſum poſitivum, ab eo nos deterret affini illa cum heterodoxis conditione: *ſi ponerentur in Chriſto plures perſonæ, ſequeretur quod SIMPLICITER eſſent plures adorationes*. Hinc error fuit *Gilberto Porretano* a Gaufredo Abbate Clarevallenſi tributus: *humanam Chriſti naturam, etiam Verbo unitam, non latriæ cultu, ſed inferiore adorari, qui hyperduliæ dicitur*; ut idem Petavius narrat laud. loco. Reſtat igitur, ut ratio & cauſa cultus repetatur a Corde Jeſu pro ſola latria. Sed hic etiam Patronis Cordis hæret aqua. Adoratio quippe latriæ non exhibetur Chriſto propter ejus humanitatem, ſed ob divinitatem unitam carni in perſona Verbi, ut unanimis conſenſio & tradito Patrum luculentiſſime profitetur. Unde Damaſcenus *lib.* 4. *Orthodox. Fid. cap.* 3. *Caro*, inquit, *ſecundum ſui naturam non eſt adorabilis; adoratur autem in incarnato Deo Verbo non propter ſe ipſam, ſed propter conjunctum ipſi ſecundum hypoſtaſim Deum Verbum*. Non poteſt itaque proprie ſumi a carne Chriſti latriæ cauſa vel ratio.

Non nego tamen ea quæ ſunt hominis in Chriſto, ad latriam nos perducere tamquam medium quoddam, & aditum, dicente Apoſtolo *ad Hebræos* 10. de Chriſto Jeſu: *Initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id eſt carnem ſuam*.

Sed

Digitized by Google

Sed id eſſe dico totius humanitatis, non partis tantum ipſius, uti declarat idem Apoſtolus *ad Rom.* 5. *Acceſſum habemus per Jeſum Chriſtum ad Deum*: ut legit S. Thomas 3.*p.q.*14. *art.*1. *ad* 4. Nefas proinde eſt, ut irreligioſa novitate proprium Cordi fiat quod commune eſt totius hominis in Chriſto; adverſus quam novitatem exarſiſſe videtur S. Ambroſius *lib.*3. *de Spiritu Sancto cap.* 12. *Neque enim diviſus Chriſtus, ſed unus.* Et *lib. de Incarnat. Dom. Sacram. cap.* 5. *Cum Deus ſemper eſſet æternus, Incarnationis ſacramenta ſuſcepit non dividuus, ſed unus.* Ac certe *unum adorandum hominem factum, & incarnatum Dei Verbum*, & quidem *unica adoratione*, orthodoxa eſt S. Cyrilli, omniumque omnino Eccleſiæ Patrum confeſſio; nec umquam aut legimus, aut audivimus a Majoribus noſtris, noſtræque Fidei Inſtitutoribus: *Unum eſſe adorandum Cor factum, Cordique unitum Dei Verbum*. Hoc tamen adeo novum & abſurdum tum linguæ, tum doctrinæ genus Adverſarii noſtri in Eccleſiæ-ſinum intrudere vellent. Quod quam alienum ſit ab avita Religione Patrum, & ab illius unicæ adorationis regula, quæ toti Chriſto *Deo-homini*, non *Deo-cordi hominis* tribuenda eſt, boni quique & prudentes antiquæ pietatis cultores facile intelligere poterunt.

Quamvis autem abſurdum, de quo mox diſputavimus, facili negocio declinare queant Adverſarii, ſi ſtatuere ſe dixerint objectum cultus in Corde Jeſu, non quatenus cauſa & ratio ſit adorationis, ſed quatenus cultum terminet, ut res nempe adorata, quod ad alterum pertinet objecti modum ſupra jam poſitum; non tamen æque facile, ut arbitror, reſpondere poterunt interrogantibus, ad utram id ſpectet cultus ſpeciem, abſolutine, an relativi? Nam ſi cultum illum abſolutum eſſe velint, obviam fit eis ejuſmodi cultus idea, quæ non cadit, ut vidimus, niſi in perſonam, ſive in hypoſtaſim ſubſiſtentem in intellectuali natura, ut ſupra docti ſumus a S. Thoma. Rationem autem perſonæ adeo repugnare putat Angelicus Præceptor conceptui partis, qualis eſt cor inter alia membra corporis, ut ad excludendam ab ipſa humanitate Chriſti perſonalita-

litatem propriam, hanc apte rationem adferat 3. *p. q.* 16. *art.*2. *ad* 2. *Quod ſubſtantia individua, quæ ponitur in diffinitione perſonæ, importat ſubſtantiam completam per ſe ſubſiſtentem ſeparatim ab aliis. Alioquin manus hominis poſſet dici perſona, cum ſit ſubſtantia quædam individua: quia tamen eſt ſubſtantia individua ſicut in alio exiſtens, non poteſt dici perſona. Et eadem ratione nec humana natura in Chriſto, quæ tamen poteſt dici individuum, vel ſingulare quoddam.* Et melius ſupra *q.*2. *art* 2. *ad* 3. *Sciendum eſt tamen, quod non quodlibet individuum in genere ſubſtantiæ etiam in rationali natura habet rationem perſonæ: ſed ſolum illud, quod per ſe exiſtit, non autem illud quod exiſtit in alio perfectiori. Unde manus Socratis quamvis ſit quoddam individuum, non tamen eſt perſona, quia non per ſe exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in ſuo toto. Et hoc etiam poteſt ſignificari in hoc, quod perſona dicitur ſubſtantia individua. Non enim manus eſt ſubſtantia completa, ſed pars ſubſtantiæ. Licet ergo hæc humana natura ſit quoddam individuum in genere ſubſtantiæ: quia tamen non per ſe ſeparatum exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in perſona Dei Verbi, conſequens eſt, quod non habeat perſonalitatem propriam.* Et *art.*3. *ad* 2. ubi *Quod hypoſtaſis ſignificat ſubſtantiam particularem non quocumque modo, ſed prout eſt in ſuo complemento. Secundum vero quod venit in unionem alicujus magis completi, non dicitur hypoſtaſis: ſicut manus, vel pes: Et ſimiliter humana natura in Chriſto quamvis ſit ſubſtantia particularis: quia tamen venit in unionem cujuſdam completi, ſcilicet totius Chriſti, prout eſt Deus & homo, non poteſt dici hypoſtaſis, vel ſuppoſitum. Sed illud completum, ad quod concurrit, dicitur eſſe hypoſtaſis, vel ſuppoſitum.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Chriſtus Dominus ratione ſuppoſiti æterni, quod carnem ſumpſit in tempore, totus eſt ſub qualibet parte naturæ aſſumptæ. Cultus Cordis non poteſt eſſe abſolutus, niſi materialiter tantum, formaliter vero nonniſi relativus. Eoque ſenſu non habet objectum reale, ſed ſolum ideale contra conſtantem Eccleſiæ morem.

NE qua vero hinc ſumatur errandi occaſio, diligenter eſt obſervandum, quod dum Cordi Jeſu, prout accipitur ut res adorata, rationem negamus cultus abſoluti, non id intelligimus reſpectu Chriſti, cujus perſonæ unitum ſupponitur, ſed ſola ratione ipſius cordis, quatenus nempe, quum pars ſit humanæ naturæ, imo pars partium illius, hoc eſt, corporis, non habet in ſe conditionem, quæ proprie requiritur ad cultum abſolutum, ut nempe cadat in rem perfecte completam, & ſubſiſtentem per ſe in rationali, aut intellectuali natura. Nam de cætero quum Chriſti cor unitum ſit perſonæ Verbi, Chriſtus in ſuo corde, & in quavis alia parte corporis, quæ diviſa ſupponeretur a reliquis, adorandus eſſet adoratione latriæ, quia totus eſt in corde, totuſque in qualibet alia corporis parte. Quod ut melius intelligatur, & hujuſmodi *totalitatis* intima vis penetretur ac ratio, præmitto cum S. Thoma 1. *p. q.*31. *art.*2. *ad* 4. *Quod neutrum genus eſt informe, maſculinum autem eſt formatum & diſtinctum, & ſimiliter fœmininum. Et ideo convenienter per neutrum genus ſignificatur eſſentia communis; per maſculinum autem, & fœmininum aliquod ſuppoſitum determinatum in communi natura. Unde etiam in rebus humanis ſi quæratur, quis eſt iſte? reſpondetur Sors, quod nomen eſt ſuppoſiti. Si autem quæratur, quid eſt iſte? reſpondetur Animal rationale, & mortale.* Atque hinc ad rem noſtram præclare concludit 3. *p.*

q.52.

q.52. art.3. corp. Quod ſicut patet ex his, quæ in prima parte dicta ſunt, maſculinum genus refertur ad hypoſtaſim, vel perſonam, neutrum autem genus pertinet ad naturam. In morte autem Chriſti licet anima fuerit ſeparata a corpore, neutrum tamen fuit ſeparatum a perſona Filii Dei, ut ſupra dictum eſt. Et ideo in illo triduo mortis Chriſti dicendum eſt, quod totus Chriſtus fuit in ſepulchro: quia tota perſona fuit ibi per corpus ſibi unitum. Et ſimiliter totus fuit in inferno: quia tota perſona Chriſti fuit ibi ratione animæ ſibi unitæ. Totus etiam Chriſtus tunc erat ubique ratione divinæ naturæ. Et ad objectum quod *corpus Chriſti eſt pars ejus* opportune reſpondet *ad* 1. *quod corpus, quod tunc erat in ſepulchro, non eſt pars perſonæ increatæ, ſed naturæ aſſumptæ. Et ideo per hoc, quod corpus Chriſti non fuit in inferno, non excluditur, quin totus Chriſtus fuerit, ſed oſtenditur, quod non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam.* Nam ut addit *ad* 2. *Ex anima, & corpore unitis conſtituitur totalitas humanæ naturæ, non autem totalitas divinæ perſonæ. Et ideo ſoluta unione animæ, & corporis per mortem, remanſit totus Chriſtus, ſed non remanſit humana natura in ſua totalitate* (a), & docet etiam S. Auguſtinus *lib.*3. *de Symbol. cap.*7. *Totus Filius apud Patrem, totus in Cælo, totus in terra, totus in utero Virginis, totus in Cruce, totus in inferno, totus in Paradiſo, quo Latronem introduxit.*

Ex quibus ad liquidum conſtat, quod Chriſtus æqua le-

(a) Et conſequenter in triduo mortis Chriſtus non fuit homo, ne ſubruatur articulus mortis ejus, ut docet S Thomas 3. *p. q.*50, *art.* 4. *corp. Mors enim hominis, vel animalis provenit ex ſeparatione animæ, quæ complet rationem animalis, vel hominis. Et ideo dicere Chriſtum in triduo mortis hominem fuiſſe, ſimpliciter, & abſolute loquendo, erroneum eſt. Poteſt tamen dici quod Chriſtus in triduo fuit homo mortuus.* Nec refragatur etiam poſt mortem Sacerdotem eum manſiſſe, quod eſt hominis proprium; reſpondet enim *ad* 3. *Quod eſſe Sacerdotem convenit homini ratione animæ, in qua eſt Ordinis character. Unde per mortem homo non perdit Ordinem Sacerdotalem, & multo minus Chriſtus, qui eſt totius Sacerdotii origo.* Et confert quod producit ex S Athanaſio *art.*3. *in* 2. *arg.* dum anathema dicit in eum *qui totum hominem, quem aſſumpſit Dei Filius, denuo aſſumptum, vel liberatum tertia die a mortuis reſurrexiſſe non confitetur.* Sed ſimul ad rem addit *ad* 2. *Quod in verbis illis Athanaſius non intellexit quod totus homo denuo ſit aſſumptus, ideſt omnes partes ejus, quaſi Verbum Dei partes humanæ naturæ depoſuerit per mortem; ſed quod iterato totalitas naturæ aſſumptæ ſit in reſurrectione redintegrata per iteratam unionem animæ, & corporis.*

ge, & ratione cultu abſoluto adoratur ſive ſub toto, ſive ſub parte naturæ aſſumptæ. Sed æque ſimul intelligitur, totam naturam aſſumptam, ſive partem ejus, puta, Corpus, aut animam, ſive etiam partem partis, ut Cor, non ſufficere per ſe ad cultum abſolutum, quia propria caret perſonalitate, ſed perſonæ ſubjicitur Verbi Dei, ut paullo ante viſum eſt; & loquens de Anima Chriſti ſpecialiſſime docet S. Thomas 3. *p. q.* 25. *art.* 1. *ad* 3. ubi ait *Quod Anima Chriſti ſi non eſſet unita Dei Verbo, eſſet id, quod eſt principaliſſimum in homine illo. Et ideo ſibi præcipue deberetur honor: quia homo eſt id quod eſt potiſſimum in eo. Sed quia Anima Chriſti eſt unita perſonæ digniori, illi perſonæ præcipue debetur honor, cui Anima Chriſti unitur.* Reſtat igitur, ut Adverſarii concedant, cultum Cordi delatum uti rei adoratæ, etſi quidem ratione unionis hypoſtaticæ ſit & ipſe abſolutus materialiter, nonniſi tamen relativum eſſe formaliter acceptum (*a*). Hoc autem ſemel ſtatuto, prout ex præmiſſis ſtatuere debent, ad alterum ſcopulum jam appingunt. Quicquid enim proferunt pro ſpeciali cultu Cordis Jeſu ab ejus amore, & doloribus præſertim petitum, nihil facit ad rem; Tum quia non eſt certum apud Philoſophos, an prima illorum motuum origo ſit potius in corde, quam in cerebro, ut ſupra nos monuit ſa: me: Benedictus XIV. Tum quia licet primitus orirentur ex Corde, non ſunt tamen ab eo, vel in eo, niſi prout eſt inſtrumentum Animæ, quæ ſola jura tenet primi agentis, primique patientis, ut nos ipſi latiſſime probavimus in *Obſervationibus* ad Feſtum Cordis Jeſu. Ex his autem efficitur, objectum Cordis carnei non eſſe quid reale, ſed potius *ideale*, quod

(a) Cui diſtinctioni, quam Scholaſticorum terminis exprimendam cenſui, perſpicue ſuffragatur Damaſcenus *Orat.* 1. *de Imaginibus*, in qua de materia, ſeu carne Chriſti hæc habet. *Non materiam, ſed materiæ Auctorem adoro, qui propter me materia factus eſt, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi ſalutem præberet; materiam vero, per quam mihi ſalus parta eſt, colere non deſinam, non tamen ut Deum: abſit.* Quibus innuere voluit, materiam, ſeu carnem Chriſti, utpote factam perſonæ Verbi, non Verbi perſonam, divino affici cultu, non ratione ſui, ſed ratione divinitatis unitæ; quod eſt eum eſſe abſolutum materialiter propter identitatem ſuppoſiti: relativum vero formaliter ob inconfuſam utriuſque naturæ proprietatem, ac formam in eadem perſona, vel hypoſtaſi increata, & æterna Hominis Dei.

quod non ſufficit ad materiam cultus juxta perpetuum Eccleſiæ morem, ut docte probat Vir clariſſimus Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus Judicio illo graviſſimo, quod editum anno 1728. contra novas Obſervationes oblatas pro obtinendo Officio & Miſſa Cordis Jeſu, legitur inter Opera poſthuma Illius Vitæ narrationi adjecta *par.* 2. *pag.* 105. *ad* 108.; Idemque monet etiam ſa: me: Benedictus XIV. in *Animadverſionibus*, quas uti Promotor Fidei in ea Cauſa paravit. Ait enim *ſub* §.5. *Cum autem Feſtum, de cujus inſtitutione nunc agitur, nec Paſſionis inſtrumenta, nec Sacratiſſimi Corporis extantes in mundo reliquias reſpiciat, ſuadetur ex his, dictam inſtitutionem, utpote a praxi Eccleſiæ diſſonam, non eſſe auctoritate Sedis Apoſtolicæ ullatenus permittendam.*

CAPUT VII.

Corpus Chriſti naturale ſemper integrum manſit, ac indiviſum. Et propterea typus eſt unitatis in ejus Corpore myſtico. Cultus Cordis, utpote tendens in unam corporis partem, falſam ingerit diviſionis ſpeciem, eôque ducit, ut putetur fuiſſe aliquando diviſum a corpore.

SED quoniam, ut ſupra monui, ea mihi mens eſt atque animus, ut cultum Cordis carnei vitioſum evincam in radice, hoc eſt obnoxium notæ *cultus falſi*, non eſt, cur diutius iis immorer argumentis; quæ quamvis ſuum obtineant firmiſſimum robur, novamque virium acceſſionem accipiant ex multis, quæ facile ſequerentur, abſurdis, eoque præſertim, quod aditum aperiret inſtitutioni novorum Feſtorum quoad alias partes Corporis Chriſti, puta, Feſto Lateris, quod lancea vulneratum eſt, Feſto Capitis, quod ſpinis ſeptum, Feſto Manuum, ac Pedum, qui clavis transfixi ſunt, ut laudati ponderant ſapientiſſimi Auctores, & nos etiam animad-

Digitized by Google

vertimus in noſtris *Obſervationibus*; ea tamen, ut verum fatear, videri poſſent aliena a ratione præſentis inſtituti, quod habet, ut dixi, pro ſcopo falſitatem intrinſecam dicti cultus. Ad hanc igitur, miſſis cæteris, orationem converto, meque his cohibebo quaſi finibus, quos amodo non facile tranſiliam. Quo vero facilius, ac maturius, quod ſum orſus, expediam, duo præmitto, quæ ſunt adeo certa, ut non poſſint a quoquam in dubitationem adduci. Primum eſt, quod Corpus Chriſti naturale id ſibi præcipuum vindicat, ut diviſionis ſit expers, & ſumma polleat integritate. Alterum vero, quod hoc ipſum unitatem commendat ac ſignat in ejus Corpore myſtico, quod nos ſumus cum aliis membris Eccleſiæ. Scripturæ loca, quæ primum adſtruunt, deſcripta ſunt in noſtris *Obſervationibus*, & cuique ſunt obvia. De ſecundo vero fidem facit concors Sanctorum Patrum doctrina; qua de re nonnihil delibatum eſt in eiſdem *Obſervationibus*, ſed & præclariſſima in primis ſunt Scripturarum teſtimonia, quæ Eccleſiam tamquam unum, atque myſticum Chriſti Corpus,in reali ejus Corpore ſecundum illius unitatis, & integritatis myſteria, frequentiſſime repræſentatam deprædicant. Huc ſpectat illud *Joan.*12. ubi Dominus dixit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Huc illud 1. *ad Corinth.*1. ubi ad compeſcendum Corinthiorum diſſidium eò uſque acerbitatis, & offenſionis adductum, ut inter ſe contendentes alter adverſus alterum clamaret: *Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Chriſti*: Apoſtolus Paulus hanc ipſam myſterio plenam integritatem Chriſti ante oculos eis poſuit, vehementerque ſuccenſus in ſchiſmatis auctores, quid? inquit: *Diviſus eſt Chriſtus*? Nempe,ut hunc ipſum locum commentatur S.Thomas 3.*p.q.*83. *art.* 5. *arg.*7. *pro inconvenienti habet, quod Chriſtus diviſus ſit*.

Sed quid plura? Nihil tam crebro inſinuat Paulus,quam myſterium indiſſolubilis unitatis Eccleſiæ, Corporis ſcilicet myſtici Chriſti Jeſu, perfectum jam & abſolutum in *Corpore carnis ejus*. *Unum corpus ſumus in Chriſto*. *Roman.* 12. *Sicut corpus unum eſt, & mem-*

Digitized by Google

& membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. 1. *Cor.* 12. *Omnes unum eſtis in Chriſto Jeſu:ad Gal.* 3. *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius ..... Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum ... ſolvens inimicitias in carne ſua ... ut duos condat in ſemetipſo, & reconciliet ambos in uno corpore ..... in ſemetipſo ..... unum corpus, unus ſpiritus ..... Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ ..... quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus ..... Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Epheſ.* 1. 2. 4. & 5. Hinc Auguſtinus *lib.* 2. *contr. Literas Petiliani* Donatiſtas alloquens: *Inſani*, inquit *cap.* 88., *gladius Petri quamvis adhuc carnali motu animi, tamen pro Chriſti corpore in corpus perſecutoris exertus eſt: veſtra vero arma adverſus Chriſtum diviſa ſunt. Corpus vero cui ille caput eſt, ideſt Eccleſia ejus, per omnes gentes eſt. Ipſe hoc dixit, & adſcendit in Cælum, quo eum furor Judæorum ſequi non potuit, & membra ejus in corpore, quod adſcendens commendavit, furor veſter oppugat.* Cæterum in iis, quæ mox recitavimus, Apoſtoli Pauli teſtimoniis, illud accidere intelligimus, quod in divinis Scripturis obſervandum monuit Hipponenſis Antiſtes *lib.* 3. *de Doctr. Chr. cap.* 31.; *Aliquando*, ſcilicet, *capitis & corporis, ideſt Chriſti & Eccleſiæ perſonam nobis intimari. Nam a capite ad corpus, vel a corpore tranſitur ad caput; & tamen non receditur ab una eademque perſona.* Tanta eſt inter Chriſtum caput, & corpus ejus conjunctio! Quid nunc fiet ſi Chriſtum caput, ejuſque reale corpus ex carne & oſſibus conſtans, in partes ſectum, diviſumque finxeris? Tale etiam fingas neceſſe eſt myſticum ipſum Chriſti corpus in partes ſectile ac diviſibile; aut monſtrum erit, in quo Chriſtus caput erit diviſum corporis individui. Sicque non una amplius Chriſti & Eccleſiæ perſona in ſacris Litteris intimabitur; & ita etiam magnum illud indiſſolubilis unitatis, integritatiſque myſterium, quod eſt in Chriſto & Eccleſia, repente evaneſcet.

Ex his autem ſtatim conficitur, in cultu Cordis carnei manifeſtam

Digitized by Google

ſeſtam ineſſe falſitatem. Nam qui partem colit, qualis eſt cor inter alias corporis partes, eam ingerit intuentibus ſpeciem, quæ partem a toto ſectam, atque divulſam exhibeat, quod nefas eſt in Corpore Chriſti. Nam, ut arguit S-Thomas 22.*q.*93.*art.*1. *corp. Eſt mendacium, cum aliquis exterius ſignificat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto: & in tali ſignificatione facti conſiſtit exterior Religionis cultus, ut ex ſupradictis patet. Et ideo ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificetur, erit cultus pernicioſus.* Quod vero cultus Cordis, qui proprie tendat, ut Adverſarii volunt, in ipſum phyſice Cor, eam ingerat intuentibus ſpeciem, quæ partem a toto ſectam atque divulſam exhibeat, tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Nam ad rationem partium integralium exigitur, *ut totum non adſit ſingulis partibus, neque ſecundum totam virtutem ejus, neque ſecundum totam ejus eſſentiam, ſed omnibus ſimul*, ut hiſce notat verbis S. Thomas 3.*p.q.*90.*art.*3.*corp.* Unde cultus Cordis carnei ſignificatione ſua integritati adverſatur Corporis Chriſti, eoque nomine falſus deprehenditur & pernicioſus, utpote derogans veritati rei ſignificatæ, quia ſacrum Chriſti Cor ſemper coaluit cum integro illius Corpore, quod prophetice præmonſtratum *Num.*9. verbis illis: *Et os ejus non confringent*; re tandem ipſa mirifice impletum teſtatur Evangelica nota *Joan.* 19. *Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura...... Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo.*

CA-

CAPUT VIII.

Idea totius integralis non patitur, ut in cultu Cordis eminere dicatur intentio totum colendi Corpus Chriſti. Ad mendacium pertinet facti, quod ſignum, exterius datum, diſſonum ab eo ſit, quod quis habet in mente.

APage vero! novi hujus cultus Aſſertores inquiunt. Cor certe non ſeparamus a cæteris partibus, quibus conſtat, & compactum eſt totum Chriſti Corpus. Ab hoc enim errore, qui certe peſtiferus eſſet, alieni ſumus quam qui maxime. Corde namque credimus, & ore profitemur, latriæ cultum haud aliter impendendum eſſe Cordi Chriſti, quam ut vivit, & ut animatum eſt, & divinitati unitum cum corpore & anima in medio ventris ejus ad dexteram Patris, & in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento. Optimam ſane doctrinam, & præclaram dicti cultus notionem! Teneamus itaque confeſſionem, & videamus, an quod recte credunt, & recte prædicant, ipſa etiam actione recte perficiant, hoc eſt, an ſignificatio, quam cultus exprimit Cordis carnei, cordi conſonet ac ori tam juſte ſentientium, atque loquentium. Ab eis ergo ſciſcitamur, eademne ſit apud ipſos, ac penes cæteros *totius integralis* idea, ut ſit nempe majus, & pro majori ſit habendum, quam ſingulæ quæque partium integrantium? Injuria plane ſe affectos arbitrabuntur, ab iis quærere me, quod ſit adeo certum, ac tritum, ut in dubium revocari non poſſit ab homine ſano. Hinc itaque metiantur, hinc agnoſcant, utrum cultus, pro quo pugnant Cordis carnei, ſignificatione ſua inficiat nec ne, quod ipſi recte credunt, & recte profitentur de dicto Corde? non eſſe nempe ſeparandum a Corpore, non ab Anima, non a divinitate Chriſti Domini. Non illud quidem ab his ſeparant gladio cordis, non ſeparant ab his gladio linguæ, ſed ſeparant tamen gladio operis,

ris, ſin minus re ipſa, quia fidem habent rectam, rectamque confeſſionem de Corde hominis Dei, ipſa ſaltem ſignificatione; quippe quæ cultum demonſtrat, quem intuenti, ſi ſit homo ſanus, non aliud patiatur in mentem venire, quam ut parti impendatur, non toti, quod integritatem lædit Corporis Chriſti. *Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto*, ut opportune ait S. Thomas 22. *q.* 111. *art.* 1. *corp. Et ideo cum dicitur, quod mendacium eſt falſa vocis ſignificatio, nomine vocis intelligitur omne ſignum*, uti præmittit S. Doctor *q.* 110. *art.* 1. *ad* 2. Unde ſubdit *d. q.* 111. *art.*2. *ad* 3. *Quod in ſimulatione ſicut in mendacio duo ſunt. Unum quidem ſicut ſignum, & aliud ſicut ſignatum .... Exteriora autem vel verba, vel opera, vel quæcumque ſenſibilia conſiderantur in omni ſimulatione, & mendacio ſicut ſigna.*

Quare ſi reum procul dubio agerent Adverſarii pernicioſi impudentiſque mendacii eum omnem, qui temere prorſus, & impie affirmare auderet: Cor Jeſu non eſſe colendum, uti vivit, & uti animatum eſt, & Divinitati unitum cum Corpore, & Anima in medio ventris ejus apud Patrem in Cælis, & in Sacramento Altaris in terris, ſed ut Corda ipſa carnalia Sanctorum hominum Deo fruentium, quæ mortua veneramur, & a reliquo corpore diviſa, uti Cor eſt S. Caroli, quod colitur in Urbe Roma; rationes & ipſi ſecum ineant, videantque quid illi contra agant, & ſi boni erunt & æqui, facile deprehendent, verſari ſe vel invitos in eadem navi. Nam ſi conferant, ut par eſt, ideam Cordis carnei, quod objectum cultus eſſe volunt, cum idea *totius integralis*, quod a parte non concluditur, ſed excluditur, velint nolint, agnoſcant oportet eo ducere cultum Cordis carnei, ut ſignificatu ſuo ideam deſtruat integritatis Corporis Chriſti, quod ad mendacium pertinet facti, parique fungitur poteſtate, atque alterum, quod & ipſi cum Catholicis omnibus execrantur, ut optime differit S.Thomas 22. *q.*111. *art.*1. *corp. Signa autem exteriora non ſolum ſunt verba, ſed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud ſigni-*

ſignificet, quam quod habet apud ſe, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificet contrarium ejus, quod in eo eſt: quod proprie ſimulatio dicitur. Unde ſimulatio proprie eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens, & ante 1. *p. q.* 19. *art.* 10. *in* 2. *arg. Omne ſignum quod non concordat ei, cujus eſt ſignum, eſt falſum*. Hujuſque rei rationem affert 22. *quæſt.* 111. *art.* 3. *ad* 2. *quia veritas dicitur ſecundum quod ſigna concordant ſignatis*.

CAPUT IX.

Judæorum ritus uſurpari non poſſunt ſine crimine, quia falſam exhibent ſignificationem, quaſi Christus necdum venerit, ſed venturus eſſet. Partialis cultus Cordis Jeſu ſpecie ipſa falſum quid enunciat de vero ac reali corpore Chriſti, ejuſque integritati penitus adverſatur.

QUÆ capite ſuperiore tradidimus apto ſatis exemplo illuſtrari poſſunt, quod ad rem profert S. Thomas 22. *q.* 93. *art.* 1. *corp. Et hoc modo tempore novæ Legis peractis jam Chriſti myſteriis pernicioſum eſt uti cæremoniis veteris Legis, quibus Chriſti myſteria figurabantur futura: ſicut etiam pernicioſum eſſet, ſi quis verbo confiteretur, Chriſtum eſſe paſſurum*. Et plenius 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. *corp.* ubi ait *quod omnes cæremoniæ ſunt quædam proteſtationes fidei, in qua conſiſtit interior Dei cultus. Sic autem fidem interiorem poteſt homo proteſtari factis, ſicut & verbis: & in utraque proteſtatione, ſi aliquid homo falſum proteſtatur, peccat mortaliter. Quamvis autem ſit eadem fides, quam habemus de Chriſto, & quam antiqui Patres habuerunt: tamen quia ipſi præceſſerunt Chriſtum, nos autem ſequimur, eadem fides diverſis verbis ſignificatur a nobis,*

bis, & ab eis. Nam ab eis dicebatur. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, quæ ſunt verba futuri temporis. Nos autem idem repræſentamus per verba præteriti temporis, dicentes, quod concepit, & peperit. Et ſimiliter cæremoniæ veteris Legis ſignificabant Chriſtum ut naſciturum, & paſſurum: noſtra autem Sacramenta ſignificant ipſum ut natum, & paſſum. Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc ſuam fidem proteſtando diceret, Chriſtum naſciturum, quod antiqui pie, & veraciter dicebant: ita etiam peccaret mortaliter, ſi quis nunc cæremonias obſervaret, quas antiqui pie, & fideliter obſervabant. Et hoc eſt quod Auguſtinus dicit contra Fauſtum. Jam non promittitur naſciturus, paſſurus, reſurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo perſonabant: ſed annuntiatur, quod natus ſit, paſſus ſit, reſurrexerit, quod hæc Sacramenta, quæ a Chriſtianis aguntur, jam perſonant.

Porro cultus Cordis ſymbolice ſumpti nihil repræſentat, quod integritati repugnet Corporis Chriſti. Non eo quippe ſignificatur ulla partis a toto diviſio, ſed omnium partium cum toto concretio. Signat enim, recolitque memoriam illius divini amoris, quo Filius Dei humanam induit naturam in unitate perſonæ, ſuamque erga nos miſerationem diffudit aptiſſime deſignatam ſub typo Cordis, ut mirabundus prævidit, & expreſſit patientiſſimus hominum *Job.7. Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quod multis etiam exornavi in *Obſervationibus* meis. At cultus contra Cordis carnei propria vi ſectionem repræſentat, ac diviſionem corporis Domini. Sicut enim inſtitutione divina ritus Judæorum Chriſtum portendebant, ut futurum, eaque ratione Chriſto jam nato non poſſunt adhiberi ſine crimine, ut rurſus confirmat S. Thomas 22. *qu.92. art.2. ad 3. Simulata*, inquit, *religio nihil eſt aliud, quam cultus Deo vero exhibitus modo indebito: ſicut ſi aliquis tempore gratiæ vellet colere Deum ſecundum veteris Legis ritum*: Sic etiam ex primis notionibus a natura cuilibet inditis, conſtans eſt apud omnes opinio, ea, quæ fiunt circa

Digitized by Google

circa partem (*a*) non in ſymboli morem, ſed proprie, &, ut ſcholæ loqui amant, *terminative*, non eſſe toti communia. Neque enim hæc fieri poſſunt, quin pars ſpectetur ut ſecreta a toto; & ita unio illa reſolvatur, quam totum integrale ſervat cum propriis partibus. His autem, ut ego puto, vetamur diſtinctum, & ſpecialem cultum deferre Cordi Jeſu. Eo namque cultu ſignificaretur Cor illud haberi tamquam præcipuam, & ſingularem corporis Chriſti partem, ſicque etiam ſeligi ut adorandum ſine toto, & cæteris ejus partibus; quod quidem non aliud proinde eſſet, quam cultum Chriſto Deo exhibere *modo indebito*. Eoque pertinet, ut mihi videtur, quod in figura Paſchalis Agni diſſerte, ac diſtricte prohibitum fuit *Exod.* 12. *Nec efferetis de carnibus ejus foras*.

(a) Dico quidem *non in Symboli morem*. Nam quod ita fit circa partem, ut oſculum manus, aut pedis, id non terminatur ad partem in qua fit, ſed ad totum pro quo fit, ut ad rem explicat *Card. de Lugo de Incarnat. diſput.* 34. *ſect.* 2. *n.* 39. *Sic etiam oſculum pedis, vel calcei fit in pede, vel calceo, & licet obiter ſit adoratio pedis, vel calcei, non tamen primario; nam eſt nota ſummiſſionis internæ quam habemus illi cujus eſt pes, vel calceus. Quare non exhibetur nota exterior ipſi pedi, ſed in pede exhibetur illi cujus eſt pes, quia oſculum eſt nota externa ſervitutis, non ad pedem primario, ſed ad perſonam*. Secus tamen eſt quum actio fit proprie circa partem, & objective terminatur ad illam, ut cultus; de quo diſceptamus, ad Cor carnis. Tunc enim quod agitur circa partem, nedum agi ſignificatur in parte, ſed etiam pro parte, & ſola parte: ſicut id quod dicitur 1. *Corinth.* 12. *v.* 23. *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus*.

CAPUT X.

Non ſufficit fides interna, dum quid agitur, quod ad infidelitatem pertinere videatur. Ita nec ſufficit integritatem corporis Chriſti ſervare actu mentis interno. Cultus Cordis, quà pars eſt corporis, ex inditis cujuſque menti principiis primis, interpretativam infert diviſionem in corpus Chriſti. Pars non accipitur pro toto, nec accipi poteſt, ſi proprie ſumatur, ſed tantum ſi figurate.

NON ſufficit igitur, ut quis recte ſentiat, & recte loquatur de integritate Corporis Chriſti, ſed opus eſt etiam, ne quid agat exterius in cultu Religionis, quod aſpectu ſuo illius integritati contrarium videatur. Sic etiam ad licitum reddendum vel Malabaricarum, vel Sinenſium cæremoniarum uſum non ſufficit prætextum adferre rectæ intentionis, qua quis forte dixerit in iis obſervandis aliud plane nihil ſe in animo habuiſſe, quam ad unum patrium morem qua civicum, non qua ſuperſtitioſum apud eas gentes ſpectatum ſe conformare, ſed oportet præterea ne in exterioribus ipſis cæremoniis quidquam ſit, quod ſpeciem ſuperſtitionis ſecum ferat, & a Chriſtianæ Religionis puritate videatur alienum. Hinc Pontifices Maximi Clemens XI., & Benedictus XIV. (*a*) nullo habito reſpectu ad interiorem illam, occultamque intentionem utentium, ritus ipſos exteriores, quemadmodum apud Malabares, & Sinenſes in omnium conſpectu exercentur, tamquam omnino ſuperſtitioſos, & Chriſtiano homini perpetuo exſecrandos, ac deteſtabiles ſemel & iterum condemnarunt. Quid? quod vel is qui adoleret incenſum idolis, non eſſet infidelis, dummodo fidem, bonamque intentionem in corde menteque ſervaret? Et hunc tamen ipſum infidelem eſſe, quicquid contra nonnulli hete-

(*a*) Vide ſis Conſtit. ejus 59., & 114. Bullar. Tom.I.

heterodoxi adverſus quos ſcribit S. Thomas, opinati fuiſſent, idem S. Doctor opportune demonſtrat 22. *qu.94. art.2. corp.* ubi hæc habet: *Et hunc etiam errorem ſequuti ſunt quidam hæretici, aſſerentes non eſſe periculoſum, ſi quis perſecutionis tempore deprehenſus, exterius idola colat, dum tamen fidem in mente ſervet. Sed hoc apparet manifeſte falſum. Nam cum exterior cultus ſit ſignum interioris cultus: ſicut eſt pernicioſum mendacium, ſi quis verbis aſſerat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam eſt pernicioſa falſitas, ſi quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod ſentit in mente.*

Quamvis igitur in cultu Cordis carnei non ſit error in mente, non ſit error in ore, eſt tamen error in opere, quod ſignificatione ſua *interpretativam*, ſeu *indicativam* infert diviſionem in Corpus Chriſti. Et hæc ſane magnum faceſſere debent Adverſariis negocium. In eo namque diſcrimine verſantur, ut hanc interpretativam, aut potius ſignificatam indicatamque diviſionem haud poſſint effugere, niſi cultui Cordis carnei eam ineſſe negent ſignificandi vim, quam non ex hominum placito, ſed ex naturæ inſtinctu, ipſaque adeo rerum evidentia, pars habet ut unum quiddam ex iis, in quæ dividitur totum. Quamobrem infra recte docet S. Thomas 22. *qu.*111. *art.*2. *ad* 1. *Quod opus exterius naturaliter ſignificat intentionem.*

Neque vero dicere valent, quod pars ſæpe ponatur pro toto, ut tectum pro domo, carina pro navi, & id genus alia, ut apud Virgil. *Æneid. lib.*1.

Quare agite o tectis, Juvenes, ſuccedite noſtris.

& *lib.*2.

Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Id namque non congruit ad propoſitum. Pars enim ſumpta pro toto, non ſignificat proprie, ſed improprie tantum, & *figurate*, eo nempe loquendi more, quem Rhetores vocant per Synecdochen. Eoque ſenſu tectum, & carina in allatis exemplis poſita, non ſignificant ſummam partem domus, & infimam navis, juxta propriam, & naturalem vim utriuſque vocis,

cis, ſed ex placito loquentium quod communis uſus probavit, a proprio ſenſu deſciſcunt, & in ſenſum abeunt illius rei, cujus vice funguntur: unde tectum, & carinam loco domus, & navis dicere, perinde eſt, ac ſi reipſa domus, ac navis ipſa *nominatim* exprimerentur. Quum itaque Adverſarii non loquantur de Corde Jeſu *figurate*, vel *ſymbolice* ſumpto, prout nos facimus, & ita fieri juſſit Eccleſia, ſed in ſenſu proprio accipiant Cor carneum Chriſti, quod & ſi præcipua, nonniſi tamen pars eſt humani corporis, nullò modo fieri poteſt, ut illud ſic colentes, integritatem connotent Corporis Chriſti; quemadmodum fieri non poteſt, ut quis loquens de tecto, prout proprie tectum eſt, & de carina, prout eſt proprie carina, innuiſſe dicatur integram domum, integram navim. Nec ad rem facit prærogativa partis in toto; neque enim pars ob eam cauſam dici poteſt de toto per proprietatem, ſed tropico tantum, uti jam obſervavimus, per eamdem ſcilicet figuram, quam Synecdochen appellamus, ut quum Principem dicimus pro tota Civitate, animam pro homine, & ſi vis etiam cor pro toto (*a*) corpore. Ceſſat autem horum uſus, quum hæc proprie ſumuntur. Princeps enim non eſt Civitas, anima non eſt homo, & cor non eſt corpus. Cor autem in ſubjecta ac propria ſpecie non

(a) Quod nemo tamen facile admiſerit. Corpus enim pertinet ad hominem exteriorem, qui per carnem deſignatur, non ad interiorem, qui per Cor juxta ſolemoem diſtinctionem, quæ traditur *Pſalm.72. Defecit caro mea, & cor meum*, & rurſum *Pſalm.83.* ubi dicitur ex perſona Chriſti *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: ut obſervat S Thomas *3.p. q.21. art.2. ad* 1. ubi *Quod caro exultat in Deum vivum non per actum carnis aſcendentem in Deum, ſed per redundantiam a corde in carnem: in quantum appetitus ſenſitivus ſequitur motum appetitus rationalis*. Et huc fere ſemper vox *Cordis* appellat, ad ſpiritum ſcilicet, non ad corpus, ubi ejus mentio fit tam in ſacris Litteris, quam apud profanos Auctores. Celebre eſt in ſacris Litteris quod habetur *Pſalm.50. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Præmittitur autem *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Sic pro virtute animi dixit Maro *Æneid. lib.5. Lectos Juvenes, fortiſſima corda*: pro auctoritate præcipientis *Perſ. Sat.6. Cor jubet hoc Enni*: & pro docilitate auſcultantis ipſe Ennius apud *Gell. lib.7. cap.2. Quem credidit eſſe meum cor ſuaſorem ſummum*. Sicubi vero referri videatur etiam ad corpus, ineſt tamen, ac præeſt, quod eſt mentis, ac ſpiritus, ut quum de vita æterna, quæ redundabit ab anima in corpus, dicitur *Pſal.21. Vivent corda eorum in ſæculum ſæculi*, & de ſtupore ſubito animum corripiente 1. *Reg. 25. Emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis*.

Digitized by Google

non ſumitur ex adverſo, niſi tamquam unum ex corporis membris ſecundum veritatem naturæ, non vero pro ipſo corpore ſecundum fictionem vocis, aut figuratæ locutionis.

CAPUT XI.

Quod colitur totum in Reliquiis Sanctorum, non eſt totum ejuſdem generis cum corpore, ſed totum alterius generis. Non ea coluntur, niſi cultu relativo, qui reſpicit Animas Sanctorum degentes in Cælo. Neque ſtant pro toto ad ſervandam integritatem corporis, de qua quæritur, ſed ut adſtruant conditionem Cultus, qui totum requirit in rationali, vel intellectuali natura ſubſiſtens.

AT enim, acrius fortaſſe Adverſarii noſtri contendent, etiam ſecundum veritatem naturæ cor hominis accipi poſſe pro toto, ut patet de Reliquiis Sanctorum, in quibus eos veneramur, & nominatim liquet, ut ſupra jam diximus, de Corde S. Caroli, quod Romæ ſervatur. Sed fruſtra. Nam in Reliquiis Sanctorum non accipitur pars pro toto ſecundum thema controverſiæ præſentis, in comparatione nimirum ad integritatem corporis, cujus illæ non ſunt niſi fruſta, cujuſque integritatem apertiſſime deſtruunt, ſed accipitur ſolum ſecundum conditionem cultus, qui non parti defertur, ſed toti, in comparatione ſcilicet ad animas Sanctorum, quæ jam olim vixerunt, eruntque iterum poſt beatam reſurrectionem æternum victuræ in humano corpore; quod ideo pari honore colimus, & veneramur, ſive integrum ſit, ſive ſectum in partes. Nam ut inquit S. Thomas 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 6. *ad* 2. *Corpus illud inſenſibile non adoramus propter ſeipſum, ſed propter animam, quæ fuit ei unita, quæ nunc fruitur Deo: Et propter Deum, cujus fuerunt Miniſtri*. Et præmiſſam rationem adfert *art.* 1. *corp. Proprie autem honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti: non enim dicimus,*

mus, quod manus hominis honoretur, ſed quod homo honoretur. Et ſi quandoque contingat, quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc nun dicitur ea ratione, quod hujuſmodi partes ſecundum ſe honorentur, ſed quia in iſtis partibus honoratur totum: per quem etiam modum aliquis homo poteſt honorari in aliquo exteriori, puta, in veſte, aut in imagine, aut in nuntio. Totum igitur, quod colitur in *parte*, non eſt heic *totum* ejuſdem generis cum corpore, cujus pars illa vicem præſtet, locumque ſubeat quaſi integri corporis, ſed eſt totum alterius generis, a quo ratio cultus derivatur in corpus, & in cætera, quæ pertinuerunt, aut pertinent ad Sanctos Dei, ut explicat S. Thomas *art.6. corp. Manifeſtum eſt autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus tamquam membra Chriſti, Dei filios, & amicos, & noſtros interceſſores. Et ideo eorum Reliquias qualeſcumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipue eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt Corpori Chriſti configuranda per glorioſam reſurrectionem.*

Patet igitur, quod allatum ab Adverſariis exemplum nihil valeat ad rem noſtram. Non enim hic quærimus, an poſſit pars accipi pro toto ad ſervandam conditionem cultus, qui non poteſt cadere, niſi in hypoſtaſim ſubſiſtentem, ſed quærimus, an pars ſic accepta, cum relatione nimirum ad hypoſtaſim ſubſiſtentem, par eſſe queat ad ſervandam etiam integritatem corporis, cujus partem disjungere vellent Adverſarii, in cultu Cordis Jeſu. Quod quidem efficere ſe poſſe contendunt; non aliis tamen id probant argumentis, quam quæ ſcatent a fontibus præjudicatæ eorum opinionis. Nos vero contra, qui nullo detinemur ſtudio partium, ſed puram ſequimur doctrinam, & diſciplinam Eccleſiæ, firmo pede exadverſo ſtamus, & conſtanter negamus, eo cultu Cordis carnei integritatem ſervari Corporis Chriſti. Repugnat enim, ut ſæpius diximus, ſemperque dicemus, primis, & communibus principiis naturaliter notis, contrudere, & coarctare velle rem amplio-

rem

rem ſub anguſtiori, majorem ſub minori, totum ſub parte. Et hæ quidem primariæ notiones adeo ſunt infixæ mentibus omnium, ut nullius patiantur diſſenſum, nullaque poſſint oblivione deleri. *Nullus enim homo obliviſcitur ea, quæ naturaliter cognoſcit, ſicut quod omne totum ſit majus ſua parte*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.*84. *art.*3. *corp.* Stet itaque pars pro toto in figuratis locutionibus. Stet item in cultu Sacrarum Reliquiarum, qui tamquam relativus eôdem ferme recidit, ferturque primario in animas ſanctas Servorum Dei, quæ pervenerunt ad patriam; ſed intelligant velim Adverſarii noſtri nihil inde præſidii ſibi ſuppetere ad fulciendam ſententiam ſuam de objecto cultus in Feſto Cordis Jeſu. Sicut enim illud ſtatuunt in Corde proprie ſumpto, quod pars eſt corporis, non vero totum Corpus Chriſti, ſic etiam illius integritatem *ſignificativa* diviſione corrumpunt contra rei veritatem: quum, vel ipſis fatentibus, illud idem judicium de Corde Jeſu ferre ſe velle ſignificent, quod vulgo fertur de Reliquiis Sanctorum, quoad cultum illum relativum, & ſubalternum, qui proprie cadit, & cadere ſignificatur in eas uti ſectas, & diviſas a reliquo corpore.

CAPUT XII.

Cor Jeſu proprie, & per ſe ſumptum ob hypoſtaticam unionem capax eſt adorationis latriæ. Hinc in ea falſa hypotheſi, qua cor Chriſti coli poſſet ut ſejunctum ab anima & a corpore, nihilo plus præferret cultus ejus, quam præferat cultus Cordis avulſi e corpore puri hominis in Album Sanctorum relati. Pars accepta confuſe ſub forma totius, non lædit integritatem corporis, ſecus vero ſi diſtincte ſumatur ſub una ſui ſpecie.

ET ſane ea, de qua diximus, *diviſionis nota*, *& ſignificatio*, potiori jure locum habet in Corde Jeſu, quam in reliquiis Sanctorum. Cultus enim, qui defertur Sanctorum reliquiis, ne proprio careat adæquato objecto, neceſſario provehi debet

ad ſuum totum, hoc eſt ad animas ipſorum Deo jam fruentes. At in cultu Cordis Jeſu nulla ſimili opus eſſet provectione, nulloque, ut ita dicam, egreſſu ab ipſo Corde. Neque enim procul eſt ab eo, ſed intus latet, ac ineſt divinitas Verbi in unitate perſonæ, ut ſit ideo per ſe capax eo ſenſu cultus abſoluti, non quod proprie talis fieret, & deſineret eſſe relativus, (quod eſſet contra præmiſſa), ſed quia Cordi deferretur, etiamſi cor ipſum ſeorſum ſpectaretur tamquam ab anima & corpore ſeparatum. *Adoratur enim una hypoſtaſis una adoratione cum carne ejus*, ut poſt Damaſcenum inquit S.Thomas *3.p. q.58. art.3. ad* 1. Unde ſi quod agis circa Cor S. Caroli, quod eſt diviſum a Corpore, ut ei nempe duliæ cultum exhibeas cum relatione quidem ad animam S. Caroli, quæ cultum proprie terminat, quin tamen ullo modo reſpicias ad corpus ejus, quod ſeparatum a corde alibi colitur; hoc ipſum agere prætefers circa Cor Jeſu: Nam cæteris miſſis, quæ ſunt in Templo corporis ejus, dum latriæ cultum defers uni Cordi, quod, ut reliqua, Chriſti Domini unitum eſt Divinæ perſonæ nonne id agere videris, non ita te gerere ſignificas, ut quaſi gladio cultus tui Cor illud amputes, & abſcindas a corpore Chriſti? At ego feror, inquis, in Cor ejus ut unitum non divinitati modo, ſed & ânimæ, & corpori. Lubens admitto. *Corde enim creditur ad juſtitiam Roman.*10. Sed quod geris extra te, quam ingeris ſpeciem coram hominibus, qui judicant ſecundum faciem, non præſefert opus conſonum menti tuæ. *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ut pergit Apoſtolus eodem loco. Ac certe equidem, ſi ſeponas intentionem mentis, quæ ſola non ſufficit in cultu religionis, quid eſt, amabo te, quod appareat vel tantillum diſſimile inter cultum Cordis S. Caroli, & cultum Cordis Jeſu? Adſtet utrique cultui quis infidelium, qui nihil norit de Chriſtiana religione; videat te rem ſacram agentem ad utrumque Cor, utrique cremantem thura, preces ad utrumque fundentem, & is judicet, an cultu tuo, qua foras prodit, ſerves eam in Corde Jeſu integritatem corporis, quam nec ſervas, nec ſervandam intendis in Corde S. Caroli? Si

Si ſerio, ut par eſt, ad hæc animum applices, videbis aperte, quo te ducat cultus, quem putas ratum, & innoxium Cordis Jeſu non ſymbolice ſumpti, ſed proprie. Pone Ethnicum illum de tuo te cultu percontantem, a te monitum iri de diſcrimine utriuſque Cordis, non ex eo tantnm quôd uni duliæ, alteri latriæ cultum impendas, de quo nihil ad rem, ſed ex eo vel maxime quôd Cor S. Caroli colatur ſine corpore, Cor autem Jeſu cum corpore, putaſne tibi fidem habiturum? Minime gentium. Reſponderet enim, ac inſiſteret, quod ore profiteris inter utrumque diſcrimen, tuo te facto negare. Nam ſi me doces, ſic ille pergeret, ad myſterium pertinere Cordis Jeſu, ne dividatur a corpore, quod non dicis, imo negas de Corde S. Caroli, cur ergo me decipis tam fallaci oſtentatione religionis erga Cor Jeſu? Quam enim id bene ſe habet quod ad Cor S. Caroli, diviſum, ut tu dicis, a corpore, tam male ſe habet quod ad alterum Jeſu, dum illud non vis a corpore diviſum. Quum enim utrumque ſit carneum, & quantum, & ex Corde S. Caroli diſcam *conjunctionem* corporis cum corde non eſſe quid in veſtra religione univerſaliter verum, ſed in ſolo Corde Jeſu, quod tu mones *indiviſum* a corpore, me ſane, teque ipſum turpiter fallis, dum non abſtines a pari cultu Cordis Jeſu. Eo namque cultu negas, ac deſtruis arctam illam conjunctionem corporis cum Corde, quam tu in ſolo Jeſu ſingularem prædicas. Neque enim fieri poteſt, ut Cor carneum & quantum, non ſit longe minus humano corpore, quod quantitate præſtat & carne in tanta partium varietate, quæ parvam cordis circumferentiam & numero vincunt ac mole. Cultus itaque Cordis carnei geometrica demonſtratione falſus evincitur, quia ſecundum inditas cujuſque hominis menti notiones primas, ſeſe talem prodit, ut uni ac ſolitario cordi videatur exhiberi. Nam ut recte diſtinguit S. Thomas 1. *p. qu.*85. *art.*4. *ad* 3. *partes poſſunt intelligi dupliciter. Uno modo ſub quadam confuſione, prout ſunt in toto. Et ſic cognoſcuntur per unam formam totius, & ſic ſimul cognoſcuntur. Alio modo cognitione diſtin-*

ἑta: *ſecundum quod qualibet cognoſcitur per ſuam ſpeciem* (prout hic Cor Chriſti carneum per ſpeciem cordis) *& ſic non ſimul intelliguntur*. Quid hoc clarius, quid hoc aptius ad rem noſtram?

CAPUT XIII.

Interpretativa diviſio, quam infert Corpori Chriſti cultus cordis ejus carnei, oſtenditur comparatione inſtituta inter cor ipſum intra latus, & ſanguinem extra latus in triduo mortis ejus adoratum. Veritas ſigni non pendet ex intentione utentis, ſed ex proportione illius cum re ſignificata.

SED id, quod in exemplo paullo longius diſſito mox ſpectabamus, propius nunc cernere licet in ipſo corpore Chriſti Domini. Poſt mortem ſiquidem Crucis, ut ſcriptum eſt *Joan.* 19. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua*. Comparavimus capite ſuperiori adorationem Cordis Chriſti cum adoratione Cordis S. Caroli. Aliam nunc inſtituamus comparationem inter Cor Chriſti, ejuſque pretioſiſſimum ſanguinem, qui ſanguis eſt Hominis Dei ex ipſius latere fuſus. Cedo jam, ſi quis tunc adſtitiſſet ex noſtris Adverſariis, atque adeo præter ſanguinem extra latus, Cor etiam ſeorſum conſideratum, etiamſi intra latus lateret, exteriori aliquo religionis officio adoraſſet, eo cultu, quem Cordi ſic detuliſſet, comprehendere voluiſſet, nec ne, totum corpus? Dum ſecum ipſi cohærere velint, negare non poterunt, quin pius ille ſpectator totius etiam integrique corporis adorationem comprehendere voluiſſet. Contendunt enim, atque etiam affirmant, quod cultus Cordis feratur ſimul in totum corpus. Sed hic rurſus quæram, quo tandem indicio tam fortunatus contemplator oſtendiſſet, ſe dum unam, eamque deſignatam viſcerum Chriſti partem, Cor ſcilicet ipſum, adorabat, totum etiam, atque integrum illius Corpus adoraſſe? Verum quid aliud ad hæc reſpondere poterunt, niſi illud unum,

Digitized by Google

unum, quod in hac cauſa obtrudere perpetuo ſolent, bonam videlicet, rectamque intentionem, quæ nihil lædat integritatem Corporis Chriſti? At unde nobis oſtendunt hanc ſanam eorum, quam ſemper obtendunt, intentionem mentis? In ea quippe hypotheſi duos nobis proferunt adorationis actus, alterum Cordi intra latus, ſanguini alterum extra latus delatum. Porro quem illi nobis dant extra latus, intentione, & opere ſolius ſanguinis eſt. Cur itaque primus, quem intra latus deſignavimus, intentione, & opere non ſolius item Cordis, ſed totius etiam Corporis erit? Sed de intentione non diſputo; hanc enim utrobique ſanam, rectamque ultro conceſſerim. De uno tantum *opere* ego quæro. Quum enim uniforme omnino ſit exterioris cultus officium, tum quo ſanguis extra latus diviſus a Corpore, tum quo Cor intra latus tamquam *pars* Corporis *definita*, adoratum ſupponitur, intelligi nulla ratione poteſt, quomodo in *ſignificando* tam diſſimile, ac plane diverſum munus ſortiatur, ut idem ſimul ſignet, & non ſignet: ſignet ſcilicet in adoratione ſanguinis illius ſeparationem a Corpore, non ſignet autem eam in adoratione Cordis? Nam licet *Cor*, ut fides noſtra docet, numquam fuerit a Chriſti corpore ſeparatum, in caſu tamen noſtro *terminus* eſſet exterioris adorationis, perinde atque ſanguis ipſe ſeparatus a corpore; adeoque ſecundum, & actum, & *externam* ipſam hominis intentionem, ut a reliquis partibus ſegregatum adoraretur.

Has inter anguſtias evaſionem fruſtra quærent Adverſarii a vario tum Cordis, tum ſanguinis ſtatu ſub ea temporis circumſtantia, ad quam exigimus mutuam illam utriuſque adorationem. Hæc enim varietas valet ſolum, quo recta eſſet occulta ipſorum mentis intentio, adorandi nempe Cor Chriſti cum corpore, ſanguinem vero ſine corpore; non valet autem ut rectum eſſet, & exactum etiam opus externum. Quum enim indole ſua, officium hoc tamquam conſpicuum quoddam religionis ſignum, concordare debeat cum re ſignificata, fieri certe non potuiſſet, quin ab ea diſſonum eſſet in alterutra hypotheſi,

potheſi, quæ ſtatum adorationis utrinque variabat: aut *cum* corpore, aut *ſine* corpore; quæ duo ſic pugnant, ut vides, inter ſeſe, ut in unius ſigni rationem convenire omnino non poſſint. At opus illud externum non diſſenſiſſet a re ſignificata in adoratione ſanguinis abſque corpore, quia exteriori illi adorationis officio, quemadmodum Adverſarii ipſi fatentur, interior etiam adorantis intentio accuratiſſime reſpondiſſet. In una igitur adoratione Cordis cum corpore illud idem externum opus, atque officium a re ſignificata diſſenſiſſet: Atqui non diſſenſiſſet ex vitio interioris intentionis; hæc enim, ut modo etiam volunt, directa ſimul fuiſſet in totum corpus; diſſenſiſſet ergo, (quod neceſſario conſequitur) vitio ſuo; quatenus per ſeſe nullum omnino indicium dabat, ſed nec dare poterat, integri corporis, quod eſſe debuiſſet res per illud exterioris adorationis opus ſignificata, ſi integrum erat Chriſti Corpus adorandum. Contra vero aptiſſime conſenſiſſet cum re ſignificata, ſi talis naturæ ſignum fuiſſet, ut quemadmodum determinatum erat ad ſignificandum unum ſanguinem extra latus, ſic etiam determinatum fuiſſet ad ſignificandum unum Cor intra latus tamquam definitam quamdam corporis partem. Verum quod tunc valebat de ſanguine, qui ob incidentem illius ſeparationem a corpore in triduo mortis Chriſti, poterat, imo debebat & re, & ſignificatione ipſa latriæ cultu adorari ſeorſum a corpore, non id contra valebat, prout nec modo valet de Corde, quod ne *ſignificatione* quidem adorari poteſt tamquam pars ſeorſim ſpectata, quia nunquam ſeparatum fuit a corpore. Quemadmodum igitur nemo poteſt illæſa fide re ipſa dividere Cor a corpore contra perpetuum Cordis ſtatum, & exactam magniſque myſteriis plenam Corporis Chriſti integritatem, ita æqua lege id agere fidelis quivis, (ut ego cenſeo) prohibetur, vel ſola ſignificatione. Significatio enim non penſatur ex intentione, quæ non apparet, & ſoli Deo nota eſt, ſed ex proportione ſigni cum re ſignificata, a qua ſi deficiat, aut exorbitet, mendax eſt, & fallax, utut mentiendi, fallendique deſit intentio.

CA-

CAPUT XIV.

Quodvis mendacium eſt intrinſece malum, licet inde nullus decipiatur: Maxime vero in cultu religionis, ubi præter virtutem veritatis, offendit etiam virtutem fidei, & ipſius religionis.

NEC eſt cur dicas, puritatem intentionis ipſam quoque ſignificationem pervadere, quando nulla ſubeſt deceptionis occaſio; Hinc videmus piam Matrem Eccleſiam ſolemni ritu quotannis agere lugubre Feſtum paſſionis, & mortis Domini in Hebdomada majori, nec inde tamen cuiquam unquam venit in mentem Corpus Chriſti, quod eo Feſto ſeparatum ſignificatur ab Anima, colendum proponi Fidelibus contra rei veritatem uti ſeparatum ab Anima. Eodem ferme modo etſi Feſto, de quo agimus, ſignificari perinde videatur ſacrum Chriſti Cor, ac ſi eſset ſeparatum a corpore, nemo tamen tam eſt excors, ut illud ſibi oblatum putet ad adorandum tamquam ſeparatum a corpore. In hac enim argumentatione, quæ colore ſuo fallere poſſet incautos, manifeſta latet ambiguitas vocum, ad quam detegendam ſecernere præſtat purum ab impuro, falſum a vero. Et prima quidem capitalis Propoſitio, qua dicitur, puritatem intentionis ipſam quoque ſignificationem pervadere, quando nulla ſubeſt deceptionis occaſio, abſolute rejicienda eſt tamquam ſpuria, & erronea. Supponit enim mendacium non eſſe malum ex propria ſui ratione, ſed malum contrahere ex prava decipiendi voluntate, quod Auguſtinus improbat eo quem ſcripſit libro contra mendacium *cap.*2. totoque Operis decurſu, & cum eo S. Thomas 22. *qu.*110. *art.*3. *corp.* ubi ait: *Quod id quod eſt ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum & licitum: quia ad hoc, quod aliquid ſit bonum, requiritur, quod omnia recte concurrant. Bonum enim eſt ex integra cauſa, malum autem ex ſingularibus defectibus, ut* Dionyſ.

Dionyſ. dicit 4. *cap. de Divin. Nom. Mendacium autem eſt malum ex genere : eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente.*

Explodenda igitur prorſus eſt dicta prima Propoſitio, quôd intentio pura, & innoxia notam pravitatis abſtergere poſſit a falſa ſignificatione joco, vel ſerio injecta, quando non ſubeſt deceptionis occaſio. Falſa quippe ſignificatio ipſa vi ſua directa eſt ad fallendum, & hoc ſufficit, ut mala ſit, quantumvis adhibeatur citra ullum fallendi animum, citra ullum decipiendi periculum. Unde S. Thomas loco citato ſolvens argumentum, quod *Mendacium ob hoc videtur eſſe peccatum, quia per ipſum homo decipit proximum* præclare reſpondet *ad 6. quod operatio aliqua poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo ſecundum ſe ipſam : alio modo ex parte operantis. Mendacium ergo jocoſum ex ipſo genere operis habet rationem fallendi, quamvis ex intentione dicentis non dicatur ad fallendum, nec fallat* (a) *ex modo dicendi*. Eſt enim nihilominus vi ſua ordinatum ad fallendum, quod ab eo non adimit bona mentientis intentio, imo nec ipſum adimit deceptionis actum. Nam qui bona mentitur intentione, non putans ſe mentiri, dum joco, vel officioſe mentitur, ſin minus alios, ſe ipſum certe turpiſſime decipit, ut acute vidit S. Auguſtinus dicto libro contra mendacium *cap. ult. Quiſquis*, inquit, *eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſe ipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitretur aliorum*. Maxime vero ſi mendacium uſurpetur in rebus ſacris, quia luculenter cedit in injuriam Dei, quod eſt graviſſimum, ut obſervat S. Thomas 22. *qu.* 110. *art.*4.

(a) Quod tamen intelligendum eſt de modo dicendi qui ſiſtat in verbis ſignificantibus proprie, qualia nempe ſint oportet ut materiam mendacio ſuppeditent; ſecus autem ſi tranſeat in verba, quæ ſenſum metaphoricum præſeferant. Modus enim dicendi ſub hoc diſpari verborum uſu, mendacio prorſus exemptus eſt, ut infra patebit, & ſtatim explicat S. Doctor loco citato, addit enim. *Nec eſt ſimile de hyperbolicis, aut quibuſcumque figurativis locutionibus .... quia ſicut Auguſtinus dicit in libro contra mendacium. Quicquid figurate fit, aut dicitur, non eſt mendacium.*

Digitized by Google

art.4. corp. Secundum ſe quidem charitati contrariatur ex ipſa falſa ſignificatione. Quæ quidem ſi ſit circa res divinas, contrariatur charitati Dei, cujus veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit. Unde hujuſmodi mendacium non ſolum opponitur virtuti veritatis, ſed etiam virtuti fidei, & religionis.

CAPUT XV.

Quod agitur quotannis Paſſionis, ac Mortis Dominicæ Feſtum, nullam exhibet ſignificationem falſam, quia Dominus vere paſſus, & mortuus eſt ſemel pro nobis. In cultu Cordis carnei non concordat ſignum cum re ſignificata. Cor uti pars corporis, atque adeo minus toto, non repræſentat corpus indiviſum, prout re ipſa ſemper fuit Corpus Chriſti.

EX his, quæ hactenus diſplicata ſunt, clare patet, quam magna lateat ambiguitas verborum in altera Propoſitione, quôd ideo nulla inſit mali ſpecies in lugubri Feſto paſſionis, & mortis Domini, utut *ſignificative* exhibeatur Corpus ejus ſeparatum ab Anima, quia nullus adeſt timor, ne hinc ullo modo decipiantur Fideles. Propoſitio quidem in ſe vera eſt, ſed non ob eam cauſam quôd metus abſit deceptionis Fidelium. Ratio, qua proprie nititur dicta propoſitio, huc tota redit, quod Eccleſia nullam eo Feſto ſignificationem adhibet, cui non adæquate reſpondeat veritas rei ſignificatæ, hoc eſt paſſionis, & mortis Domini, quam Fidelium memoriæ recolendam proponit. Nihil enim ſignificat, nihil repræſentat circa paſſionem, & mortem ejus, quod non ſit ſcriptum in ſacris libris, quod certa non conſtet fide. Vis autem dictæ ſignificationis ipſa ſui adæquatione cum re ſignificata, non fertur in tempus præſens, quo Dominus vivit, & regnat impaſſibilis, & glorioſus in Cælo, ſed in tempus præteritum, quo degebat in terris, & pro nobis

 paſſus,

paſſus, ac mortuus fuit, ut opportune monet S. Auguſtinus *præfat.2. in Pſal.21. Quotieſcumque Paſcha celebratur, numquid toties Chriſtus occiditur? Sed tamen anniverſaria recordatio repræſentat, quod olim factum eſt: & ſic nos facit moveri, tamquam videamus in Cruce pendentem Dominum*. Res igitur olim geſta, non quæ geratur nunc, veram eſſe facit, omniſque erroris expertem repræſentationem, & annunciationem Dominicæ paſſionis, ac mortis, ut probe docet idem S. Auguſtinus libro contra mendacium *cap.5. Quicquid*, inquit, *figurate fit, aut dicitur, non eſt mendacium. Omnis enim enunciatio ad id quod enunciat, referenda eſt. Omne autem figurative aut factum, aut dictum hoc enuntiat, quod ſignificat eis, quibus intelligendum prolatum eſt*. Et *lib.1. de Quæſt. Evang. cap.51. Non omne quod fingimus, mendacium eſt: ſed quando id fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Cum autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ a ſapientibus, & ſanctis Viris, vel etiam ab ipſo Domino figurate dicta ſunt, mendacia deputabuntur: quia ſecundum uſitatum intellectum non conſiſtit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta ſine mendacio ad aliquam rem ſignificandam*, ut S. Auguſtinum his excipit, ac ſequitur verbis S. Thomas *3. p. q.55. art.4. ad 1.*, & ſupra *22. q.110. art.3. ad 6.*, & *q.111. art.1. ad 1.*

Ad hanc igitur limam ſignificationem revocemus oportet Cordis carnei, quod Adverſarii ſupponere moliuntur pro objecto cultus in Feſto Cordis Jeſu. Is autem cultus, velint nolint, apertiſſime ſignat diviſionem cordis a corpore. Indicent ergo nobis adæquationem ſigni cum re ſignificata, hoc eſt, quód cor illud aliquando diviſum fuerit a corpore. Id aſſerere piaculum eſſet, quod & ipſi fatentur. Qua igitur ratione veritatem tueantur ſigni, cultuſque ſignificatis, ſi non ſubeſt, imo deeſt ex parte rei ſignatæ, & ſignificatæ? Huc res exigenda eſt, ad hoc reſpondendum, prius quam agatur, an vere deſit erro-

erroris periculum in cultu Cordis carnei ? quod ego nolim abſolute negare, nec concedere gratis. Captu enim difficile eſt, quomodo rudes homines, & agreſtes, qui Solarem globum bipalmarem judicant, quôd ea parva mole conſpicuum ſe præbeat eorum oculis, Cor tamen unum, quod a corpore disjunctum ſpectant, non putent ab eo diviſum, ſed Cordi ipſi ſimul ineſſe, aut ei circumſidere exiſtiment totam, ac integram Corporis molem. Verum ut dixi, non eſt hujus loci in id inquirere. Quæſtio enim ſupponit ſignificationem cultus eſſe veram, ac raram, hoc eſt adæquatam, & conſonam rei ſignificatæ, quod tamen non probatur, nec umquam probari poterit, quia numquam Cor Jeſu fuit a corpore diviſum. Nam quô vera eſſet, ea quæ ſupponitur, ſignificatio, neceſſario requireretur, ut corporis integritas interiori cultu ſervata, peræque ſervata retineretur in cultu exteriori; de quo tamen actum ſit oportet, ſemel ac dirigatur, & *terminative* feratur in Cor Chriſti carneum. Cor enim carneum, quod pars eſt corporis, & minus toto, non poteſt adæquare ſignificationem integri corporis, quod ad veritatem exigitur cultus rati. *Æquat enim ſigna rebus*, ut ait S. Thomas 22. *q.* 109. *art.*3.*corp.* Additque infra ad rem noſtram *q.*185.*art.*6.*ad* 3. *quod omnis pars eſt minor toto*. Et ſupra *q.*110. *art.* 1. *corp. Virtus*, inquit, *veritatis* (*& per conſequens oppoſita vitia*) *in manifeſtatione conſiſtit, quæ fit per aliqua ſigna : quæ quidem manifeſtatio, ſive enunciatio eſt rationis actus conferentis ſignum ad ſignatum*. Et prius *d. q.*109.*art.*2.*corp. Eſt autem quidam ſpecialis ordo ſecundum quod exteriora noſtra vel verba vel facta, debite ordinantur ad aliquid : ſicut ſignum ad ſignatum : & ad hoc perficitur homo per virtutem veritatis*. Sit enim oportet; ut falſitas abſit, & veritas conſtet; *æqualitas quædam intellectus vel ſigni, ad rem intellectam, & ſignatam* : ut præmittit *art.*1. *corp.*

CAPUT XVI.

Pars opponitur toti tam ſi conſideretur ſeorſum a toto; quam ſi in eo ſpectetur. Concomitantia realis ſupplet veritatem rei, ſed non veritatem ſigni. In Sacramento Altaris veritas ſigni ſervatur ſub utraque ſpecie, quia vere Corpus Chriſti in ejus paſſione, & morte ſeparatum fuit a Sanguine.

SI quid ego video, non aliud hic reſtat effugium, quam ut eo res trahatur, non eſſe de ratione ſignificationis in cultu Cordis carnei, ut deſignet integrum corpus, quum etiamſi ipſum tantum Cor denotet, ea tamen ſignificatio ſic determinata nihil obſit integritati corporis. Neque enim deſignat Cor ut contrapoſitum corpori, ſed ut corpore circumſeſſum. Quod viſitur etiam in imaginibus, quas ad id aptant cum lato ante pectus hiatu: unde cor apparet in medio ventris, & ad calcem hunc addunt verſiculum rei ſignificandæ accomodum

Dammi Figlio il tuo Cuor: eccoti il mio.

quem latine forte ſic redderent

En tibi, nate, meum: nate, tuum mihi Cor.

Sed quia diſſimulare non poſſunt id genus ſignificationem, utut contractam ad Cor Jeſu in ſinu ejus, contrariam nihilominus viſum iri integritati corporis, propterea quod incluſio unius excluſionem præſeferat alterius; huic etiam obviabunt incommodo ſubſidium quærentes a tacite ſuppoſita reali concomitantia, cujus eſt proprium, ut integritatem corporis ſervet, etſi incluſa ea non ſit, imo potius ſignificetur excluſa ipſo cultu Cordis carnei: ut manifeſtum fit a pari vi, quam exerit in Sacramento Altaris, ubi ſimiliter ſupplet quod ſignificationi deeſt. Supplet enim in Conſecratione panis, qui vi formæ ſignificativæ, & operativæ *tranſubſtantiatur* in Corpus Chriſti, coexiſtentiam ſanguinis ejus, & in Conſecratione calicis, quæ vi ver-

verbi ad ſolam pertinet vini *tranſubſtantiationem* in ſanguinem, coexiſtentiam ſupplet Corporis Chriſti cum ejus Anima, & Divinitate. Hæc ſunt, ut arbitror, cordatorum hominum extrema molimina. At ſi verum amamus, ea funditus everſa, ac penitus disjecta jam ſunt. Nihil enim intereſt, ad rem quod attinet, inter ſignificationem contractam, & contrariam. Pars enim opponitur toti, uti quid minus eo, tam ſi conſideretur ſeorſum a toto, quam ſi ſub ipſo, ſeu in ipſo. Quod ergo Cor Jeſu non dicatur adorari contra corpus, ſed intra, *phyſicam* ſervat integritatem corporis, non *ſignificativam*.

Quodque ad hoc additur de reali concomitantia, pertinet rem ad veritatem rei, non ad veritatem ſigni, ut perſpicuum fit ex Sacramento Altaris, quod in exemplum profertur. Rogo enim, facitne concomitantia realis, ut ſignificatio ſpecierum panis, quæ ſunt contractæ ad innuendum Chriſti Corpus, non ſit contraria ſignificationi ſanguinis? Et quod ſignificationi corporis contraria non ſit, quæ ſenſibus ingeritur ſignificatio ſanguinis ſub vini ſpeciebus? Minime vero. Pari ergo ratione in cultu Cordis carnei ſignificatio cultus, utpote contracta ad formam unius cordis, contraria ſit oportet ſignificationi integri corporis, licet alias ex concomitantia reali corpus coaleſcat cum corde, circumſeſſumque cor intelligatur a corpore.

Nec eſt, cur inſtes. Quid ergo mali eſt in ſignificatione; quam cultus offert Cordis carnei, contraria licet ſignificationi totius corporis, dum nihilominus venit, & venire intelligitur ex reali concomitantia, propter quam adoratur ſimul cum Corde, dum hoc idem uſuvenit etiam in Sacramento Altaris, in quo ſignificatio nihilominus recta ac rata eſt, licet & in illa contraria ſit ſub ſpecie panis ſignificationi ſanguinis, & ſub ſpecie vini diſcrepet a ſignificatione corporis? Ad id enim præſto eſt clara, & palmaris reſponſio. Non ideo enim in Sacramento Altaris recta, & rata eſt ea diſpar, & oppoſita ſignificatio, quia dicta concomitantia ſuppetias ferat, ut objicitur, utrique contractæ, & contrariæ ſignificationi, quod veritas exigit, & ad veritatem

Digitized by Google

tem pertinet præſentiæ realis Chriſti Domini in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſed quia utrique ſignificationi ſubeſt veritas rei ſignificatæ, quod ad juſtitiam & veritatem pertinet ſigni. Vere enim in triduo mortis Corpus Chriſti ſeparatum fuit a ſanguine, quod ſignificatur ſub ſpeciebus panis; & ſanguis vere ſeparatus fuit a corpore, quod ſub ſpeciebus ſignificatur vini. Fac ergo videam Cor etiam Chriſti ſeparatum fuiſſe ab ejus corpore, & lubens concedam nihil ineſſe mali in ſignificatione, quam cultus offert Cordis carnei.

CAPUT XVII.

Peculiaris cultus Cordis in Sacramento Altaris ſignificationem intercipit totius Corporis. Ex inſtitutione Chriſti ſub ſpeciebus panis totum venit Corpus ejus vi verbi, non ſola vi concomitantiæ. Sicuti in Sacramento, ita & in propria ſpecie non venit Cor Chriſti directe, & per concomitantiam reliquæ corporis ejus partes.

NEmo profecto inter Chriſtianos homines hactenus extitit, qui eo inſaniæ, atque dementiæ pervenerit, ut Cor Chriſti ab ejus corpore aliquando abſciſſum avulſumque ſomniarit. Attamen, quod vix credibile ſit, aliquid non admodum hujus monſtri diſſimile hac noſtra ætate cernitur in certis quibuſdam novæ formæ imaginibus, quarum ſupra meminimus. In his, ut recta pervadant oculi ad Cor, ſacrum Chriſti pectus immani ſciſſura apertum repræſentatur. Mitto dicere quam indigna, quam periculoſa, ac fallaciſſima ſint hæc humana figmenta, quæ plerique Chriſtianorum ad ſolidam pietatem inſtructi, non ſine magno quodam horroris ſenſu intueri perſæpe ſoleant; quæ & incautam rudemque plebem in errores contra veritatem hiſtoriæ ſacræ, res Chriſti geſtas narrantis, inducere quam facillime queant; quæ denique pectus illud ſacratiſ-

cratiſſimum Reparatoris noſtri longe deterioris conditionis faciant, quam ejus inconſutilem tunicam, quam militum carnificum ſorti permiſſam ſcimus, ne ſcinderetur, ut habetur *Joan.*19. Nam propoſitum mihi eſt illud unum conari, ut ex his imaginibus novum quoddam argumenti genus inſtruam, quod cum antecedenti conjunctum multo apertius oſtendat, quam vana, & falſa ſit Adverſariorum opinio de objecto cultus, quale ab iis in hoc Feſto fingitur. Percontamur enim a Patronis contrariæ ſententiæ, an quem Cordi carnis cultum exhibent in id genus imaginibus, & ad Chriſtum, ut ego certiſſime credo, in propria ſpecie referunt, eumdem Cordi carnis ſimiliter impendant in Sacramento Altaris? Id equidem haud ægre conceſſerint, imo nec poſſunt omnino negare. Nam ſi ponas Cor carnis ut objectum cultus, æque habes id objectum in Corpore Chriſti ſub Sacramento Altaris, atque in ejus propria ſpecie. Hoc poſito, quæro nunc, an in cultu Cordis carnei ſub Sacramento Altaris aliæ partes corporis veniant ſimul cum Corde vi propria, & directa ejuſdem cultus, an ope tantum realis concomitantiæ? Si primum dicant, jam ſibi contradicunt, nec objectum cultus conſtituunt amplius in Corde carnis. Si vero ſecundum, non ſibi jam adverſantur, ſed ipſi Domino, qui in inſtitutione Sacrorum myſteriorum non dixit *Hoc eſt Cor meum*, ſed *Hoc*, inquit, *eſt Corpus meum*. Unde fit, ut totum corpus, & omnes corporis partes proprie, ac directe veniant ſub ſpeciebus panis, non ſola vi concomitantiæ realis, ut ſanguis & cætera, quæ ad Chriſtum pertinent in propria ſpecie. Non potes igitur citra violationem ſacratiſſimæ ſignificationis æqua lege diffuſæ ad totum corpus, eam tribuere adorationis ſpeciem Cordi carneo Chriſti in Sacramento Altaris, qua fiat, ut reliquæ omnes corporis partes *coadorentur*, quemadmodum tu ſignificas, ex reali tantum concomitantia; ſed neceſſe eſt ut adoratio tua ſimpliciter feratur in totum, & integrum corpus, quemadmodum vult & ſignificat ipſe Chriſtus, ex nativa vi Sacramenti totum includente corpus, totum corpus

pus exprimente: non vero *Cor* primum tamquam præcipuum corporis membrum, deinde & jecur, & pulmones, & nervos, & oſſa, & partes deinceps alias per acceſſionem.

Quid hinc vero ſit conſequens, jam omnes vident, ac facile norunt. Nam ſi nefas ſit adorare Cor carneum tamquam objectum cultus in Sacramento Altaris, neque id fas eſſe quiverit in propria Chriſti ſpecie. Sicut enim utrobique cæteræ partes venirent ex ſola reali concomitantia, ſic utrobique ab eis diviſum ſignificaretur aliquando Cor, quod nuſquam factum eſt, ut optime notat S. Thomas *3. p. qu. 76. art. 2. ad 2.* ubi ait: *Quod in paſſione Chriſti (cujus hoc Sacramentum eſt memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis ab invicem ſeparatæ, ſicut ſanguis, ſed corpus indiſſolutum permanſit ſecundum quod legitur Exod. 12. Nec os illius confringetis. Et ideo in hoc Sacramento ſeorſum conſecratur ſanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.* Unde vel ex ipſo Sacramento Altaris, quicquid Adverſarii noſtri vim omnem ſuam in unius concomitantiæ nexu collocantes, ne eorum ſententia læſa putaretur ex cultu Cordis integritas corporis, ſe nobis tamquam magnum quoddam argumenti genus, objeciſſe arbitrabantur, uſque adeo dilutum ſublatumque eſt, ut nobis inſuper mirifice faveat, & apertam patiatur retorſionem, a qua illi nuſquam expedire ſe poterunt quamdiu verum erit, prout eſt abſolute veriſſimum, quod Corpus Chriſti ſemper integrum manſit, atque adeo nec in Sacramento, nec in propria ſpecie ſignificari poteſt citra manifeſtam veritatis injuriam quoquo modo diviſum; ubi tamen procul dubio diviſum ſignificatur eo cultu Cordis carnei, quem iidem ipſi Adverſarii noſtri ſtatuere modo vellent. Is enim cultus tantum dicit reſpectu Cordis, quantum Conſecratio panis reſpectu corporis, ut ſicut conſecratio panis ſeparationem innuit ſanguinis a corpore, ita & cultus Cordis carnei ſeparationem innuat Cordis a corpore. Hæc ſi ſerio meditentur dicti cultus Patroni, dabunt, ut ſpero, veritati locum, & patentem agnoſcent, quæ latet in eo, pernicioſiſſimam falſitatem, a qua cultus Religionis abhorret quam maxime. CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Sub ſpeciebus panis non ſola Chriſti caro, ſed totum venit Corpus ejus, quantumvis præparatum in modum cibi. Nefas eſt in propria Chriſti ſpecie aque ac ſub ſpecie Sacramenti, ſecernere Cor a toto, etiamſi conſideretur tamquam proprium quoddam amoris pabulum.

UT vis argumenti in capite antecedente propoſiti Adverſariorum oculos magis diſtringat, expendant, ego velim, rationem, qua Chriſtus ſuum exhibet corpus ſub ſpecie panis, hoc eſt in modum cibi, ſicuti in modum potus ſuum exhibet ſanguinem ſub ſpecie vini; quæ duo ut in corporali, ita & in ſpirituali refectione ad integritatem pertinent alimoniæ, ut apte diſſerit S. Thomas 3. *p. q.*73. *art.*2. *corp. Eſt autem unum in perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejuſdem: ſicut homo integratur ex omnibus membris neceſſariis ad operationem animæ: & domus integratur ex omnibus partibus, quæ ſunt neceſſariæ ad inhabitandum: & ſic hoc Sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum, & potus, qui eſt alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus ſecundum illud Joan.*6. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Et *q.*74. *art.*1. *corp. Et hoc rationabiliter, primo quidem quantum ad uſum hujus Sacramenti, qui eſt manducatio. Sicut enim aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua: ita panis, & vinum, quibus communius homines reficiuntur, aſſumuntur in hoc Sacramento ad uſum ſpiritualis manducationis*. Quo poſito, ſi quis hinc niteretur inferre, ſub ſpecie panis non contineri vi Sacramenti, niſi

carnem corporis Chriſti, quæ ſola nempe in eſum venit de corporibus animalium, reliquas vero partes, quas edere non eſt hominum, comprehendi tantum ex reali concomitantia; non alia ſane ratione revinci poſſet, quam ea mox producta, quôd Chriſtus Dominus in conſecratione panis non ſuam expreſſit carnem, ſed corpus. Ita S. Thomas 3. *p.* q.76. *art.*1. *ad* 2. ubi ſolvens argumentum, quod *Chriſtus eſt in hoc Sacramento ſecundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo & potu conſiſtit, ut ſupra dictum eſt. Sed Dominus dicit Joan.6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Ergo ſolum caro, & ſanguis Chriſti continentur in hoc Sacramento. Sunt autem multæ aliæ partes corporis Chriſti: puta, nervi, oſſa, & alia hujuſmodi. Non ergo totus Chriſtus continetur ſub hoc Sacramento*; ſolide, ac ſtricte reſpondet, *quod ex vi Sacramenti ſub hoc Sacramento continetur quantum ad ſpecies panis non ſolum caro, ſed totum corpus Chriſti, ſcilicet oſſa, nervi, & alia hujuſmodi. Et hoc apparet ex forma hujus Sacramenti: in qua non dicitur hæc eſt Caro mea, ſed hoc eſt Corpus meum. Et ideo cum Dominus dixit Joan.6. Caro mea vere eſt cibus, caro ponitur ibi pro toto corpore, quia ſecundum conſuetudinem humanam videtur eſſe magis manducationi accommodata, prout ſcilicet homines carnibus animalium veſcuntur communiter, non autem oſſibus, vel aliis hujuſmodi.*

Nolim hic ego cum Adverſariis contendere, & in quæſtionem revocare, an Cor Jeſu proprie ſumptum, ſuo quaſi jure ſibi vindicet, ut dulce ſit ac blandum amoris pabulum. Neque enim id cordi præcipuum, ſed ei commune eſt cum cæteris partibus. Ne enim Philoſophos commemorem, qui in jecore, non autem in corde, præcipuorum affectuum, ut amoris, deſiderii, aliorumque ſimilium ſedem collocabant, commune id eſt juxta divinarum ſcripturarum oracula cum oculis, & crinibus; *Vulneraſti Cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Cantic.*4. Commune cum vultu *Specioſus forma præ Filiis hominum. Pſalm.*44. Commune cum ore, cum voce

Ani-

*Anima mea liqueſacta eſt, ut locutus eſt. Cantic.*5. Commune cum manibus, cum pedibus, cum latere pro ſalute hominum vulneratis, cruentatiſque: *Sponſus ſanguinum tu mihi es Exod.*4. Nolim, inquam, cum Adverſariis de hoc ego contendere, nolim hoc in quæſtionem revocare, ſed quod toti dandum eſt corpori, ut ſacram expleat famem amantis animæ, anhelantiſque Deum, quemadmodum ſcriptum eſt *Matth.*24. *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, id non recuſem, de meo jure quaſi decidens, veluti proprium Cordi dare. Quid tamen inde? Num propterea plus Cordi deferemus, uti ſuavis eſt amoris eſca, quam carni Chriſti, uti cibus eſt in Saoramento Altaris? Nemo quidem, ut arbitror, id auſerit affirmare. Quare ſi venit ſub ſpecie panis in Sacramento Altaris, non ſola Chriſti caro, ſed totum corpus ex vi verbi ſignificantis, & operantis: *Hoc eſt corpus meum*, atque adeo, ut apte declarat S. Thomas loco citato *Cum Dominus dixit Joan.6. Caro mea vere eſt cibus: Caro ponitur ibi pro toto corpore*, velint nolint, admittant oportet Adverſarii, quod etiam in Feſto Cordis Ieſu, pars corporis, quæ dat illi nomen, ac titulum, ponatur item pro toto (a). Totum enim indicat non ea ſolum, quæ *ore* profertur, ſed & quæ perſonat *opere* ſignificativa forma cultus. *Non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, ſed quod homo honoretur*, ut inquit S. Thomas 3. *p. q.*25. *art.*1. *corp.* Quantalibet ergo vis detur attractoria quaſi propria, ac præci-

 pua

(a) Hinc vide quam inepta ſit Adverſariorum poſitio, quam non probamus, ſed veteri diſputantium more permittimus, ut liberales ſimus. Repugnat enim, quod pars pro toto ſumpta, ſignificet *proprie*, quod ipſi perperam volunt. Quoties autem pars meri ſymboli ſpeciem munuſque gerit, quod unum ad rem noſtram facit, peræque repugnat, ut in partem ipſam quis feratur ſpeciatim. Nam ſi totum deſignat, ipſumque, ut ita dicam, ſpecificat, non poteſt utique venire ſub toto, niſi velut in globo, hoc eſt dependenter a toto, & ſecundum ordinem, quem habet ad totum, videlicet una cum cæteris partibus, & juxta propriam cujuſque prærogativam, & officium, quod habet in toto; tunc autem pars non venit *actu*, ſed ſola potentia, atque virtute, ut optime declarat S.Thomas *in ſuppl q 3 art 3. ad* 2. *Qui enim aliquod totum appetit, vel diligit potius, etiam diligit partes ejus, quamvis non actu. Et hoc modo, ſecundum quod habent ordinem ad totum. quaſdam plus, quaſdam minus: ſicut qui aliquam Communitatem diligit, virtute ſingulos diligit, plus, & minus, ſecundum eorum ordinem in bono communi.*

Digitized by Google

pua Cordi Jeſu, ad alliciendos hominum animos, ſi fortaſſe efficere ea vis poterit, ut Cor apud Adverſarios qualiſcumque ſive cauſa, ſive ſtimulus ſit, quo moveantur ad cultum Chriſti, at certe efficere nunquam poterit, ut Cor tamquam *ſpecialis*, ac *definita pars* corporis Chriſti *terminus* ſit, & *objectum* diſtincti cultus. Hoc enim in ſenſu ne illa quidem vis Cordis capax eſſe poteſt iſtiuſmodi cultus, tum quia genus quoddam operationis eſt, & *operatio*, ut ait S. Doctor ad 2. *non honoratur, ſed eſt ratio honoris*, tum quia natura ſua disjunctum quid eſt, ac præterea etiam efficit, ut Cor ipſum a toto ſegregatum in Chriſto ſpectetur. Indeque fit, ut quemadmodum a ſe, ita & a Corde ipſo removeat eam omnem conditionem, quæ, ubi de Chriſti adoratione agitur, neceſſaria eſt ad conſtituendum terminum, & objectum cultus. Quare viget æqua lege noſtrum iſtud argumentum a forma Sacramenti mutuatum, & huc opportune traductum ſecundum ipſam formam cultus, quæ totum reſpicit in rationali natura ſubſiſtens.

Quum itaque Chriſtus Dominus, quam in Sacramento Altaris præparavit carnem Fidelibus in cibum, non eam, vel una ipſa *ſignificatione*, ſeparari permiſerit a corpore, ut apte repetit S. Thomas 3. *p. q.*78. *art.*2. *corp. Terminus autem, ad quem: exprimitur per nomen ſignificans naturam ejus, in quod fit converſio. Quod quidem eſt totum Corpus Chriſti, & non ſola caro ejus, ut dictum eſt*; ecquis hominum præſumat eo colore partem carnis, hoc eſt Cor Jeſu, peculiari cultu ſecernere a toto, ob eam cauſam quòd *Cor* proponendum putarit Fidelibus quaſi proprium amoris pabulum? *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Matth.*19. Non ſeparet in propria Chriſti ſpecie, unde nuſquam diviſum eſt: non ſeparet in Sacramento Altaris, ubi manet omni modo, & ſic etiam *ſignificative* indiviſum; quod eo maxime ſpectat, ut corpus Chriſti verum, quod ibi præſto eſt in modum panis, integritate ſua deſignet unitatem corporis myſtici, ſicut expreſſe declarat Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 10. *Unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Fractio Hoſtiæ in Sacrificio Miſſæ nihil facit ad cultum Cordis, tum quia præſcindere poteſt a genere ſigni, tum quia concluſa etiam intra ſigni genus nullam innuit diviſionem Corporis Chriſti.

VErum nec quæri poteſt exadverſo præſidium ex fractione, quæ fit hoſtiæ, in celebratione ſacri Myſterii, quaſi tutam a pari reddere poſſit ſignificativam diviſionem cordis a corpore, quam cultus infert Cordis carnei Chriſti. Eo namque ſpectat dicta fractio, ut multitudo Fidelium de illo uno participet pane, quo in unum adunatur corpus myſticum, ſicuti utrumque his ipſis vocabulis expreſſit Scriptura dicens, de primo quidem *Actor.2. Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*; de ſecundo autem *cap.4. Multitudinis autem credentium erat Cor unum, & anima una*. Hoc proinde ſenſu non habet ea fractio vim ſigni, ſed ad uſum pertinet Sacramenti, & ad conditionem ſacræ Synaxis. Et quidem abſque ulla falſitatis admixtione, ut ad rem probat S. Thomas *3. p. q.77. art.7. corp.* ubi rejiciens opinionem quorumdam antiquorum, qui dixerunt, *quod non erat in hoc Sacramento fractio ſecundum rei veritatem, ſed ſolum ſecundum aſpectum intuentium. Sed hoc*, inquit, *non poteſt ſtare, quia in hoc Sacramento veritatis ſenſus non decipitur circa ea, quorum judicium ad ipſum pertinet, inter quæ eſt fractio, per quam ex uno fiunt multa: quæ quidem ſunt ſenſibilia communia*. Nil itaque fractio hoſtiæ conferre valet ad cultum Cordis carnei. Neque enim cultus præſcindere poteſt, ut illa, a genere ſigni, neque poteſt, ut illa, propria niti veritate. Non poteſt equidem præſcindere a genere ſigni. Fungitur enim quaſi vi verbi, quod præcipuum eſt in genere ſigni. *Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto: & in tali ſignificatione*

tione facti conſiſtit exterior religionis cultus, ut ſupra jam docti ſumus a S. Thoma 22. *q.93. art.*1.*corp.*: ac nec etiam conſequenter poteſt propria niti veritate. Nam ut ait S. Doctor 3.*p. q.*74. *art.*7. *corp. Judicium de ſigno ſumendum eſt ex eo quod ſignificatur*. Quum itaque ſponte ſua cultus, de quo agitur, tendens nimirum in Cor Jeſu carnaliter ſumptum, aperte ſignificet diviſionem Cordis a corpore, a quo tamen Cor illud non fuit unquam diviſum, neceſſe eſt, ut intrinſeca falſitate laboret. *Eſt autem ſignum falſum, cui res ſignificata non reſpondet*, ut præmittit S. Doctor 3.*p. q.*68. *art.*4. *corp. Et ideo ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificetur, erit cultus pernicioſus*, ut apte concludit 22. *q.*93. *art.*1.*corp.*

Sed quia præter obvium ſenſum omnino præſcindentem, ut jam diximus, a genere ſigni, fractio hoſtiæ, quæ fit in Miſſa, ſumi poteſt aliis etiam ſenſibus, quibus referri valet uti ſignum, tum ad corpus Chriſti verum quod in Sacramento continetur, tum ad myſticum quod ad rem pertinet Sacramenti, juvat hic præmiſſis adnectere, quod nec inde periclitatur veritas ſigni, & integritas rei ſignificatæ. Refertur enim ex parte corporis veri ad diviſionem, quæ re ipſa facta fuit in paſſione Domini, ſanguinis ejus a corpore; ex parte vero corporis myſtici ad diverſitatem ſtatuum, & diſtributionem gratiarum ex ipſa paſſione manantium, unde mirus exiſtit ordo, & chariſmatum decor, quibus ornata fulget Eccleſia in fimbriis aureis circumamicta varietatibus, ut optime demonſtrat S.Thomas 3.*p. q.* 83. *art.*5. *ad* 7. ubi ait *Quod fractio hoſtiæ tria ſignificat. Primo quidem ipſam diviſionem corporis Chriſti, quæ facta eſt in paſſione. Secundo diſtinctionem corporis myſtici ſecundum diverſos ſtatus. Tertio diſtributionem gratiarum procedentium ex paſſione Chriſti, ut Dionyſ. dicit 3.cap. Eccleſiaſt. Hierarch. Unde talis fractio non inducit diviſionem Chriſti*. Et jure quidem merito. In paſſione enim corpus ejus, quod manſit in ſe ipſo indiviſum, revera diviſum fuit a ſanguine. Unde quam innuit diviſionem fractio ſpecierum, non ea pertinet ad Chriſti corpus,

pus, quod minime fractum, manſit omnino integrum, ſed ad paſſionem, qua fuit exhauſtum ſanguine, *quia ſeparatio ſanguinis a corpore fuit per paſſionem*, ut ait S. Thomas 3. *p.* *q.* 78. *art.* 3. *ad* 1. Paſſionem autem, quæ dictam intulit limitatam diviſionem, non exhibent ſpecies panis quamdiu ſuam retinent integritatem, quippe quæ ſolam exhibeant corporis (paſſi quidem, ſed integri, & indiſſoluti) realem, ac veram in Sacramento præſentiam, ut conferendo ſignum cum ſigno, & veritatem rei ſignificatæ cum utroque illo ſigno, obſervat S. Thomas 3. *p.* *q.* 77. *art.* 7. *corp.* *Sicut*, inquit, *ſpecies ſacramentales ſunt ſacramentum Corporis Chriſti veri, ita fractio hujuſmodi ſpecierum eſt ſacramentum Dominicæ paſſionis, quæ fuit in Corpore Chriſti vero.* Diſtat igitur ultra omnem comparationis gradum etiam in genere ſigni fractio ſpecierum panis a cultu Cordis carnei. Eoque magis, quod hunc fractionis ritum non adhibet Eccleſia tamquam ſignum ad placitum, ſed ad exemplum Chriſti Domini. Legitur enim *Matth.* 26. quod *accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit.* Fractioni igitur hoſtiæ, ſecus ac fit in carnali cultu Cordis carnalis, certa ſubeſt rei geſtæ veritas. Repræſentat enim factam in Cœna fractionem panis a Domino, eamque refert Eccleſia in typum paſſionis ejus, ut cum S. Auguſtino ſeu potius cum Auctore *lib. ſentent. Proſperi* monet iterum S. Thomas ad hunc locum *in Catena*. *Cum enim frangitur hoſtia, dum ſanguis de Calice in ora Fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis immolatio in Cruce, ejuſque ſanguinis effuſio de latere deſignatur?*

CA-

CAPUT XX.

Per diviſionem ſpecierum panis, & vini, & admixtionem aquæ in conſecratione calicis, commendavit Dominus unitatem corporis myſtici. Hujuſque unitas & integritas reſpondet unitati & integritati illius corporis phyſici. Qui ad Sacramentum accedunt indigne, falſi etiam crimen committunt, quia mens eorum diſſidet a ſigno.

PEculiari animadverſione digna ſunt quæcumque tum ad realis, tum ad myſtici corporis ſui integritatem inſinuandam in Euchariſtico Sacramento geſſit Chriſtus Salvator. Quamquam etenim ſacrorum myſteriorum inſtitutio ordinata eſſet ad repræſentandam, commendandamque ſeparationem ſanguinis a corpore per paſſionem, & mortem Crucis: *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, ut ex Domini traditione teſtatur Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 11; nihilominus uſque adeo cordi fuit ipſi Chriſto, ne quid inde detrimenti capere videretur Eccleſiaſticæ unitatis ſignificatio ab eadem illa corporis ſui integritate derivata, ut certas unitatis hujus notas ambabus Sacramenti ſpeciebus altius imprimere, iiſque penitus inhærere voluerit. Panis enim, qui conſecratur in corpus, & vinum quod conſecratur in ſanguinem, ex multis conſtant in unum mixtis; panis ſcilicet ex multis granis, & vinum ex multis acinis, quod ad unitatis myſterium pertinere nemo non videt, & perbelle notavit S. Auguſtinus *Tractat. ſuper Joan. cap.* 26. *Commendavit autem Dominus corpus, & ſanguinem ſuum in eis rebus, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Panis namque in unum ex multis granis conficitur: vinum vero in unum ex multis acinis confluit. Ita Dominus Jeſus Chriſtus nos ſignavit, & myſterium pacis ac unitatis noſtræ in ſua menſa conſecravit.* S.Auguſti-

guſtinum ſequitur more ſuo S. Thomas *in Catena ad Matth.26.* prout etiam *3.p. q.79. art.1.corp.*, & prius ſupra *q.74. art.1. corp.* ubi cauſas adferens, propter quas panis, & vinum delecta ſint pro convenienti materia Euchariſtiæ, hanc inter alias ultimam tradit. *Quarto quantum ad effectum reſpectu totius Eccleſiæ, quæ conſtituitur ex diverſis Fidelibus: ſicut panis conficitur ex diverſis granis, & vinum fluit ex diverſis uvis, ut dicit Gloſſ. ſuper illud 1. Corinth.10. Multi unum corpus ſumus &c.* Eodemque ſpectat quæ fit aquæ admixtio cum vino, ut cum S. Remigio obſervat S. Doctor *in Catena Matth.26. Sciendum etiam, quod ut Joannes dicit. Aquæ multæ populi ſunt. Et quia nos oportet ſemper manere in Chriſto, & Chriſtum in nobis: vinum aquæ mixtum offertur, ut oſtendatur, quia caput, & membra, ideſt Chriſtus, & Eccleſia, unum ſunt corpus.* Et cum Ven. Beda *Marc.14. Quia & nos in Chriſto, & in nobis Chriſtum manere oportet, vinum Dominici calicis aqua miſcetur; Atteſtante enim Joanne: Aquæ populi ſunt; & neque aquam ſolam, neque ſolum vinum cuique licet offerre, ne talis oblatio caput a membris ſecernendum eſſe ſignificet.* Et hoc plene teſtatur etiam *3. p. q.74. art.6. corp.*, *q.82. art.3. ad 1.*, & *q.83. art.6. ad 6.* Præclare S. Cyprianus *lib.2. epiſt.3. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa, ſibi invicem copulatur, tunc Sacramentum ſpirituale, & cæleſte perficitur.*

Significatio autem corporis myſtici in integritate fundatur corporis veri, quod quum omnis ſit expers diviſionis, parteſque ſuas contineat omnes in unum, manifeſto indicio eſt, quod etiam multitudo fidelium conglutinatur in Chriſto, tanquam in centro unitatis, ut apte notat S. Thomas *3.p. q.81. art.2. ad 3.* ubi *quod Euchariſtia eſt Sacramentum unitatis Eccleſiaſticæ, quæ attenditur ſecundum hoc, quod multi ſunt unum in Chriſto.* Non aliunde tamen ſignificatio hæc in Euchariſtiam derivatur, quam ex *totalitate* Chriſti, & integritate corporis

ejus in propria ſpecie. Unde ait S. Doctor *in Catena Luc.* 22. *Totum autem corpus, & ſanguinem Domini ſuſcipit, etiamſi myſteriorum partem accipiat. Sicut enim unum ſigillum diverſis totam ſuam figuram impartitur, & integrum manet poſt diſtributionem: & ſicut una vox penetrat ad multorum auditus, ſic nulli dubium ſit, corpus, & ſanguinem Domini totum in omnibus reperiri.* Et poſt S. Auguſtinum *de verb. Domini* hæc habet *Matth.* 26. *Norunt fideles quemadmodum manducent carnem Chriſti, unuſquiſque partem ſuam accipit, per partes manducatur in Sacramento, & integer manet: totus in cælo, totus in Corde tuo.* Ea autem communis participatio unitatem commonſtrat corporis myſtici, ut ſupra jam vidimus, & obſervat S. Thomas 3. *p.* q. 73. *art.* 4. *corp. Aliam autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis, ſcilicet Eccleſiaſticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum: & ſecundum hoc nominatur communio, vel ſynaxis. Dicit enim Damaſc.* 4. *lib.* (*orthod. fid. cap.* 14.) *quod dicitur communio, quia communicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus ejus carne, & Deitate, & quia communicamus, & unimur ad invicem per ſe ipſam.* Et propterea reus eſt pernicioſæ falſitatis, (quod ad rem noſtram maxime pertinet,) qui cum conſcientia læthalis culpæ ad hanc participationem accedit. Nam ut ait S. Doctor 3. *p.* q. 80. *art.* 4. *corp. In hoc Sacramento, ſicut in aliis, id quod eſt Sacramentum, eſt ſignum ejus, quod eſt res Sacramenti: duplex autem eſt res hujus Sacramenti, ſicut ſupra dictum eſt: una quidem, quæ eſt ſignificata & contenta, ſcilicet ipſe Chriſtus: alia autem eſt ſignificata, & non contenta, ſcilicet corpus Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas Sanctorum. Quicumque ergo hoc Sacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto unitum, & membris ejus incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifeſtum eſt, quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum ſumit, falſitatem in hoc Sacramento committit.* Quod etiam S. Auguſtinus paucis expreſſit *Tract.* 62. *in Joan. Quomodo*, inquit, *non damnabitur, qui ad ejus menſam fingens ſe amicum, accedit inimicus?* CA-

CAPUT XXI.

In cultu Cordis carnei ſignum diſſidet a mente. Diſcrimen affertur inter Feſtum Corporis, & Feſtum Cordis Chriſti. Objectum cultus nil a veritate alienum in primo, ſed habet in ſecundo. In Feſto Corporis ſenſus hominis aſſequitur quicquid aſſequi poteſt intra propriam ſphæram; ſecus in Feſto Cordis.

QUam falſitatem committit circa corpus Chriſti myſticum, qui accedit ad Sacramentum indigne ob hanc plane cauſam, quam S. Thomas 3.*p.* *q*.80. *art*.4. *ad* 1. hiſce verbis exponit: *Chriſtus in propria ſpecie apparens non exhibebat ſe tangendum hominibus in ſignum ſpiritualis unionis ad ipſum, ſicut exhibetur ſumendus in hoc Sacramento; & ideo peccatores eum in propria ſpecie tangentes, non incurrebant crimen falſitatis circa divina, ſicut peccatores ſumentes hoc Sacramentum* (*a*); eandem ipſam committere videtur circa corpus Chriſti verum, qui cultum defert ejus Cordi carneo. Nec aliud revera inter hæc invenies diſcrimen, niſi quod in primo caſu mens diſcrepat a ſigno, quia peccator non habet fidem formatam, per quam incorporatur Chriſto, & membris ejus, quod fit, & fieri ſignificatur in ſacra Synaxi; in altero autem res contra ſe habet. Non mens

H 2 a ſi-

(a) Hinc peccatores, quovis ſint irretiti crimine, ficti dicuntur per antonomaſiam ad Sacramentum accedere, ut agens de Baptiſmo generaliter admonet S. Thomas 3.*p.* *q*.69 *art*.9. *ad* 3. ubi *Quod fictus dicitur aliquis ex eo, quod demonſtrat, ſe aliquid velle quod non vult. Quicumque autem accedit ad Baptiſmum, ex hoc ipſo oſtendit ſe rectam fidem Chriſti habere, & Sacramentum venerari, & velle ſe Chriſto conformari, & velle a peccato recedere. Unde cuicumque peccato vult homo inhærere, ſi ad baptiſmum accedit, fictus accedit: quod eſt indevote accedere. Sed hoc intelligendum eſt de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur, non autem de peccato veniali. Unde fictio hic quodammodo includit omne peccatum*; quod ea ratione probat ſupra *q*.68. *art*.4. *corp*. *Quia in ſacramentalibus ſignis non debet eſſe aliqua falſitas. Eſt autem ſignum falſum cui res ſignificata non reſpondet. Ex hoc autem quod aliquis lavandum ſe præbet per baptiſmum, ſignificatur quod ſe diſponat ad interiorem ablutionem, Quod non contingit de eo, qui habet propoſitum perſiſtendi in peccato.*

a ſigno, ſed ſignum diſcrepat a mente. Nam qui cultum deſert Cordi carnis, is eo cultu non æquat, nec æquare poteſt, quem gerit in mente, cultum corporis, & totius Chriſti.

Nec eſt, cur urgeas, omnem abeſſe falſitatis notam a ſimili cultu in Feſto Corporis Domini, licet habeat pro objecto ipſum naturale (*a*) corpus Chriſti. Res enim hinc inde diſtat toto cælo. In Feſto namque Corporis Domini ſignum concordat ad unguem cum re ſignificata. Nam in Sacramento Altaris, cujus ergo inſtitutum fuit dictum Feſtum, corpus re ipſa, hoc eſt vi verbi ſignificantis, & operantis, conſecratur ſeorſum a ſanguine ad repræſentandum Crucis myſterium, ut cum Gloſſa obſervat S. Thomas *Matth.26. Conveniens etiam fuit ad ſignandam Dominicam paſſionem, ut ſub duplici ſpecie hoc Sacramentum inſtitueretur. In paſſione enim ſanguinem ſuum effudit, & ſic ſanguis ejus fuit a corpore ſeparatus: oportet ergo ad Dominicam paſſionem repræſentandam ſeorſum proponi panem, & vinum, quæ ſunt corporis, & ſanguinis Sacramenta.* Quod & paſſim repetit *3.p. q.74. art.1. corp. q.76. art.2. ad 1. & 2. q.78. art.3. ad 1. & 2., & ad 7. q.80. art.12. ad 3., & q.83. art.2. ad 2.* alibique frequenter. Recte igitur inſtitui potuit Feſtum illud citra ullam falſi notam. Nam ut ait S. Doctor *in 1. Sent. diſt. 16. q.1. art.3. ad 3. Non fuit ibi falſitas ſigni, quia ſignatum reſpondebat ſigno, & res ſimilitudini.* In Feſto autem Cordis Jeſu, ſi cultum deferas Cordi ipſi, non concordat ſignum cum re ſignificata, quia ſacrum Chriſti Cor non fuit unquam ſeparatum

(a) Quod naturale Corpus Chriſti ſolitarie ſumptum, non ſit objectum adæquatum hujus Feſti perſpicue docet Benedictus XIV. *de Canonizat. lib.4. par.2. cap.31. num.21.* uti de more veſtigiis inhærens S. Thomæ, qui partes habuit in illius inſtitutione præcipuas, ſic ad rem loquitur. *Una etenim eademque adoratione adoranda eſt divinitas Chriſti, & eius humanitas juxta doctrinam D. Thomæ 3.p. q.25. art 1. Quocirca idem S Doctor in Officio, quod compoſuit pro Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ne putaretur cultus dirigi ad Corpus Chriſti præciſe ſumptum, his verbis uſus eſt in Invitatorio, in quo præſertim proponitur intentio Eccleſiæ; Chriſtum Regem adoremus dominantem gentibus, qui ſe manducantibus dat ſpiritus pinguedinem.* Atque hinc eſt, quod Feſtum *Corporis Domini* latinis vocibus nuncupatum, italice Feſtum redditur Auguſtiſſimi Sacramenti, & preſſius etiam gallice contrahitur ad Feſtum Domini *Fête-Dieu*.

ratum a corpore, quod tamen ipſa ſui vi cultus ille ſignificare videtur. Et propterea nihil ineptius afferri poteſt ad tuendum Feſtum Cordis *carnaliter* accepti, quam exemplum deſumtum a ſolemni Feſto Corporis Domini, de quo certo conſtat, quod in paſſione ſeparatum fuit, & in triduo mortis ſeparatum manſit a ſanguine.

Sed alia quoque præſto ſunt diſcrimina, duoque præſertim, quæ ſtatim e medio tollunt qualiſcumque comparationis ſpeciem, quam inter unum, & alterum feſtum Adverſarii noſtri inſtituere tentant. Primum eſt, quod corpus Chriſti, uti præferens quicquid ſubjici poteſt humanis ſenſibus ex parte naturæ aſſumptæ, non eſt aptum natum eam ingerere ſpeciem ſui, ut quod carnis eſt, ab anima Chriſti, ejuſque Divinitate diviſum appareat. Ad neutram namque ſeu animæ a corpore, ſeu Verbi ab humana eaque integra natura diviſionem, dum ipſum corpus Chriſti adoratur, aſſurgere poteſt ſenſus hominis, ſed ſola mens; & quidem vitio, & abuſu licentiæ ſuæ hujus diviſionis imaginem ſibi fingit, ſi quandoque contingat, ut in ejuſmodi errorem liberrime cœca labatur. Contra vero ſpecies Cordis, quæ totius aſpectabilis objecti amplitudinem non repræſentat ſenſui, neque ei offert, ut altera (*a*) corporis, quicquid

(a) Nec dici poteſt ſub ipſa quoque corporis ſpecie ſubduci ſenſui objecti ſui partem, hoc eſt ſanguinem Chriſti. Nam unum, idemque Feſtum Corporis Domini complectitur ſimul & corpus, & ſanguinem, utpote inſtitutum ad utrumque colendum ſub panis vinique ſpeciebus in Sacramento Altaris, quod complexu ſuo utrumque ſimul continet. Idque in publicis illius diei, totiuſque Octavæ precibus, tum in Liturgia, tum in divinis aliis Officiis ſacriſque functionibus celebrandis, diſerte teſtatur Eccleſia, ea jugiter verba repetens, & ad Chriſtum dirigens: *Præſta quæſumus, ita nos corporis, & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari &c.*

Quiſquis deinde Fidelium ſub una tantum ſpecie panis *Corpus Domini* adorat, illud corpus adorat, quod certe non mortuum, ſed & vivum & animatum, proprium eſt Perſonæ Verbi; & ita totum Chriſtum eo velamine tectum adorat: in eum fere modum, quo qui vivum honorat corpus Regis purpura tectum, totum Regem honorat. Satis proinde eſt ad ſervandam veritatem adorationis, quæ *toti Chriſto* debetur, ſi corpus ejus ſub illa etiam unica panis ſpecie contineri dicatur. Hinc nihil tam ſolemne fuit antiquiſſimis omnibus Eccleſiæ Patribus, quam *Corpus Domini* appellare, ubi de eo una cum Verbo adoratione colendo adverſus tum Arianos, tum Neſtorianos, tum Apollinariſtas, alioſque ejus peſtis hæreticos diſputabant. *Cujus eſt Corpus*, inquit S. Athan. lib. 3. de Incarnat., *huic adhibetur adoratio. Quare uti mere-*

Digitized by Google

quid aſſequi poteſt in natura aſſumpta, ſponte ſua talis eſt, & ita figuram unius tantum particulæ ex toto veluti corpore excerptæ ſub tactum ipſum, oculoſque hominum collocat, ut ſi non animam, & divinitatem Chriſti, quæ prorſus exorbitant, ea tamen videatur omnino præcidere, quæ reliqua ſunt intra ſphæram ſenſus, hoc eſt cætera membra, totumque corpus. Quapropter etiam *abſtractive* loquendo, magis eſt ad fallendum proclivis, in mutua utriuſque Feſti comparatione, cultus Chriſti ſub objecto Cordis, quam Corporis, ſub ſpecie partis, quam totius, ut recte diſtinguit S. Thomas 1. *p.* q. 17. *art.* 1. *ad* 4. Ait enim, *quod ſimilitudo, vel repræſentatio deficiens, non inducit rationem falſitatis, niſi in quantum præſtat occaſionem falſæ opinionis. Unde non ubicumque eſt ſimilitudo, dicitur res falſa: ſed ubicumque eſt talis ſimilitudo, quæ nata eſt facere opinionem falſam, non cuicumque, ſed ut in pluribus = Et ſic dicitur res eſſe falſa, quæ nata eſt facere de ſe opinionem falſam*, ut ibi præmittit *in corp.* Quod quidem recte quadrat in cultum partis, ipſius videlicet Cordis, ut ea ratione mox apte probat, *quia innatum eſt nobis per ea, quæ exterius apparent, de rebus judicare, eo quod noſtra cognitio a ſenſu ortum habet, qui primo, & per ſe eſt exteriorum accidentium.* Cæterum ſi non *abſtracte*, ſed *realiter* loquamur, ſpecies corporis Chriſti nullam omnino opinionem falſam, nullamque errandi occaſionem ſuapte naturam parere poteſt. Quod tamen omnino præſtat ſpecies ipſa Cordis.

CA-

meretur, ac par eſt, adoratur, ac divina afficitur adoratione. Deus enim eſt Verbum, cujus proprium eſt Corpus. Ita & Epiphanius, & Cyrillus, & Ambroſius, & Auguſtinus, & Patres alii loqui conſueverunt. At vero ſub effigie unius cordis, vel in imaginatione noſtra, vel in tabulis picta, non aliud profecto quam vel pars aliqua ſecta, vel inteſtinum quoddam avulſum e Chriſti pectore in hoc Feſto ſpectandum proponitur; ex quo fit, ut non jam vivus, non animatus, non integer, ſed mortuus potius, corruptus, ſectus, imo & eviſceratus, (parcant piæ aures indignitati vocis) Chriſtus repræſentari videatur.

CAPUT XXII.

Naturale Corpus Chriſti non ſpectat ad Feſtum Corporis, prout eſt in propria ſpecie, ſed in ſpecie Sacramenti. Quantitas dimenſiva, quæ ſub Sacramento eſt in modum ſubſtantiæ, tota eſt in toto, & tota in qualibet parte.

Atque ex ante dictis alterum manat utriuſque Feſti diſcrimen. Naturale quippe corpus Chriſti non venit in Feſto Corporis Domini, quale fulget in cælis ſub propria ſpecie, & eſt objectum ſenſus, ſed quale latet in Sacramento ſub extranea ſpecie panis, & eſt tantum objectum fidei, ut obſervat S. Thomas 3. *p. q.76. art.7. corp. Corpus Chriſti ſecundum modum eſſendi, quem habet in hoc Sacramento, neque ſenſu, neque imaginatione perceptibile eſt, ſed ſolo intellectu, qui dicitur oculus ſpiritualis .... Ab intellectu autem hominis viatoris non poteſt conſpici, niſi per fidem*. Unde canit Eccleſia

Viſus, guſtus, tactus in te fallitur,
Sed auditu ſolo tuto creditur.

Hanc ob cauſſam corpus Chriſti peculiari Feſto donatum, quatenus eſt ſub ſpecie Sacramenti, in quo tota ſubſtantia panis directe convertitur in ipſum ſolum, cætera vero, hoc eſt Sanguis, Anima, & Divinitas veniunt tantum ex naturali concomitantia, tam impar eſt ad innuendam diviſionem ſui ab Anima, & ab hypoſtaſi Divini Verbi, (ſi tamen non illam diviſionem intelligas, quæ præceſſit in morte Chriſti per effuſionem ſanguinis, & ipſam animæ ſeparationem, quæque in Sacrificio Altaris modo incruento repræſentatur, ſed diviſionem intelligas realem, atque præſentem), quam ſit impar ad eam innuendam inſtitutio ipſa Euchariſtica a Chriſto Domino peracta, & ſeorſum terminata, cum ad proprium corpus, tum ad proprium ſanguinem. Æque enim in illo Feſto, & in hac inſtitutione,

tione, Corpus Chriſti non proponitur ut ſenſibile, ſed ut intelligibile tantum. *Intellectus autem, cujus eſt proprium objectum ſubſtantia (ut dicitur in tertio de Anima) per fidem a deceptione præſervatur*, ut ait S. Thomas 3. *p.* *q.*75. *art.*5. *ad* 2. Imo nec ulla ſubeſt deceptionis occaſio ſub objecto, & præſentia corporis ſic accepti, hoc eſt intelligibili modo, non vero ſenſibili, ut ſtatim addit *ad* 3. *Nam fides non eſt contra ſenſum, ſed eſt de eo, ad quod ſenſus non attingit*. Quid hæc autem ad Feſtum Cordis? in quo ſecundum Adverſariorum placita, objectum, & terminus cultus Cor ipſum carnis eſt in propria ſpecie aſpectabile: ſecus ac in altero Feſto, in quo corpus Chriſti ſpectatur, ut diximus, prout eſt ſub ſola ſpecie Sacramenti;

Dies enim ſolemnis agitur,
In qua Menſæ prima recolitur
Hujus inſtitutio;

ut ad rem canit iterum Eccleſia.

Sed eſto. Feſtum *Cordis Jeſu*, quod, ut audivimus, charactere carnis conſignatum, ad Cor ipſum, uti eſt in propria ſpecie, refertur, & objectum habet longe diverſum quam Feſtum Corporis Domini, nullam inferat diviſionem Cordis neque ab Anima, neque a Divinitate Chriſti, quarum reſpectu admiſerim, ut liberalis ſim, parem eſſe rationem utriuſque Feſti; non poteſt tamen non inferre diviſionem cordis a corpore. Niſi etenim fingas ideale quoddam *Sacramentum Cordis*, non poteris unquam ab eo ſejungere proprium modum trinæ dimenſionis. Hæc autem vi ſua capitali impedimento eſt, quominus æquet, & ſuas faciat, compenetretque ampliores totius corporis dimenſiones, quemadmodum evenit in vero ipſius corporis Sacramento, ut opportune docet S. Thomas 3. *p.* *q.*76. *art.*4. *ad* 1. ubi ad obſtans principium, quod *nulla quantitas dimenſiva, tota continetur in aliquo toto, & in qualibet parte ejus*: apte reſpondet *ad* 1., *quod modus eſſendi cujuslibet rei determinatur ſecundum id, quod eſt ei per ſe, non autem ſecundum id*

quod

Digitized by Google

quod eſt ei per accidens : ſicut corpus eſt in viſu ſecundum quod eſt album, non autem ſecundum quod eſt dulce, licet idem corpus ſit album, & dulce. Unde & dulcedo eſt in viſu ſecundum modum albedinis, non ſecundum modum dulcedinis. Quia igitur ex vi hujus Sacramenti eſt in Altari ſubſtantia corporis Chriſti, quantitas autem dimenſiva ejus eſt ibi concomitanter, & quaſi per accidens; ideo quantitas dimenſiva corporis Chriſti eſt in hoc Sacramento non ſecundum proprium modum (ut ſcilicet ſit tota in toto, & ſingulæ partes in ſingulis partibus) ſed per modum ſubſtantiæ, cujus natura eſt tota in toto, & tota in qualibet parte. Et rurſus *ad 3.* ubi *quod quantitas dimenſiva corporis Chriſti non eſt in hoc Sacramento ſecundum modum commenſurationis, qui eſt proprius quantitati, ad quam pertinet, quod major quantitas extendatur ultra minorem : ſed eſt ibi per modum jam dictum.*

CAPUT XXIII.

Cor Jeſu quod intruditur in novum Feſtum, prout eſt in propria ſpecie, non poteſt ineſſe toti, nec ſuas facere dimenſiones totius.

COR autem Jeſu non ſymbolice ſumptum, ſed proprie, non venit ſub Feſto ſuo, velut in modum puræ ſubſtantiæ, ſicut Corpus Domini ſub Sacramento, ejuſdemque nominis Feſto, ſed etiam in modum quantitatis, quæ totum venire non ſinit ſub una dimenſione partis. Nam ut ait S. Thomas *3. p. q.76. art.1. in 3. arg. Corpus majoris quantitatis non poteſt totum contineri ſub minoris quantitatis menſura.* Nec id aliter effici poteſt, quam modo prædicto, qui corpori congruit, prout eſt ſub Sacramento; ut reſpondendo notat S. Doctor *ad 3.* ubi: *Dimenſiones*, ait, *panis, vel vini non convertuntur in dimenſiones corporis Chriſti, ſed ſubſtantia in ſubſtantiam. Et ſic ſubſtantia corporis Chriſti, vel ſanguinis eſt ſub hoc Sacramento ex vi Sacramenti, non autem dimenſiones corporis, vel*

ſanguinis Chriſti. Unde patet, quod corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, & non per modum quantitatis. Propria autem totalitas ſubſtantiæ continetur indifferenter in parva, vel magna quantitate: ſicut tota natura aeris in magno, vel parvo aere, & tota natura hominis in magno, vel parvo homine. Unde & tota ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti continetur in hoc Sacramento poſt conſecrationem, ſicut ante conſecrationem continebatur ibi tota ſubſtantia panis, & vini. Et rurſum id repetit *art.3. corp.* ubi dicit: *Quod ſicut ex ſupra dictis patet, quia in hoc Sacramento ſubſtantia corporis Chriſti eſt ex vi Sacramenti, quantitas autem dimenſiva ex vi realis concomitantiæ: ideo corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, id eſt per modum, quo ſubſtantia eſt ſub dimenſionibus, non autem per modum dimenſionum, ideſt non per modum illum, quo quantitas dimenſiva alicujus corporis eſt ſub quantitate dimenſiva loci. Manifeſtum eſt autem, quod natura ſubſtantiæ tota eſt ſub qualibet parte dimenſionum, ſub quibus continetur: ſicut ſub qualibet parte aeris eſt tota natura aeris, & ſub qualibet parte panis, eſt tota natura panis. Et hoc indifferenter, ſive ſint dimenſiones actu diviſæ (ſicut cum aer dividitur, vel panis ſecatur), vel etiam ſint actu indiviſæ, diviſibiles vero potentia. Et ideo manifeſtum eſt, quod totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum panis etiam hoſtia integra manente, & non ſolum cum frangitur. Et art.4. corp. Dupliciter*, inquit, *aliquid Chriſti eſt in hoc Sacramento. Uno modo ex vi Sacramenti, alio modo ex reali concomitantia. Ex vi quidem Sacramenti quantitas dimenſiva corporis Chriſti non eſt in hoc Sacramento. Ex vi enim Sacramenti eſt in hoc Sacramento illud, in quod directe converſio terminatur. Converſio autem, quæ fit in hoc Sacramento, directe terminatur ad ſubſtantiam corporis Chriſti, non autem ad dimenſiones ejus.*

Ineptеque diceretur etiam Cor ipſum, non in modum quantitatis ſed ut corpus, in modum ſubſtantiæ contineri, ſi non in propria Chriſti ſpecie, ſaltem in Sacramento Altaris.

Id

Id namque principium petit, & per eamdem retunditur inſtantiam. Sicut enim corpus Chriſti, prout eſt in propria ſpecie, non eſt objectum Feſti, quod agitur de eo, prout eſt ſub ſpecie Sacramenti: ſic viceverſa quod agi tentatur de Corde, prout eſt in propria Chriſti ſpecie, verti nequit in objectum Feſti Cordis, prout eſt ſub ſpecie Sacramenti. Id enim non patitur ipſa vis objecti. Neque enim ob diverſam rationem formalem unius & alterius objecti, intelligi poteſt, quomodo Corpus, & Cor ſub una ſimul & altera ſpecie conſiſtant, *Corpus* ſcilicet, prout eſt *ſub ſpecie Sacramenti*, *Cor* autem prout eſt *in propria ſpecie*. Ex his namque conſequeretur, ut Cor Jeſu, quod ad objectum illius Feſti pertinet, prout eſt in propria ſpecie: quas habet in ſe dimenſiones toto corpore minores, eas ſecum quodammodo ferret, ac retinere cenſeretur, ſecundum rationem formalem objecti ſui, ſub ipſa quoque Sacramenti ſpecie; indeque fieret, ne cor in Sacramento, licet ſecundum propriam ſpeciem conſideratum, aliquid minus eſſet corpore ipſo. Eo nempe pari modo, quo corpus ex oppoſito, quia Feſto ſubeſt, prout eſt in Sacramento, quod a modo dimenſionum abhorret, non intelligitur habere ſecum, ſecundum rationem formalem objecti ſui, dimenſiones iis majores, quas habent ſingulæ corporis partes, ſub propria ſpecie; alioquin dici deberet, quod corpus in propria ſpecie non eſſet majus ſua quavis parte. Sed audiamus S. Thomam, qui hæc omnia præclare explicat *3. p. q. 76. art. 3. ad 2.* Docet enim: *Quod illa determinata diſtantia partium in corpore organico fundatur ſuper quantitate dimenſiva ipſius: ipſa autem natura ſubſtantiæ præcedit etiam quantitatem dimenſivam. Et ideo quia converſio ſubſtantiæ panis directe terminatur ad ſubſtantiam Corporis Chriſti, ſecundum cujus modum proprie, & directe eſt in hoc Sacramento Corpus Chriſti: talis diſtantia partium eſt quidem in ipſo Corpore Chriſti vero: ſed non ſecundum hanc diſtantiam comparatur ad hoc Sacramentum, ſed ſecundum modum ſuæ ſubſtantiæ.* Et ad objectum, quod *de ratione corporis eſt, ut ſit quantitas, poſi-*

tionem habens : reſpondet *ad* 3. *Quod ratio illa procedit de natura corporis, quam habet ſecundum quantitatem dimenſivam. Dictum eſt autem, quod Corpus Chriſti comparatur ad hoc Sacramentum, non ratione quantitatis dimenſivæ, ſed ratione ſuæ ſubſtantiæ*.

Nihil hîc moror recentium quorumdam Theologorum placita, qui de eſſentia quantitatis aliter ac S. Thomas, philoſophantur, eamque in actuali extenſione partium in ordine ad locum collocandam cenſent, eidemque propterea Chriſti corpori in Euchariſtiæ Sacramento nonnihil hujuſmodi extenſionis tribuunt. Nam & ii demum fatentur, modum, quo Chriſti corpus in cælo eſt, diverſum ab eo eſſe, quem & ipſi cum Tridentino Concilio *Sacramentalem* appellant, quove illud idem Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſub Euchariſtica ſpecie præſens eſſe teſtantur. Idque ſatis etiam eſſe poſſet ad inſtitutum noſtrum; quum ne ſic quidem Cor Chriſti ſpectatum in hoc novo Feſto ab Adverſariis, ut eſt *in propria ſpecie*, eodem modo & eſſe & conſiderari poſſit in Euchariſtiæ Sacramento. Sed S. Thomæ doctrina paullo ante tradita, ea eſt, quæ catholicum dogma de Euchariſtiæ Sacramento tuto munit, ſolideque defendit. Nam recens illa Philoſophorum opinio cum tanti myſterii fide, ac dignitate, ut plerique Theologorum exiſtimant, conciliari vix poteſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

Ratio formalis non ſumitur ex fine, ſed ex objecto. Cor Jeſu, prout eſt in Sacramento, non pertinet ad Feſtum Cordis, ſed ad Feſtum Corporis. Abuſio novi Feſti ſubrepere facit ideale quoddam Sacramentum Cordis. Cultus ejus in propria ſpecie geminam lædit integritatem Dominici corporis naturalem, ac myſticam. Utraque integritas repræſentatur in tunica inconſutili Chriſti.

QUod ſi Patroni Cordis urgerent, recens Feſtum ob eamdem prorſus *rationem formalem*, qua Corpus Domini colitur, fuiſſe inſtitutum, ut nempe reparentur injuriæ, quæ Chriſto Jeſu in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ab ingratis improbiſque hominibus cum ſingulis ferme diebus ubique inferuntur, tum vero maxime in ea ſolemni celebritate, qua hujus myſterii inſtitutio quotannis in tota Eccleſia commemoratur, aberrarent profecto quammaxime; quia *ratio formalis* ſumitur ex *objecto Feſti*, non autem ex *fine*. Et vero ſi Feſtum, de quo agitur, ſuam ſortiretur *rationem formalem* ex *fine* mox indicato, non eſſet dicendum Feſtum Cordis; Cor enim injuriis hiſce nihilo plus quam corpus obnoxium eſt; ſed aptiori nomine vocandum eſſet Feſtum *Expiationis*. Objectum autem novi Feſti exadverſo ſtatuitur in corde carnis, prout eſt in propria Chriſti ſpecie, non ſub ſpecie Sacramenti; ac propterea ſecundum *rationem formalem proprii objecti*, ne in ipſo quidem Sacramento conſideratur ad modum *quantitatis intelligibilis*, ſed ad modum *quantitatis ſenſibilis*, ut ſolide docet S. Thomas 3. *p. q.*76. *art.*4. *ad* 1., eaque nititur, ut vidimus, invicta ratione, *quod modus eſſendi cujuslibet rei determinatur ſecundum id, quod eſt ei per ſe, non autem ſecundum id, quod eſt ei per accidens: ſicut corpus eſt in viſu ſecundum quod eſt album,*

bum, *non autem ſecundum quod eſt dulce*, *licet idem corpus ſit album*, *& dulce*. *Unde & dulcedo eſt in viſu ſecundum modum albedinis*, *non ſecundum modum dulcedinis*. Cor itaque prout eſt in Sacramento, non pertinet ad Feſtum Cordis, ſed ad Feſtum Corporis Domini. Unde fit, ut in objecto Feſti ſui reſpiciatur dumtaxat, prout eſt in *propria ſpecie*; ſicque neque haberi, neque ſpectari poſſit ſicut in Sacramento, uti *par* toti corpori, hoc eſt non minus toto, nec diſcretum a toto *ſecundum quantitatem dimenſivam* in ordine ad locum.

Nunquam igitur valere poterit argumentum à Feſto Corporis ad Feſtum Cordis, niſi vel Sacramentum Corporis convertatur in Cor, quod ejus inſtitutioni repugnat, ut alibi viſum eſt, vel novum reveletur hactenus ignotum, & a ſæculis abſconditum *Sacramentum cordis*: quô tamen ſenſim vergit qui cordi carnali deditur cultus. Licet enim omnifariam uſurpetur, peculiarius tamen adoptatur ſub ſpeciebus Euchariſticis, utpote tendens ad reparandas, ut dicitur, illatas Chriſto injurias in Sacramento amoris. Et jam novitas iſta locum habere cœpit in formulis nonnullarum precum, quæ vel in Germania ipſa ſub hæreticorum oculis in lucem aliquot ab hinc annis prodire viſæ ſunt. Inter has enim oratio eſt, qua rogatur *Deus*, *qui ſub Sacramento mirabili cor ſuum dedit nobis in cibum* ad manducandum. Hinc uſitatum eſt, ac frequens in novo ideali idiotiſmo Sectatorum dicti cultus, ut contra omnem loquendi morem tam ſacrum, quam profanum accipiatur jam pro ſymbolo amoris non ſola ſimilitudo cordis, ſed & ipſa cordis ſubſtantia. Quod, ut vides, eo pedetentim adducit, ut in Sacramento Altaris, quâ Sacramentum Amoris eſt, vix corpus in obliquo, cor autem eminere ſignificetur in recto. In hunc autem modum, utrum Sacramentum corporis redigi videatur ad cor, an vero quaſi novum Sacramentum cordis, uni illi Sacramento corporis Chriſti addi magis videatur, nihil ad rem arbitror pertinere. Magni tamen, plurimique intereſt, ne certus ſub incertum ſubrepat error, dum res tacite properat

ad

ad alterutrum. Non immoror diutius in hoc gravi argumento, quod non eſt præſentis indaginis. Sed huc tamen neſcientes impingunt, qui tenaci propoſito valere volunt inductionem a Feſto Corporis ad Feſtum Cordis. Niſi etenim parem ſtatuant Sacramenti rationem in corde, ita ut tale ſit cor Chriſti in *propria ſpecie* quantitate ſua *dimenſiva* ſpoliatum, quale eſt *Corpus* in Euchariſtia, (quod vel cogitare ſummæ dementiæ eſſet,) nunquam excuſare poterunt Feſtum Cordis ab ingeſta ſpecie illius diviſionis a toto, quod maxime derogat, integritati geminæ tum naturali, tum myſticæ corporis Chriſti.

De utraque integritate plura ſparſim attigimus ſuis in locis; ſed hic utramque ſimul complecti juvat ſub eo ſymbolo, quod nobis ſpectandum exhibet Apoſtolus Joannes in Evangelio ſuo *cap.19. Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit. Ut Scriptura impleretur dicens. Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem.*

Factum hoc militum abſque dubio propheticum fuit, licet ii non intelligerent quò pertineret, ut obſervat S. Thomas 22. *q.*173. *art.*4. *corp. Similiter etiam cum Spiritus Sanctus movet mentem alicujus ad aliquid faciendum, quandoque quidem intelligit, quid hoc ſignificet .... Quandoque vero non intelligit: ſicut milites dividendo veſtimenta Chriſti non intelligebant, quid ſignificaret.* Significabat autem integritatem corporis ejus tum myſticam, tum naturalem, ut de myſtica docet cum S. Auguſtino ad hunc locum *in Catena. Quadripartita autem veſtis Domini Noſtri Jeſu Chriſti quadripartitam figuravit ejus Eccleſiam, quatuor ſcilicet partibus in Orbe diffuſam, & in eiſdem æqualiter, ideſt concorditer, diſtributam. Tunica vero illa ſortita omnium partium ſignificat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. Si autem charitas & ſupereminentiorem habet viam, & ſu-*

ſupereminet ſcientiæ, *& ſuper omnia præcepta eſt*, *ſecundum illud*: *Super omnia autem hæc charitatem habete : merito veſtis*, *quæ ſignificatur*, *deſuper contexta perhibetur*; *& addidit per totum*, *quia nemo ejus expers qui pertinere videtur ad totum*, *a quo toto Catholica vocatur Eccleſia*. *Inconſutilis autem*, *ne aliquando diſſuatur*, *& in unum pervenit*; *quia in unum omnes colligit*. Et de naturali ſubjungit cum Theodoreto. *Veſtis inconſutilis denotat Corpus Chriſti quod a ſuperiori parte contextum eſt*. *Spiritus enim Sanctus ſupervenit*, *& virtus Altiſſimi Virgini obumbravit*. *Hoc ergo ſacroſanctum Chriſti corpus indiviſibile conſtat*. *Nam etſi dividatur per ſingulos*, *ſanctificans uniuſcujuſque animam ſimul & corpus*, *integre tamen*, *& indiviſibiliter conſiſtit in omnibus*. Quod quidem non unus *Theodoretus*, ſed & Patres alii longo agmine tradiderunt.

CAPUT XXV.

Propheticum oraculum de fractione oſſium in Chriſto, vero & immaculato Agno, nunquam futura, impletum in eo eſt. Hoc ad myſterium pertinere oſtendit illius tum phyſici tum myſtici corporis integritatem; quæ ſimul illuſtri etiam miraculo conſervata fuit.

SED Evangelicam proſequamur narrationem *Joan.*19. ubi quod latet integritatis Chriſti in ejus inconſutili veſte myſterium, aperta veritate mox denudatum adſpicimus. *Judæi ergo*, ſcribit Evangeliſta, (*quoniam paraſceve erat*) *ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato* (*erat enim magnus dies ille Sabbati*) *rogaverunt Pilatum*, *ut frangerentur eorum crura*, *& tollerentur*. *Venerunt ergo milites* : *& primi quidem fregerunt crura*, *& alterius qui crucifixus eſt cum eo*. *Ad Jeſum autem cum veniſſent*, *ut viderunt eum jam mortuum*, *non fregerunt ejus crura*, *ſed unus militum lancea latus ejus aperuit* ... *Facta ſunt enim hæc*, *ut Scriptura impleretur*. *Os non comminuetis ex eo*. *Et iterum alia* Scri-

Scriptura dicit. Videbunt in quem transfixerunt. Non eſt autem cur hic immoremur ipſi rei geſtæ, de qua etiam ſupra meminimus, quæque vel una ſui facie clariorem ſe præbet intuentibus, quam ut amplius illuſtrari poſſe videatur. Nam ſi Judæi præter conſilium ſuum, & milites ipſi ad hoc miſſi *non fregerunt ejus crura*, ſed inſtinctu plane occultiſſimo, quem neſcientes paſſi ſunt, divinum illud impleverunt oraculum, quo typice cautum fuerat: *os non comminuetis ex eo*; nemo ſane, qui communi ſenſu utatur, non ſtatim intelligit id aperte pertinere ad integritatem Dominici Corporis tum naturalem, tum myſticam; ut de naturali cum S. Auguſtino monet hic S. Thomas *in Catena. Nam quia dixerat. Non fregerunt crura Jeſu: ſubdidit; Facta ſunt enim hæc ut Scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. Quod præceptum eſt eis, qui celebrare Paſcha juſſi ſunt ovis immolatione in veteri lege, quæ Dominicæ paſſionis umbra præceſſerat.* Et de naturali ſimul ac myſtica *3. p. q. 46. art. 4. ad* 1. ubi ſolvens argumentum quod *in figura Chriſti præceſſerunt omnia ſacrificia veteris Teſtamenti, in quibus animalia gladio necabantur*; ſic ait S. Doctor cum Chryſoſtomo *ſpecialiter tamen, ut Chryſoſt. dicit, non caput ei amputatur, ut Joanni, neque ſectus eſt, ut Iſaias, ut corpus integrum, & indiviſibile morti ſervet, & non fiat occaſio volentibus Eccleſiam dividere.*

His itaque miſſis, quæ ſuopte ingenio perſpectiſſima ſunt, ſatius eſt, ut alio mentis aciem intendamus, ipſumque modum introſpiciamus, quo mirifice geſta ſunt præter mentem, & propoſitum tum Judæorum, tum Militum. Iis namque paratis, ut & Jeſu crura frangerent, quod etiam a Pilato petiiſſe perhibentur; *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura*; non aliud obſtitiſſe conſtat, quominus ut in aliis duobus, ſic etiam in illo propria vota complerent, quam præviam Chriſti mortem. *Ad Jeſum autem cum veniſſent, UT VIDERUNT EUM JAM MORTUUM, non fregerunt ejus crura.* Mors autem Chriſti non ſecus ac cætera, quæ ſunt hominum, ab ejus nutu, & arbitrio pendebat; quamquam nihil eo nutu impediretur humana

mana natura, quominus mortem exciperet eo temporis momento, quo ex vi paſſionis erat naturaliter e vita cedendum. Unde ipſe de ſe dicit *Joan.*10. *Nemo tollit animam meam a me: ſed ego pono eam*. Quamobrem, ut probe docet S. Auguſtinus *lib.*4. *de Trinit. cap.*13. *Spiritus Chriſti non deſeruit carnem invitus, ſed quia voluit, quando voluit, & quomodo voluit*. Quod id vero voluerit, antequam venia Præſidis ejus crura frangi poſſent, inter miracula deputandum eſt. Nam ut ait S. Auguſtinus loco citato. *Longa morte cruciabantur ligno ſuſpenſi*. Quod ideo valde mirum vel ipſi Præſidi viſum eſt, ut habetur *Marc.*15. *Pilatus autem mirabatur, ſi jam obiiſſet*. Ad quod apte Theophilus apud S. Thomam *in Catena*. *Putabat enim quod diu viveret in Cruce, ſicut & Latrones in patibulo vivebant diu*. Et rurſus ad id, quod ſequitur. *Et accerſito Centurione interrogavit eum, ſi jam mortuus eſſet; ſcilicet*, inquit, *ante horam, qua cæteri mori conſueverunt*. Et melius etiam S. Doctor 3. *p. q.*47. *art.*1. *ad* 2. ubi poſtquam ait *quod ut Chriſtus oſtenderet, quod paſſio illata per violentiam ejus animam non eripiebat, naturam corporalem in ſua fortitudine conſervavit, ut etiam in extremis poſitus voce magna clamaret: Quod inter alia miracula mortis ejus computatur. Unde dicitur Marc.*15. *Videns autem Centurio, qui exadverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Vere hic homo Filius Dei erat*; ita mox ad rem noſtram opportune ſubjungit. *Fuit etiam ET MIRABILE in Chriſti morte, quod velocius mortuus fuit aliis, qui ſimili paſſione afficiebantur. Unde dicitur Joan.*19. *Quod eorum, qui cum Chriſto crucifixi erant, fregerunt crura, ut cito morerentur: ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: & Marc.*15. *dicitur. Quod Pilatus mirabatur, ſi jam obiiſſet. Sicut enim ejus voluntate natura corporalis conſervata eſt in ſuo vigore uſque ad extremum: ſic etiam quando voluit, ſubito ceſſit nocumento illato*. Chriſtus igitur præcocem adſcivit mortem, ne crura ejus frangerentur. Tanta nimirum inerat ei cura de integritate ſui corporis, quam miraculis etiam conſervare voluit illæſam!

CA-

CAPUT XXVI.

Signum ut ſit verum, fundamento eget rei ſignificatæ. Uti crura Jeſu mirabili modo manſerunt integra & intacta poſt mortem, ita & Cor ejus ſemper indiviſum, & inſeparabile ab illius corpore manſit. Miram hanc integritatem peræque confirmant, tum incorruptio corporis, tum reſumptio ſanguinis.

AD hæc autem quid putas ab Adverſariis noſtris repoſitum iri? Frigide ſcilicet reſpondebunt, ut ſolent, cultu cordis carnei nullam inferri jacturam integritati corporis Chriſti. Sic tamen agendo telam prætexunt araneorum, quæ vel unius lenis auræ flatu repente deſtruitur. Sit ita. Nulla inferatur ex interiori, & occulta intentione illius integritati jactura, ſed omnis tamen infertur exteriori *ſignificatione*, & habitu, ut toties jam ſupra animadverti (*a*). Dum autem miracula fiunt, ne re ipſa detrimentum capiat integritas Chriſti, nulla jam fieri poteſt in eo vel ſignificativa ſectio partis a toto, ſive cordis a corpore. E conſpectu namque integritatis realis adverſus oppoſita Judæorum ſtudia inſigni portento ſervatæ, & fidelibus omnibus in perpetuum commendatæ, ut Auguſtinus tradit cum alibi ſæpe, tum etiam *enar.* 2. *in Pſ.* 33., nonniſi mendax adſtrui poteſt ſignificatio diviſionis in corpore Chriſti. Signum enim ex propria ratione non eſt quid abſolutum, ſed mere relati-

 vum,

(a) Cæterum quod perinde ſit diviſionem fieri *ſignificative*, atque *reipſa*, non obſcure docet S. Thomas 3 *p. q.*76. *art.*1. *corp. Si enim*, inquit, *aliqua duo ſunt realiter conjuncta, ubicumque eſt unum realiter, oportet & aliud eſſe*. Hoc ſane eſt quod perpetuo nobis objicitur, ne peculiari cultu cordis inferri dicatur, ut nos arguimus, pernicioſa ſectio in corpus Chriſti. Id tamen ſectionem excludit, quæ fit a parte rei, non quæ fit, aut fieri monſtratur operatione colentis. Opus enim animæ per externa ſignificatum, & naturali jure iis ita reſpondens, uti verbum cordis reſpondet verbo oris, non pervenit ad res, ſed in ſolas agit ſimilitudines rerum; quod tamen ſufficit ut quis integra dividens, aut dividere præſeferens *intra ſe*; & nihilominus indiviſa relinquens *extra ſe*; non ea dicatur, prout oportet, & hic quæritur, ſervaſſe integra; *ſola enim operatione animæ diſcernuntur quæ realiter ſunt conjuncta*, ut totam ſubruens objecti vim, & noſtram adſtruens diſtinctionem ibidem proſequitur, optimeque concludit Sanctus Doctor.

Digitized by Google

vum, cujus eſt, ut a re ſignificata tamquam a fundamento dependeat, ut ſæpius jam monuimus, & aperte docemur a S. Thoma 3. *p. q.*63. *art.*2. *ad* 3. ubi notabiliter inquit, *quod relatio quæ importatur in nomine ſigni, oportet, quod ſuper aliquid fundetur*. Nullum autem hic ſubeſt fundamentum ſignificativæ diviſionis ex parte corporis Chriſti, quod fuit ſemper indiviſum, ſemperque integerrimum. *Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* Sicut igitur craſſe mentiretur, qui crura Jeſu fracta fuiſſe ſignificaret, quæ re ipſa poſt mortem ipſius non fuerunt fracta, ſed a fractione miro modo immunia; ſic etiam mentiatur oportet, qui Cor Jeſu, quod ſemper adhæſit corpori, ſignificatione cultus ſui ad ipſum cor terminati, diviſum innuat a Chriſti corpore. Quæ quidem inductio ut dilucidior appareat, fingas aliquem, qui phantaſtico, & irrequieto ſtudio piarum adinventionum abreptus, tentaret invehere peculiarem cultum erga Chriſti Domini crura ob eam cauſam, quod genua toties religioſe flexerit ad Patrem, dum erat pernoctans in oratione Dei, & exauditus eſt pro ſua reverentia. An illum propterea exemptum putares a nota cultus falſi? Haud ita quidem. Nam quæ crura Jeſu veneraretur in ſpeciem pietatis quaſi flexa, non ea cultu ſuo ſervare videretur, ut oportet, integra, minimeque fracta; Cultus enim, qui parti defertur tamquam adorationis *objecto*, partem ſecernit a toto, atque adeo crura Domini non flexa modo, ſed & fracta monſtraret. Ex his ergo quæ recte teneres de cruribus, argue quid cenſere debeas æqua lege de corde.

Erit fortaſſe aliquis ex *Cordicolis* noſtris, qui rationem petitam a cruribus, & oſſibus Chriſti tam grandi myſterio ab omni fractura exemptis, non æque trahi poſſe exiſtimet ad *Cor* ipſum; quaſi diviſum a ceteris corporis membris ſpectari nequeat, ſi admirabili quodam Dei conſilio, & oſſa in Chriſto dividi, & crura frangi vetita ſunt. Sed nihil eo magis inane, & a veritate alienum fingi poterit. Ratio enim integritatis ſervandæ, quæ fuit in cruribus, & oſſibus Chriſti, ad cæteras plane omnes

omnes pertinet illius corporis partes. Quavis enim earum dempta fruſtra ceſſiſſet, ad integritatem quod attinet, mira illa incolumitas crurium.

Idque luculentiſſime confirmat divinum illud Prophetæ vaticinium in morte Chriſti mirifice impletum: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem Pſalm.* 15. Quo loci Regius Vates non eam excludere voluit *corruptionis* ſpeciem, quæ a S. Johan. Damaſceno *lib.* 3. *de Orth. Fid. cap.* 28. φθορὰ appellatur, & *paſſiones* omnes, imo & mortem ipſam, ſive corporis, animæque diſſolutionem complectitur, ſed *ſummam illam, & ultimam in ea, ex quibus conſtat, reſolutionem corporis, ejuſque diſſipationem, quam vulgo* διαφθορὰν nominari idem Damaſcenus affirmat. Hujuſque incorruptionis cauſam adfert S. Thomas 3. *p. q.* 51. *art.* 3. *corp. Quia putrefactio cujuſque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non poteſt amplius corpus continere in unum*. Eodem igitur ſpectat tum mira crurium, de qua *Joan.* 19. tum univerſa ſolidorum, ac liquidorum incorruptio, de qua rurſus *Act.* 2. *Neque caro ejus vidit corruptionem*, ut jugis eſſet ac concors ſacratiſſima divini corporis integritas, quam ad unitatis Eccleſiaſticæ noſtræque ſalutis myſterium pertinere voluit Chriſtus Dominus. *Unde ex perſona ejus in Pſalm.* 29. *dicitur. Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem, quaſi dicat. Si corpus meum putreſcat, perdetur effuſi ſanguinis utilitas*: ut interpretatur S. Thomas loco citato *ad* 1. & opportune adjungit *q.* 54. *ar.* 2. *ad* 3. *quod totus ſanguis, qui de corpore Chriſti fluxit, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Chriſti reſurrexit* (a) Sed & *d. q.* 51. *art.* 3. *corp. Noluit*, inquit, *corpus ſuum quali-*

(a) Sunt qui ſentiunt; nonnihil ſanguinis, quem in paſſione Chriſtus effudit, remanſiſſe in terris, ſpinis adhærens, ſudario, aliiſve locis, vel inſtrumentis Quum autem conveniant, ſanguinem illum excrementitium fuiſſe, & in extraneam naturam tranſiſſe, nec primævam retinere unionem ad Verbum, nihil eorum opinioni detrahendum puto. Sed nec ea quicquam detrahit propoſitioni S. Thomæ *Quia ex ſingulis locis, in quibus ſparſus erat, aſſumptum fuit totum moraliter quod ibi erat, licet aliqua ſuperficies, aut veſtigium remanſerit, quod non obſtat univerſali loquutioni, quod totus ſanguis in Chriſti corpore reſurrexerit*, ut recte explicat Card. de Lugo *de Incarnat. diſput.* 14. *ſect.* 6. *num.* 95.

qualitercumque putreſieri, *aut qualitercumque reſolvi*. Hæc autem mira, quæ Chriſtus operatus eſt poſt mortem, ne corpori ſuo vel exangui unquam deeſſet integritas partium, queis conſtat, & coaleſcit in unum, aperto teſtimonio ſunt, quod perniciosa, & maxime exoſa falſitate laborat cultus cordis carnalis, unde ſponte ſua ſignificativa manat diviſio in corpus Chriſti. Hic autem non poſſum non magnopere mirari, quî fiat, ut ex Fidelibus bene multi ſint, iique probi, atque morigeri, qui ſe putent obſequium præſtare Deo in eo, quod religione ſua, zelo quidem plena, ſed non ſecundum ſcientiam, præcipuum habeant, venerenturque *partiali cultu* carnale Chriſti Cor, dum tamen eo cultu ſignificante, & noxiam præſeferente diviſionis imaginem, moliuntur evertere integritatem illam Dominici corporis, ad quam ſartam tectam impenſe ſervandam, vel ipſa miracula certant; inter quæ primas tenet, præmatura mors Chriſti, ne crura ejus frangerentur; eique famulantur tum concomitans incorruptio omnium partium, tum ſubſequens totius ſanguinis reſumptio, de qua S. Thomas 3. *p. q.* 54. *art.* 2. *ad* 3. Et ad præoccupandam exceptionem, quæ poſſet ex eo deſumi, quod alicubi reperitur, & venerationi Fidelium exponitur inter ſacras reliquias etiam ſanguis Chriſti, ſtatim adnectit S. Doctor. *Sanguis autem ille*, *qui in quibuſdam Eccleſiis pro reliquiis conſervatur*, *non fluxit de latere Chriſti*, *ſed miraculoſe dicitur effluxiſſe de quadam imagine Chriſti percuſſa* (*a*).

CA-

(a) Alludit fortaſſe *S. Thomas* ad imaginem Domini in cruce ſuffixi, cujus latus Judæi quidam Berythi lancea vulneraruntunt, unde tanta manavit unda ſanguinis, ut amphoram impleverit. Ex hujuſmodi prodigii hiſtoria, quæ ſub Athanaſii nomine vulgata, a VII. generali Synodo approbata eſt, neſas eſſe oſtenditur, ut prodigioſus iſte ſanguis pro vero Chriſti ſanguine habeatur: *quaſi ex carne*, *& ſanguine Chriſti aliquid poſſit in mundo inveniri niſi illud quod in ara Altaris per manus Sacerdotum quotidie ſpiritualiter efficitur*; ad quæ verba *Card. de Lugo* qui ſentit cum iis, qui verum Chriſti ſanguinem ſuperfuiſſe volunt in Sindone, in Spinis, in Cruce, hæc habet *de Incarnat. diſput.* 14. *ſect.* 6. *n.* 94. *Admittere poſſumus quod Athanaſius ille ibi contendit*, *ſcilicet non reperiri in terris veram carnem*, *aut verum ſanguinem Chriſti*, *niſi in Eucbariſtia*: *nam ille qui reperitur*, *non eſt verus ſanguis*, *ſed reliquiæ ex materia illa*, *quæ olim habuit formam ſanguinis*, *& nunc habet formam aliam ſubſtantialem*, *retento ſolum illo rubeo colore*. *Ille autem ſanguis*, *qui adhuc verus ſanguis incorruptus apparet*, *neceſ-*

CAPUT XXVII.

Prævia, ac mira mors Chriſti, ne crura ejus frangerentur, omne frangit argumentum, quod pro cultu cordis duci ſolet a vulnere, lateri ejus poſt mortem inflicto. Qui Chriſto defertur cultus in feſto Cordis ejus, ne ſignificativam inferat diviſionem cordis a corpore, neceſſe eſt, ut abſtrahat a carnali, & in cor ſpirituale feratur.

NIhilo tamen minus inſurgent iterum Adverſarii, atque contendent ſignificationem illam adhuc conſtare, & veritatem ſuam mutuari ab eodem ipſo loco *Joan.* 19. ubi integra & intacta conſervata perhibentur crura Jeſu. Mox enim ibi ſequitur, *ſed unus militum lancea latus ejus aperuit*. Vulnus igitur Cordis Jeſu, quod miles intulit, vulneribus additum amoris, atque dolorum, unde ſauciatum fuerat pro ſalute omnium hominum, innoxium ſervat, ut ipſi putant, cultum cordis ab omni falſa ſignificatione. Neutiquam tamen. In primis namque aſſertum cordis vulnus ad cor non ſpectat *proprie*, ſed per *appropriationem* tantum *interpretativam*, ratione nempe lateris, cui proximum eſt cor: neque enim niſi ad latus, ſeu, ut eſt in græco textu, ad τὴν πλευρὰν *pleuram*, quam pupugit, perveniſſe legitur lancea militis, non autem ad cor intra poſitum. Sed neque hic ego quæram dextrumne, an ſiniſtrum *latus* fuerit, quod miles mucrone aperuit? Sunt enim plures qui pro ſiniſtro pugnant, ſed multo plures ſunt qui pro dextero certant: interque ceteros Innocentius III. Ivo Carnotenſ. S.Bernardus, Goffridus

neceſſe eſt quod fuerit ex illo ſanguine miraculoſo, vel alio ſimili. Porro, ut heic obiter innuam, de hoc ſimili prodigioſo ſanguine, & ſacra Chriſti, unde profluxit imagine, gloriatur etiam *Auximum* noſtrum. Qui plura cupit, hiſtoriam adeat, quam ſuperioribus annis edidit ea de re *Marcus Antonius Talleoni* Litterariæ Reipublicæ notiſſimus, & de Patria ſua, quæ mea ſimul Patria eſt, mihique cariſſima, optime meritus.

dus Vindocin. S. Bonaventura, aliique magnæ auctoritatis Scriptores numerantur. Nam qui utrumque latus punctum commemorarunt, aut per ſynecdochen *latera* pro *latere* acceperunt, aut, (ut ſacer Poeta *Prudentius*, *Periſtephan.* hymn.13.,) tale quid, pia licet mente, protulerunt, quod cum Evangelica veritate conciliari difficillime poterit. Mitto & illud quærere, an læſum eo vulnere fuerit *pericardium*, nec ne? dummodo, quidquid Medici aliquot aliquando ſomniarint, Aquæ, & Sanguinis ex aperto Chriſti latere defluxum, vero atque ingenti miraculo, ad magni planeque divini myſterii declarationem peracto, una cum tota Patrum & Eccleſiæ traditione tribuendum decernas. Quanquam ex his plura habeas, quæ te mirifice turbent, quoties ſuopte ingenio obtrudere nobis velis, non unum *latus*, ſed *cor* ipſum eo vulnere in mortuo Chriſto apertum.

Quid, quod ne vulnus quidem lateris verbo vulneris expreſſum fuit? Et id tamen ad myſterium refert S. Auguſtinus apud S. Thomam *in Catena* ad hunc locum. *Vigilanti verbo Evangeliſta uſus eſt, ut non diceret latus ejus percuſſit, aut vulneravit: ſed aperuit, ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur*. Unde S. Thomas juſtis aptans proprietates columbæ juxta Domini monitum *Matth.*10. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ*, inter alias hanc etiam ſexto loco recenſet, *3. p. q.39. art.6. ad 4. quod columba in cavernis petræ nidificat: quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Chriſti, qui eſt petra firma, nidum ponunt, ideſt ſuum refugium, & ſpem*. Verum ut eo redeam, unde diſceſſeram, illud unum certum, exploratumque eſt, quod vulnus Chriſto Domino in cruce poſt ejus mortem a milite impactum, non *cor*, ſed *latus* tantum, teſte Evangeliſta, aperuit. Eamque lateris transfixionem, addit idem ipſe Evangeliſta Joannes, fuiſſe alto quodam prophetico vaticinio divinitus prænunciatam: *Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt*. Quod ideo præcipue factum fuit, ut eo quaſi ſigno vel nota, de numerica conſtaret identitate corporis Chriſti, ut obſervat S. Auguſtinus apud

S. Tho-

S. Thomam *in Catena*. *Item quia ſubjunxerat*. *Unus militum lancea latus ejus aperuit*, *ad hoc pertinet alterum teſtimonium*, *quod ſubdit dicens*. *Et iterum alia ſcriptura dicit*. *Videbunt in quem transfixerunt*: *ubi promiſſus eſt Chriſtus in ea*, *qua crucifixus eſt*, *carne futurus*. Et rurſus idem S. Auguſtinus *lib.2. de ſymbol. cap.8. Sciebat*, inquit, *Chriſtus*, *quare cicatrices in ſuo corpore ſervaret*. *Sicut enim demonſtravit Thomæ non credenti*, *niſi tangeret*, & *videret*: *ita etiam inimicis vulnera demonſtraturus eſt ſua*, *ut convincens eos veritas dicat*. *Ecce hominem*, *quem crucifixiſtis*; *videtis vulnera*, *quæ infixiſtis*; *agnoſcitis latus*, *quod pupugiſtis*: *quoniam per vos*, & *propter vos apertum eſt*, *nec tamen intrare voluiſtis*.

Quare ſi, poſtquam, Deo ſic agente, ſana, & intacta relicta ſunt crura & oſſa Chriſti, ut, contra omnem Judæorum opinionem, illius corporis integritas ſervaretur, ventum eſt ad ipſius lateris transfixionem; vulnus, quod ei miles inflixit, erat equidem ex Judæorum votis eo directum, ut certum omnino ſignum haberetur de morte Chriſti, ſed altiori Dei conſilio fuit interea ordinatum ad præclarum quoddam, & admirabile teſtimonium de *identitate numerica* corporis Chriſti perpetuo ſtabiliendum; ut egregie confirmat S. Thomas 3. *p. q.55. art.6. corp. Oſtendit*, inquit, *eis quod eſſet idem numero corpus*, *quod prius habuerat*, *oſtendendo eis vulnerum cicatrices*; *unde ut legitur Luc. ultimo dixit eis*. *Videte manus meas*, & *pedes meos*, *quia ego ipſe ſum*. Additque ad hunc locum cum Ven. Beda *in Catena*, quod *ſecundum Joannem etiam latus eis oſtendit*, *cum fuerit lancea perforatum*, *ut ſcilicet oſtenſa vulnerum cicatrice*, *dubietatis eorum vulnus ſanaret*. Hinc vero evidens fit omnia conſpirare, & confertim obſiſtere, ne, quod objicitur, lateris vulnus, veram facere queat ſignificationem cultus, qui ſingulariter, ac *terminative* feratur, uti contenditur, in Cor Chriſti carneum. Oporteret enim juxta Adverſariorum opinionem, ut vulnus iſtud idem plane munus præſtaret, quod præſtitiſſet *fractio crurium*; & quemadmodum, ni iſta fuiſſet a

L Chri-

Chriſti morte prævenra, ejuſque divino plane conſilio impedita; diſſolutionem illius Corpori Sanctiſſimo intuliſſet, ita & vulnus ejuſdem integritatem ſolvere deberet. At certe, ut nobiliſſimi Scriptores *Guyetus*, & Bened. in primis XIV. aliique bene multi diſſertiſſime tradiderunt, nec manuum, nec pedum, nec lateris vulnus Chriſti corpus dividere, ejuſque admirabilem integritatem ſolvere ullo modo potuit. Et profecto corpus iſtud diviniſſimum conſtare non poſſet *indiviſum*, ſi quo conſignatum eſt vulnere, aut reciperet in ſe diviſionem, aut latebram præberet diviſionis figmento. Accedit his, quod ſi vulnus lateris diviſionis imaginem in Chriſti corpore ſpectandam offerret, pugna oriretur maxima inter duas illas prophetias, quarum alteram *Os non comminuetis ex eo*, Joannes eodem *cap.*19. *v.*36. in fractura crurium divinitus impedita; alteram *Videbunt in quem transfixerunt*, *v.* pone ſequenti 37. in vulnere lateris, impletam teſtatur. Quam enim corporis integritatem in Chriſto mirabiliter conſervatam prior prophetia inſinuat; hanc tolleret repente poſterior. Ne quid ergo tale, ne quid ſimile fiat in Feſto Cordis, quo vel *ſignificative* lædatur tam divina & admiranda integritas corporis Chriſti, carnale cor abſtrahendum eſt ab objecto cultus, ejuſque loco ſtatuendum cum Eccleſia erit Cor myſticum, atque ſymbolicum; quod totus Chriſtus eſt in ſymbolo Cordis ad illius divini amoris magnitudinem erga homines ſignificandam repræſentatus. Hoc enim uno fieri poteſt, ne Cor, unde feſtus iſte dies nomen accepit, partem deſignet corporis Chriſti ab eo diviſam, ac ſeparatam. Et tamen ab hac diviſionis ſpecie quantopere ſemper caverit, caveatque Eccleſia, publica ejus confeſſio teſtatur. Eſt enim ſolemne carmen, quod canimus in Feſto Corporis Domini

A ſumente non conciſus,
Non confractus, non diviſus,
Integer accipitur.

Et vero ex hac ipſa integritatis confeſſione, quæ triplicem excipit

cipit negationem diviſionis *Non conciſus = non confractus = non diviſus* = merito ac optime ad rem noſtram decernit Fontaninius in laudato Judicio, Chriſtum non ſectilem, quaſi per partes, ſed integrum coli oportere; nefas proinde eſſe in Domino noſtro Jeſu Chriſto Cor ejus a toto, quovis modo ſive imaginatione, ſive reipſa ſejungere; nam ut ibidem concludit præſtantiſſimus Auctor: *Gesù Criſto INTEGER COLITUR, nè in lui può dividerſi il ſuo Cuore dal tutto, nè in idea, nè in realtà, ma INTEGER COLENDUS EST.*

CAPUT XXVIII.

Circumciſio Domini, nihil officit integritati corporis ejus, ut nec Adæ corpori quidquam obfuit abſciſſio coſtæ. Veneratio Præputii nihil facit pro cultu Cordis. Circumciſionis Feſtum non exhibet aliquid, quod re ipſa geſtum non fuerit, nec ſuum habet objectum in parte corporis, ſed in toto Chriſto.

SED & hic præter opinionem in nos rurſum inſilient Patroni Cordis carnalis: Ecquid, inquient, vetabit, quominus Cor Chriſti ſeorſum ab ejus corpore & accipiatur, & adoretur, quando præputium, quod particula erat de carne Chriſti, in terris ad publicam Fidelium venerationem aſſervatur? Nonne corpus Chriſti circumciſum fuit? nonne ab Eccleſia ſolemni Feſto calendis Januarii Circumciſionis myſterium colitur? Non eſt igitur cur tantopere novo huic Feſto de Corde Jeſu adverſa jactetur illius corporis integritas? Verum ut nihil fragilius eſt prima hujus objectionis parte, ita nihil fractius ſecunda excogitari poteſt.

Et ad primam quod attinet, integritas Dominici corporis non eſt ſolum exigenda ad communem legem naturæ aſſumptæ, ſed etiam, & multo magis, ad peculiarem finem aſ-

ſumptionis. Humanam namque naturam, quam primus Adam propagavit ad mortem, Filius Dei ſecundus Adam regeneravit ad vitam. Sub hoc autem præcipuo, & præſtantiori reſpectu nihilo plus ex circumciſione periclitari potuit in Chriſto integritas corporis, quam periclitaretur in Adam ex deciſione coſtæ, quam Deus ædificavit in Mulierem; Nam ut probe notat S. Thomas 1. *p. q.92. art.3. ad 2. Coſta illa fuit de perfectione Adæ non prout erat Individuum quoddam, ſed prout erat principium ſpeciei*. Et rurſus 3. *p. q.31. art.5. ad 2. Adam quia inſtitutus erat ut principium quoddam humanæ naturæ, habebat in ſuo corpore aliquid carnis, & oſſis, quod non pertinebat ad integritatem perſonalem ipſius, ſed ſolum in quantum erat naturæ humanæ principium, & de tali carne formata eſt Mulier abſque Viri detrimento*. Quod autem ſuperfluum videbatur in Adam, prout erat Individuum quoddam naturæ humanæ, quam infecit in origine, & infectam traduxit in poſteros, non poteſt ad rem noſtram aptari, niſi per comparationem oppoſitam. Nam quod ſectum, aut circumciſum fuit in Chriſto, vitiatam repræſentans naturam in nobis, id contra ſuperfluum erat in eo, non ut erat individuum quoddam naturæ aſſumptæ, utpote ſegregatus a peccatoribus, & plenus gratiæ, & veritatis, ſed ut futurus erat illius Reparator per expoliationem veteris hominis, in cujus ſignum circumciſio præceſſit in lege, & cujus cauſa in ſimilitudinem venit carnis peccati, ut cum S. Athanaſio obſervat S. Thomas in *Catena Luc.2. Nihil enim aliud exprimebat circumciſio, niſi generationis vetuſtæ ſpoliationem, per hoc quod circumcidebatur pars corporis, quæ corporalis nativitatis cauſa exiſtit. Hoc autem tunc temporis agebatur in ſignum futuri per Chriſtum baptiſmatis*. Et melius cum Apoſtolo 1. *p. q.102. art.5. ad 1. Figuralis vero ratio circumciſionis erat: quia figurabatur ablatio corruptionis fienda per Chriſtum .... Et quia omnis corruptio culpæ, & pœnæ provenit in nos per carnalem originem ex peccato primi parentis: ideo talis circumciſio fiebat in membro generationis. Unde Apoſtolus dicit ad Coloſ.2. Cir-*

Circumciſi eſtis in Chriſto circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et rurſus 3. *p.* q.37. *art.*1. *ad* 1. ubi quod *Circumciſio per remotionem carnalis pelliculæ in membro generationis facta, ſignificabat ſpoliationem vetuſtæ generationis, a qua quidem vetuſtate liberamur per paſſionem Chriſti. Et ideo veritas hujus figuræ non fuit plene impleta in Chriſti nativitate, ſed in ejus paſſione, ante quam circumciſio ſuam virtutem, & ſtatum habebat. Et ideo decuit Chriſtum ante ſuam paſſionem tamquam filium Abrahæ circumcidi = ut quia in ſimilitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati conſueverat mundari, non reſpueret*, ut ibidem adnectit *in corp.* Additque *ad* 3. *Quod ſicut Chriſtus propria voluntate mortem noſtram ſuſcepit, quæ eſt effectus peccati (nullum in ſe habens peccatum) ut nos a morte liberaret, & ſpiritualiter nos faceret mori peccato, ita etiam & circumciſionem, quæ eſt remedium originalis peccati, ſuſcepit abſque hoc quod haberet originale peccatum, ut nos a legis jugo liberaret, & ut in nobis ſpiritualem circumciſionem efficeret: ut ſcilicet ſuſcipiendo figuram impleret veritatem*. Unde pergit *in Catena* cum S. Athanaſio *Luc.*2. *Idcirco poſtquam venit ſignatum, ceſſavit figura. Ubi namque tota vetuſtas tollitur per baptiſmum, ſuperfluum eſt, quod partis ſectio præfigurat*. Et præmittit ibi cum Origene, prout etiam loco citato *ad* 2. *Sicut mortui ſumus cum illo moriente, & conſurreximus Chriſto reſurgenti: ita circumciſi ſumus ſpirituali circumciſione per Chriſtum, & ideo carnali circumciſione non indigemus*.

Sub hoc itaque ſpeciali titulo communis Reparatoris, qui ita eſt proprius Chriſti, ut ab illius individuo ſeparati nequeat, quemadmodum titulus communis Propagatoris naturæ ſeparari non poteſt ab Adam, tam nihil obeſt integritati corporis Chriſti circumciſio præputii, quam nihil obfuit integritati corporis Adæ coſtæ abſciſſio. Æque enim ablationem præputii, qua expoliatio ſignificabatur veteris hominis, exigebat in Chriſto communis Reparatoris ratio, ac ratio communis Propagatoris exegerit

gerit in Adam ablationem coſtæ, ex qua formatum eſt adjutorium ei ſimile, Heva ſcilicet, ad humani generis propagationem; ut aptiſſime nobiſcum argumentatur poſt hæc ſcripta viſus vir Cl. magnique nominis Theologus Jacobus Hyacintus Serry *De Chriſto ejuſque Virgine Matre exercitat.33. n.5. in fin.* ubi eadem plane, qua nos, ratione ductus egregie concludit. *Quare rem totam moraliter ſpectando, Chriſti corpus, ea licet exigua parte minutum, integrum eſt. In eum ferme modum Doctor Angelicus quæſtionem ſolvit de ſublata Adamo coſta, ex qua formata eſt Heva, ſolitam agitari. Num ſcilicet ad humani corporis integritatem attineret nec ne? Numne ea ſublata mutilus manſerit Protoparens? Pertinebat, inquit ille, ad humani corporis integritatem antequam auferretur: non ut erat Adamus peculiaris ac privatus homo, ſed ut erat humani generis caput, ex quo ſecundum divinam deſtinationem Heva formanda erat; atque ita ea coſta minutus Adamus, mutilus idcirco non fuit.* Creſcit autem vis argumenti ea quoque de cauſa, quod Filius Dei ad liberandum ſuſcepturus hominem, *Abrahæ filius* effici, atque adeo etiam circumcidi voluerit; *ut comprobaret ſe eſſe de genere Abrahæ, qui circumciſionis mandatum acceperat in ſignum fidei, quam de ipſo habuerat*: ſimulque *ut Judæis excuſationem tolleret, ne eum reciperent, ſi eſſet incircumciſus*, ut obſervat S. Thomas *3.p.q.37. art.1.corp.* ex quibus ita pergit *ad 1. Et ideo decuit Chriſtum ante ſuam paſſionem, (ante quam circumciſio ſuam virtutem & ſtatum habebat) tamquam filium Abrahæ circumcidi.* Quid nunc, ſi quis nobis forte objiciat, quod *pars illa quantumvis exigua circumciſæ pelliculæ ad humani corporis integritatem corporis pertineat? Sit ita ſane*, noſtra hæc erit & vera & prompta ex laudato Scriptore mutuata reſponſio, *ſit ita ſi corpus humanum nude ſpectemus; minime tamen ſi corpus ut viri Judæi eſt, attendamus. Sic enim particula illa velut excrementitia reputatur.*

Ineptiſſime itaque proponitur pro cultu cordis ipſius præputii veneratio. Nam ſi iſtud non pertinet ad integritatem Domi-

minici corporis, ut nec eam tollit vulnus ipſum circumciſionis, ſicut ait S. Thomas de Chriſti vulneribus 3. *p. q.* 54. *art.* 4. *ad* 2. quorum exemplum huc aptat, *Serry* laud. loco, nullo prorſus argumento eſſe valet ad adſtruendum cultum cordis, quod ſecus ac præputium, non eſt particula carnis *utcumque*, ſed tamquam maxime neceſſaria, omnino pertinet ad integritatem corporis. Accedit præterea quod præputii cultus nullam ingerit ſignificationem falſam, ſectum enim eſt a corpore, diviſum ab anima, ſeparatum a divinitate Chriſti. Cor autem etſi fuerit in triduo mortis Chriſti ab anima ſeparatum, cum ejus tamen corpore ac divinitate conjunctum fuit: poſt reſurrectionem vero & ad priſtinam ipſam cum anima conjunctionem rediit. Indeque fit, ut quando Adverſarii noſtri contenderint bona fide ſe adorare Cor Chriſti una cum ejus anima & divinitate, negare tamen nullo modo poſſint, quin exteriori ſaltem religionis officio, abſolute ſignificent, ſe illud colere tamquam divulſum, ac ſeparatum a corpore. Quod ſatis ſuperque eſt, ut hujuſmodi cultus genus notam *falſi* ſecum gerere videatur.

Sed jam ad alteram oppoſitionis partem progrediamur. *In Feſto Dominicæ Circumciſionis* Eccleſia Catholica id ſanctiſſime recolit & veneratur, quod in Chriſto re ipſa geſtum eſt, ſuumque, ut ita dicam, non circumcidit neque dividit cultum, (quod Adverſarii faciunt in Feſto Cordis Jeſu,) ſed illum integrum dirigit in totum Chriſtum. Nam, ut ait S. Bernard. *ſerm.* 3. *de Circum. Pro nobis dignatus eſt mori. Totus ſiquidem mihi datus, & totus in meos uſus expenſus eſt.* Et ſane non in reliquia abſciſſæ pelliculæ, quam Græci ἀκροβυστίαν appellant, hujus ſolemnitatis objectum Eccleſia conſtituit, ſed in multis magniſque Chriſti pro nobis circumciſi Myſteriis celebrandis, publicam Fidelium omnium pietatem, ac ſtudium exerceri voluit. Nam, ne quid dicam de veterum quorumdam ſententia, qui eam etiam pelliculæ portiunculam Chriſtum in reſurrectione ad abſolutiſſimam corporis ſui integritatem reſumpſiſſe ſcripſerunt, credo ego equidem eam non fuiſſe reſumptam, ſed in terris re-

lictam religioſe alicubi aſſervari ſine ullo diſpendio integritatis illius ſacratiſſimi Corporis, ut paulo ante dicebamus; attamen in confeſſo eſt apud omnes excellentiam, ac dignitatem iſtius quantumvis pretioſæ, & adorabilis reliquiæ non eam fuiſſe, quæ Majores noſtros ad *Dominicæ Circumciſionis* memoriam celebrandam impulerit. De hac in tam multis antiquorum Patrum ſermonibus ad populum habitis nulla plane fit mentio. Sola ſunt myſteria reparationis noſtræ, quæ in Chriſto circumciſo hoc plane die pie ſanctequе colenda proponuntur. Audi inter cæteros Mellifluum Doctorem S. Bernardum, qui de Chriſti circumciſione ſcribens: *Habet hic*, inquit ſerm.1., *magnum fidei documentum, habet & manifeſtum humilitatis exemplum .... circumciditur puer Agnus ſine macula. Et ſi non eguit, tamen voluit circumcidi .... quem nemo poteſt arguere de peccato, ipſe peccati remedium, & verecundum pariter & auſterum ſine ulla neceſſitate ſuſcepit, nec repulit cultrum lapideum, in quo ſolo, quæ raderetur, rubigo non fuit .... Circumciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis* (non carnei cordis, quemadmodum *Cordicolentes* noſtri ex Bernardo audire fortaſſe vellent) *& nomen, quod eſt ſuper omne nomen gloriam indicat majeſtatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ filius: Jeſus vocatur tamquam Filius Dei. Et merito ſane*, ſubdit ſerm.2., *dum circumciditur puer qui natus eſt nobis, Salvator vocatur, quod videlicet ex hoc jam cœpit operari ſalutem noſtram, immaculatum illum ſanguinem fundans*. Et ſerm.3. *In circumciſione Domini habemus quod amemus, & admiremur: habemus etiam quod imitemur .... die nativitatis .... minoratus eſt, ab habitu inventus ut homo, hodie vero mirabilius aliquid audio. Jam minoratus eſt multo minus Angelis, quia non ſolum formam habet hominis, ſed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis .... Hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum eſt in capite .... Hodie ſub lege factus eſt, qui legem dedit*. Alia ſi cupis feſti hujus diei arcana, vide eundem S. Doctorem. Cæterum illud ei cum omnibus Eccleſiæ Patribus commune eſt,

ut

ut in ſanguine ex vulnere Chriſti circumciſi primum effuſo *primitiæ redemptionis*, *& pignus ſalutis noſtræ in Jeſu* nomine eidem ſimul impoſito commemorentur. His adde tum *Bened. XIV.* in Tract. de Feſt.; tum magnæ pietatis atque doctrinæ virum *Cajetanum Incontrium Archiepiſcopum Florentinum* in eo eleganti erudititiſſimoque libro, quem de Feſtor. dierum celebratione Florentiæ edidit an. 1762.

Verum ut ex ipſo etiam S. Thoma accipias, cur Chriſtus circumciſus ſit, quove conſilio circumcidi voluerit antequam in templum Domino offerendus adduceretur, tene quod ille ſcripſit *3. p. q. 37. art. 1. corp. & art. 3. ad* 2. unde & documentum ſumas ſpiritualis circumciſionis, quam Eccleſia ſancta ope & exemplo circumciſi Salvatoris nobis omnibus beatiſſime contingere vellet. *Sicut Filius Dei*, eo loci inquit, *non propter ſeipſum factus eſt homo & circumciſus in carne, ſed ut nos per gratiam faceret Deos, & ut ſpiritualiter circumcidamur: Sic propter nos ſiſtitur Domino, ut diſcamus Deo præſentare noſmetipſos. Et hoc poſt circumciſionem ejus factum eſt, ut oſtendat neminem niſi circumciſum vitiis, dignum eſſe divinis conſpectibus.*

CAPUT XXIX.

Explicatur abſurdum ſignificativa diviſionis quod invehitur cultu cordis carnalis, nec illud diluit inanis prætextus cultus relativi.

QUod obiter ac veluti perfunctorie diximus *de chimerica illa præciſione*, qua Adverſarii noſtri mirum in modum deluſi, & alucinati ſtatuere contendunt objectum cultus in corde carnis, id nunc paullo latius exponendum eſt. Ita namque cor carnale Chriſti, quod ſe colere geſtiunt, exteriori religionis ritu aperte ſejungunt a toto, & ab his, quæ circumſtant, corporis partibus. Niſi etenim facultate quis careat, & uſu ſenſuum, unde, judice S. Thoma, oritur omnis

noſtra cognitio, niſi tam hebes & ſtupidus ſit, ut ignoret quid ſit corpus, quid cor, non poteſt in eo cultu non videre manifeſte ſignificatam, & indice ipſo digito monſtratam ſeparationem cordis a corpore, cæteriſque membris ejuſdem Corporis Chriſti. Cur ita? dices: Audi & accipe brevem hanc, ſed perſpicuam, & luculentam argumentationem. Cultus exterior religionis, qui *per ſeſe* terminatur ad unum, in eo uno ſiſtit, illudque ſpectat ut ſolitarium. Cultus autem iſte in Feſto Cordis Jeſu totus *per ſeſe* terminatur ad unum cor; ex eo enim feſtum hoc *ſpecificam*, & denominationem, & diſtinctionem omnino realem a cæteris Chriſti Domini Feſtis ſuſcipit. In eo igitur uno Chriſti Corde ſiſtit, illudque deſignat & ſpectat ut ſolitarium; atque adeo fit, ut cor carneum Chriſti in hoc feſto accipiatur tamquam *realiter* ſeparatum tum a toto corpore tum a reliquis omnibus ejuſdem corporis partibus.

Quid ad hæc Adverſarii? Dicentne exteriorem cultum in hoc feſto per ſeſe non terminare ad unum cor, ſed ad totum peræque Chriſti Domini corpus? ſed tunc feſtum erit *corporis*, non *cordis* Chriſti, ut omnes intelligunt. An eis in mentem fortaſſe veniet reponere, aut non eſſe Cor Chriſti *quid unum*, nec proinde *ens indiviſum*? contra quam docet S. Thom. 1. *p. q.* 11. *art.* 1. *corp.* ubi ait: *unum nihil aliud ſignificat quam ens indiviſum* in ſe, & ab alio quovis ente diviſum: aut unum idemque cor totius corporis ſimul, & ſingularum etiam partium formam, naturamque induere? atque ita fieri, ut licet cultus terminet ad unum cor, ſimul tamen intelligatur terminare ad totum corpus, & ad ſingulas quaſque ejuſdem corporis partes. At vero tantam inſaniam in Adverſariis noſtris non modo ſuſpicari, ſed ne fingere quidem licet. Ubi ergo veriſſimam, omnibuſque perſpectam eſſe concesſerint S. Thomæ doctrinam. 1. *p. q.*11. *art.*2. *ad* 2. *In quolibet toto heterogeneo*, (cujuſmodi eſt corpus humanum ex diſſimilibus conſtans) *quælibet pars caret forma totius* = *Nam eſſe totius non eſt alicujus ſuarum partium* 1. 2. *q.* 4. *art.* 5. *ad* 2., illud etiam concedant necceſ-

Digitized by Google

neceſſe eſt, terminum publici cultus in hoc Feſto eſſe cor ipſum, ut *quid unum*, quod diviſione caret in ſe, & ab alia re quavis diſtinguitur; ut *quid totum*, quod non venit in partem alterius; ut *quid perfectum*, quod non aliunde complementum expectat; & ita a toto Corpore Chriſti, ejuſque partibus omnibus, ut ſeparatum coli, & adorari.

Quæ quidem conſectaria neceſſariam connexionem habent cum primo illo geometrico principio: *omne totum eſt majus ſua parte*, quo ſæpius ad rem noſtram uſi ſumus, quodque nemini fas eſt ignorare, niſi neſciat quid ſit totum, quid pars, uti notat S. Thomas 1. 2. *q.66. art.5. ad* 4., ubi *quod veritas, & cognitio principiorum indemonſtrabilium dependet ex ratione terminorum. Cognito enim quid eſt totum, & quid eſt pars, ſtatim cognoſcitur, quod omne totum eſt majus ſua parte*. Et melius ſupra *q.51. art.1. corp. Ex ipſa enim natura animæ intellectualis convenit homini, quod ſtatim cognito, quid eſt totum, & quid eſt pars, cognoſcat quod omne totum eſt majus ſua parte*. Addit tamen opportune *ſed quid ſit totum, & quid ſit pars, cognoſcere non poteſt, niſi per ſpecies intelligibiles a phantaſmatibus acceptas. Et propter hoc Philoſophus in fine Poſterior oſtendit, quod cognitio principiorum provenit nobis ex ſenſu*. Qua in re etſi cum Sancto Thoma nec Platonici, nec Carteſiani Philoſophi idem ſentiant; in eo tamen conveniunt, quod lumine naturæ cognitum unicuique ſit, *partem non eſſe totum, cujus eſt pars: & omne totum eſſe ſua quavis parte majus*. Id quod ad inſtituti noſtri rationem ſatis ſuperque eſt. Sed quoniam in idearum origine, primiſque humanæ intellectionis exordiis tradendis recentiores Metaphyſici eadem, qua S. Thomas, philoſophandi ratione utuntur, utar & ego; ſicque efficere conabor, ut vel ex ipſo ſenſuum teſtimonio Adverſarii noſtri intelligant eorum ſentiendi, agendique morem cum unitate Chriſti, ejuſque immaculati corporis integritate conciliari non poſſe. Me itaque in hunc modum differentem æquo animo ferant.

Species, quam cultus cordis carnalis Chriſti novo huic, &

M 2 plane

plane ſingulari Feſto addictus, humanis ſenſibus naturaliter ingerit, ſpecies eſt, cor repræſentans, ut *quid unum*, individuum equidem, quemadmodum dicebamus, in ſeſeipſo, at dividuum atque ſecretum a cæteris corporis membris, quibuſcum comparatur. Species rurſum eſt, quæ cor ipſum repræſentat ut partem totius corporis. Talis denique naturæ ſpecies eſt, qualis ea eſſet, quæ partem aliquam vel dexteram vel ſiniſtram Corporis Chriſti indicaret. Quare ſi feſtum vel oculi, vel manus, vel pedis, vel lateris *dexteri* Salvatoris noſtri inſtitueretur, (quod certe, uti mihi arguati licet, ab Eccleſia Matre noſtra ſapientiſſima numquam fiet) honor publicæ religionis partem unam ita ab altera ſejunctam deſignaret, ut a ſe invicem ſejunctæ ſunt dextera & ſiniſtra. Sic autem fieri nullo modo poteſt, quin hujus Feſti cultus ad cor carneum Chriſti in hypotheſi Adverſariorum determinatus, cor ipſum ſpectet tamquam a corpore, ejuſque partibus ſegregatum. Neque ad hanc tantam indignitatem avertendam aliquid ſolidi habent, quod afferant, niſi forte commenta, & abſurda maxima, quæ in nullius ſani hominis mentem venire queant.

Quid enim eo abſurdius fingi poteſt, quam abſtrahere a corpore ideam totius, eamque tribuere cordi? vel contra ideam partis ſubtrahere cordi, & hanc propriam facere corporis? Quid eo inſanius, quam uni cordi formam affingere non ſolum totius corporis, ſed & partium omnium, ac ſingularum ex quibus conſtat, puta manuum, pedum, capitls, aliarumque? Illud vidit S. Thomas; & ideo 1. 2. *q.*65. *art.*1. *ad* 4. inquit: *Si quis erraret circa hoc principium: Omne totum eſt majus ſua parte, non poſſet habere ſcientiam geometricam: quia oporteret multum recedere a veritate in ſequentibus*: Vidit & alterum iſtud humanæ inſaniæ figmentum: & ideo ſcribit in 1. *Phyſicor. lect.*3. *Si autem ſimpliciter totum eſſet idem uni partium, eadem ratione eſſet idem alteri partium. Quæ autem uni & eidem ſunt eadem, ſibi invicem ſunt eadem. Et ſic ſequitur, quod ambæ partes, ſi ponantur ſimpliciter eſſe idem toti, quod ſint idem ad invicem.*

cem. Et ſic ſequeretur, quod totum ſit indiviſibile non habens diverſitatem partium (a). Et hæc tamen portentoſa humanæ imaginationis ludibria Adverſarii noſtri concoquere, & amplecti deberent, quoties in hoc Feſto ab exteriori cultu cordis carnei removere vellent diviſionem Chriſti, ejuſque ſacratiſſimi, & integerrimi corporis diſſolutionem actu ipſo, certiſque notis apud homines *realiter* ſignificatam. De eo enim quod exterius & agunt, & agendum ſtatuunt, non de eo quod interius aut opinantur, aut credunt, & profitentur, noſtra iſtæc omnis diſputatio inſtituta eſt.

CAPUT XXX.

Incommoda, quæ ex ficta Adverſariorum hypotheſi de cultu cordis carnei in unitatem & integritatem Corporis Chriſti neceſſario proficiſcuntur, evitari nequeunt ope cultus, quem relativum appellant. Is latriæ cultus omnino abſotutus eſſe deberet, non relativus.

PLura, ut jam vidimus, eaque immania ſunt abſurda, quæ ad evitandam diviſionem Corporis Chriſti Domini in ſua ipſorum hypotheſi de cultu cordis ejus carnei Adverſarii noſtri admittere cogerentur. Neque ad ea tollenda reponere juvàt, quod

(a) Quod autem hic probat *indirecte* per abſurdum, ſtatuit alibi *directe* per argumentum ex adæquata ratione deſumptum, 1. *p. q.3. art.7. corp. Quia* ſcilicet *omne compoſitum eſt aliquid, quod non convenit alicui ſuarum partium. Et quidem in totis diſſimilium partium manifeſtum eſt, nulla enim partium hominis eſt homo: neque aliqua partium pedis eſt pes. In totis vero ſimilium partium, licet aliquid quod dicitur de toto, dicatur de parte, ſicut pars aeris eſt aer, & aquæ aqua, aliquid tamen dicitur de toto, quod non convenit alicui partium; Non enim ſi tota aqua eſt bicubita, & pars ejus. Sic igitur in omni compoſito eſt aliquid quod non eſt ipſum.* Quo etiam reſpexit 1. 2. *q.*72. *art.*4. *ad* 2. ubi ait: *quod quando aliqua quorum unum includit alterum, ab invicem diſtinguntur, intelligitur fieri diſtinctio, non ſecundum illud quod unum continetur in altero: ſed ſecundum illud quod unum excedit alterum; ſicut patet in diviſione numerorum & figurarum: Non enim triangulus dividitur contra quadratum ſecundum quod continetur in eo, ſed ſecundum quod exceditur ab eo. Et ſimiliter eſt dicendum de ternario & quaternario.*

quod cultus cordis non ſit *abſolutus*, qui nempe terminetur ad ipſum ſolum, ſed *relativus*, qui terminatur ſimul ad totum Chriſtum, atque adeo & ad integrum corpus ejus. Hæc enim diſtinctio, quum de Chriſti carne, ejuſque humanitate agitur, vana eſt, commentitia, & omnino falſa.

Ac primo quidem, ratio cultus *relativi* ex eo præſertim ducta, ut alibi fuſius obſervavimus, quod ſponte ſua ferri poſtulat ad hypoſtaſim ſubſiſtentem in rationali, vel intellectuali natura, non habet locum in corde Chriſti; præſto enim ei eſt divinitas verbi in unitate perſonæ, ut ſupponere debent Adverſarii, ſi ſuam hanc ſubdititiam hypotheſim de ſeparata adoratione Cordis, ejus ſaltem indolis eſſe velint, quam cum Catholico dogmate conciliare ſe poſſe credant. Quamquam Verbum tunc eſſet hypoſtaſis conſiderata ut ſubſiſtens non quidem in rationali, atque humana natura, ſed in parte partis inanimæ hujus naturæ; Verum & hoc pacto Cor Chriſti adorari mereretur cultu *abſoluto latriæ*. Atque ob eam etiam cauſſam ſi quis ex. gr. colere vellet cor Matris Dei, quæ cum corpore aſſumpta eſt in Cœlum, non is coleret cor ejus cultu *relativo*, ſed *abſoluto hyperduliæ*. Anima namque Virginis cor illud informat, eique intime præſens eſt ut toti corpori, quemadmodum colligitur ex S. Thoma 1. *p. q.* 76. *art.* 8. *corp. Quia anima unitur corpori, ut forma, neceſſe eſt quod ſit in toto, & in qualibet parte corporis. Non enim eſt forma corporis accidentalis, ſed ſubſtantialis. Subſtantialis autem forma non ſolum eſt perfectio totius, ſed cujuslibet partis ..... Unde oportet quod ſit forma, & actus non ſolum totius, ſed cujuslibet partis*. Quinimo eodem etiam cultu honorandum exiſtimarem Cor divinæ Matris, tametſi ſpectandum exhiberetur, ut ab ejus Beatiſſimo corpore ſeparatum. Ne id tamen fiat, illud maxime obſtat, quod Dei Genitrix in ſtatu eſt glorioſæ Reſurrectionis; neque is patitur, ut vel cogitando illius incorrupta & intacta membra ſoluta ac diffuta concipiantur. Sed ne quis abutatur exemplo, quod de *Corde* Sanctiſſimæ Virgi-

Digitized by Google

Virginis attulimus, ſciat is velim, rei tantum, de qua agebamus, declarandæ gratia, fuiſſe productum; nec inde ſequi, quod ſi permitti fortaſſe poſſet cultus *Cordis* Deiparæ Virginis, permitti pari jure poſſit *cultus Cordis* Chriſti. Non tanti enim intereſt Eccleſiæ ſervare indiſſolubilem integritatem Corporis *Mariæ*, quanti intereſt eam conſtantiſſime tueri in Corpore Chriſti Jeſu. Sic enim jubet Spiritus Sanctus in Scripturarum oraculis: ſic petunt miracula ipſa a Dei Filio patrata: ſic docet unanimis traditio Patrum: ſic tandem poſtulat divinitas myſteriorum, quæ in ſumma, eaque individua prorſus unitate Corporis Chriſti, recondita adorantur.

Cæterum quod ego dixi de *cultu abſoluto Cordi* Chriſti perpetuo, ac ſimpliciter tribuendo, intelligendum id eſt in ea etiam *falſa* hypotheſi, quam ſibi fingunt Adverſarii, eamque temere Romanæ Eccleſiæ adſcribunt, de cultu cordis carnei ab eo ſeparato, qui *toti Corpori* Chriſti ab exordio Chriſtianæ religionis delatus ſemper eſt, ſemperque integerrime deferretur uſque ad conſummationem ſæculi. Quemadmodum enim in triduo mortis corpus Chriſti ab ipſius anima ſeparatum, colendum erat latriæ cultu prorſus *abſoluto*, ita & cor Chriſti, ſi ſemel ſejunctum a Corpore Chriſti fingeretur, colendum eſſet. Sed ut hæc hypotheſis fingeretur, oporteret comminiſci non tam mortuum, & ſepultum, quam *ſciſſum & eviſceratum* Chriſtum Jeſum. Quod commenti genus ne imaginari quidem ſuorum cuiquam permittet unquam Eccleſia. Et ſane in eo triduo quum Corpus Chriſti nullo plane temporis momento fuerit a divinitate, & perſona Verbi ſeparatum, adorandum erat ut totus ipſe Chriſtus Deique Patris Filius in carne & corpore ſuo. Nam: *Et ipſe Dominus Chriſtus*, inquit Magnus Auguſtin. *Tract.67. in Joan.*, *dictus eſt ſola caro. Quomodo, inquit, probas? Audeo dicere, & ſola caro Chriſti dictus eſt Chriſtus. Credimus certe non in ſolum Deum Patrem, ſed & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Totum ibi intellige & Verbum, & animam, & carnem. Sed utique confiteris & illud,*

quod

quod habet eadem fides, in eum Chriſtum te credere, qui crucifixus eſt, & ſepultus. Ergo etiam ſepultum Chriſtum eſſe non negas, & tamen ſola caro ſepulta eſt. Si enim erat ibi anima, non erat mortuus. Si autem vera mors erat, ut ejus vera ſit reſurrectio, ſine anima fuerat in ſepulcro: & tamen ſepultus eſt Chriſtus. Ergo Chriſtus erat etiam ſine anima caro, quia non eſt ſepulta niſi caro. Idemque profitentur, & Generalia Concilia, & ſymbolorum conditores, & latini græcique Patres ad unum omnes, qui Chriſtum, verum Dei Filium & Verbum Patris *mortuum* atque *ſepultum* prædicant, ea de cauſa, quod unus totuſque Chriſtus erat etiam in *carne ſola*, qua cum perpetuo nexu conjunctus, nec ab ea ſeparatus unquam extitit Dei Filius. Quamquam in eo Auguſtini teſtimonio illud inter cætera diligenter animadvertendum eſt, quod quum dicitur *Dominus Jeſus Chriſtus unicus Dei Filius*, *TOTUM* quod Ipſe eſt nominatur, & intelligitur; quum vero dicitur idemmet Chriſtus Dei Filius *mortuus*, *& ſepultus*, *totus* in ſola carne ſolove corpore, non autem *totum*, dicitur & intelligitur Chriſtus. Atque ex hac Auguſtini ſententia, uti video, deprompta ſunt, quæ Ferrandus *in Bibl. PP. ad Severum* in hæc verba ſcribit: *Totus ergo Chriſtus ubique eſt ſecundum Verbum, ſed non totum ubique eſt; quia non eſt ubique anima rationalis, & caro, cum quibus eſt totum totus Chriſtus. Apud inferos fuit ſecundum animam rationalem; ſed non totum, quia caro non fuit, cum qua totum eſt. Totus Chriſtus in ſepulcro fuit ſecundum carnem, ſed non totum; quia anima rationalis ibi non fuit, cum qua eſt totum. Verbum tamen Dei & cum anima ſua apud inferos, & cum carne ſua in ſepulcro fuit .... ſive igitur Verbum, ſive anima rationalis, ſive caro ſignificetur, totus Chriſtus ſignificatur, ſed non totum .... Quare autem Verbum totus Chriſtus, & anima rationalis totus Chriſtus, & caro totus Chriſtus, niſi quia una eſt Verbi, & animæ rationalis, & carnis perſona? Quare iterum Verbum ſine anima rationali & carne non totum Chriſtus, anima rationalis & caro ſine Verbo non totum Chriſtus, niſi quia alia eſt Verbi, alia rationalis animæ, carniſque natu-*

natura? Jam vero ſi *totum Chriſtus* eſt Dei Filius perfectam habens humanam naturam ſibi hypoſtatice conjunctam: & ſi rurſum *totus Chriſtus* eſt idem ipſe Dei Filius, vel in ſola anima rationali, vel in ſolo corpore ab anima ſeparato, profecto & ubi *totum* eſt, & ubi *totus*, unam eandemque poſtulat omnino perfectam & *abſolutam* adorationem. Quotieſcumque igitur daretur hypotheſis, qua *cor carneum* Chriſti excogitari poſſet ſeparatum a corpore Chriſti, adeoque & ab anima ipſa; (nam cor avulſum a corpore intelligi nequit animatum;) ſi tamen hypoſtatice conjunctum maneret cum perſona Verbi, *totus* Chriſtus eſſet, licet non *totum*, *in ſolo corde*; qui ſuo proinde jure, proprie, ac per ſe adorari peteret ſummo, & *abſoluto* cultu ſine corpore, & anima, non aliter atque adoratus eſt a Virgine Matre in ſolo cadavere ſepulcri clauſtrls incluſo ſine anima: & in una anima a Patriarchis ſanctiſſimis in ſinu Abrahæ adoratus eſt ſine corpore. Tum vero, ſi liceret ſomnium adjungere ſomnio, feſtum excogitandum eſſet de *corde avulſo*, ſeu *de Chriſto eviſcerato*, ut paullo ante dicere cœperam.

Nunc ergo ſatis, ut arbitror, intelligent Adverſarii noſtri cor Chriſti carneum, ſi ſemel uti hypoſtatice conjunctum cum Deo Verbo Fidelibus colendum proponatur, unica tantum adoratione, unoque prorſus eoque ſupremo, & abſoluto latriæ cultu adorari oportere. Sed hoc in caſu cor adoraretur, ut ſeparatum a corpore, imo & ab anima ipſa Chriſti, quemadmodum in triduo mortis adorabatur corpus ejus exanime. Quod cum nullo in ſtatu, tum vero maxime in eo, quem poſt reſurrectionem Chriſtus in ſecula ſempiterna obtinuit, ne fingere quidem Catholico homini licet. Unus ille impius & damnatæ memoriæ Paulus Samoſatenus infandi erroris portentum de Chriſti corpore ejuſque ſanguine in Sacramento Altaris *corruptibili* gignere auſus eſt, *quia*, ut narrat S. Dionyſius Alexandrinus in epiſtola adverſus eumdem ſcripta, tale quiddam putabat fuiſſe a Domino denunciatum, quum *dixit diſcipulis*: *Accipite*, *& dividite*.

Quod ſi fortaſſe exiſtimaverint Cor Chriſti etiam Verbo unitum *ſeorſim* coli & adorari poſſe cultu quidem *abſoluto*, non tamen latreutico, qui unius Verbi perſonæ defertur, ſed eo inferiori, qui *hyperduliæ* dicitur; nam & nonnullos fuiſſe novimus ex veteribus, atque etiam junioribus de ſchola Theologis, qui totam ipſam humanitatem, licet divino Verbo hypoſtaticè conjunctam, inferiori iſta cultus ſpecie affici poſſe putarunt, videant ii quæſo, an probabile ſit, Romanam Eccleſiam in Feſto Cordis Jeſu permittendo, anſam præbere voluiſſe illi inſtaurandæ ſententiæ, *quam* Petavius ipſe Theologus ſane quidem doctiſſimus, *Scholaſticis quibuſdam placuiſſe miratur lib.*15. *Th. Dogm. cap.*4. *n.*12. *Hanc enim & Synodorum generalium, & antiquorum Patrum Græcorum, Latinorumque placitis adverſari oſtendit*. Quin etiam *cap.*3. *n.*6. poſtquam retulit canonem nonum Synodi quintæ in Lateranenſi Concilio ſub Martino I. confirmatum, ubi anathema in eum dicitur, *qui non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod ſanctæ Dei Eccleſiæ ab initio traditum eſt*: *Hinc illud apparet*, inquit, *ex Eccleſiæ conſenſu, & traditione fixum, & ſtabilitum eſſe, unica tantum adoratione, eâque divina, & ſuprema, carnem, ideſt naturam hominis, venerandam eſſe cum Verbo*. Ex quo fit, ut inter Theologos rectè de Chriſti adoratione ſentientes, nemo ſit, qui non ſtatuat, humanitatem Chriſti *etiam in abſtracto* conſideratam (utpote tamen Verbi *propriam*) coli debere *abſoluta* adoratione latriæ, & ea quidem unica, quacum ſtare nequeat alius quivis cultus latreutico minor, etſi gradu eo major eſſet, qui in hyperduliæ genere tribuitur Deiparæ Virgini.

His ſemel ſtatutis, qui locus ſupereſſe poſſit cultui illi *relativo* ab Adverſariis ad eum plane finem excogitato, ut tot illa, ac tam portentoſa abſurda evitare poſſint, quæ ex hypotheſi de cultu ſpeciali cordis carnei Chriſti neceſſario conſequuntur, ego quidem non video. Nam ſi nomine cultus mere relativi eum intelligunt, qui ſimilis ſit cultui ſacrarum Imaginum Chriſti, aut ipſius ſanctæ, & vivificæ crucis, illud ſaltem in dubium

ſtatim

ſtatim revocabitur, an cultus iſte delatus Cordi Jeſu *latriæ* eſſe poſſit nec ne? De Imaginibus Chriſti latriæ cultu non equidem abſoluto, ſed relativo adorandis ſententia eſt S. Thomæ *3.p.q.25.art.3.*, ubi ex ea philoſophica ratione, quod *motus, qui eſt in imaginem, in quantum eſt imago, eſt unus, & idem cum illo, qui eſt in rem*, colligit de imagine loquens *in quantum eſt imago, eamdem reverentiam exhiberi imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum autem Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſſe* concludit, *quod ejus imago ſit adoratione latriæ adoranda*. Idemque potiori jure de *vera Chriſti cruce* ſentiendum ſtatuit art.4. ſequenti. *Si loquamur*, inquit, *de ipſa cruce, in qua Chriſtus crucifixus eſt, utroque modo eſt a nobis veneranda; uno ſcilicet modo, inquantum repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea*, (ubi eidem plane rationi, quam de Chriſti imagine mox protulit, S. Doctorem inſiſtere vides;) *alio modo ex contactu ad membra Chriſti, & ex hoc, quod ejus ſanguine eſt perfuſa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione latriæ*, quamvis *relativa*, ut jam obſervabam. Addam Angelico Præceptori Alexandrum Halenſ. S. Bonaventuram, Almainum, Carthuſianum, Capreolum, alioſque de ſchola Theologos, qui eodem, quo S. Thomas, innixi principio relativam latriæ adorationem cruci Chriſti decernunt. Quamquam iſtorum dicta ſic Bellarminus accipi debere exiſtimet, ut id unum velint, crucem videlicet Chriſti adorandam eſſe latriæ cultu *per accidens tantum, propter aliud*, aut certe *improprie*.

Quid jam? dicentne *Cordicolæ* noſtri ſimili *latriæ* cultu, qui *relativus* ſit, adorari cor Chriſti, *per accidens tantum, propter aliud, atque etiam improprie*? Non ita, credo, niſi cor Chriſti negaverint *carnem* eſſe *propriam* Chriſti, & Dei Verbo hypoſtatice conjunctam. Sed mitto quæ Turnellius *quæſt. ultima de adorat. Chriſti &c. in tract. de Incarnat.* ex celeberrimo, doctiſſimoque Epiſcopo Boſſueto de doctrina S. Thomæ cenſuit, in iis, quæ ſpectant ad hunc relativum *latriæ* cultum

tum Chriſti imaginibus, tum veræ cruci tributum. Nam ſatis eſt ad rem noſtram quod S.Doctor tum 1. tum 2. art. laudatæ quæſtionis una eademque adoratione *latriæ* prorſus *abſoluta* divinitatem æque ac humanitatem Chriſti adorandam cum Eccleſiæ Catholicæ traditione docuerit, ne quis relativum *latriæ* cultum comminiſcatur, quem aut toti humanitati, aut cordi ipſi Chriſti Jeſu deferendum ſuppeditet. At non illud omittam, quôd cultus latriæ, aut omnino abſolutus eſt, aut ſi non eſt *abſolutus*, ſed *relativus*, latriæ naturam habere nullo modo poteſt. Hoc plane argumento utitur Bellarminus ad demonſtrandum non eſſe adorationem latriæ eam ipſam, quæ veræ Chriſti cruci tribuitur, quotieſcumque impropria illa ſit, & *relativa*. Bellarminum exſcripſit, ſuumque fecit Turnellius auctor Adverſariis noſtris minime ſuſpectus.

Eoque principio refutantur Halenſis, Gabriel, Antonius de Corduba, aliique pauci, qui Chriſti humanitatem in abſtracto latriæ cultu adorari docuerunt, ſed ea *latria*, quæ *relativa* ſit, nec ultimo ad humanitatem ipſam terminetur. Quamquam non refutantur ſolum, ſed & a *Petavio*, ut jam audivimus, ſatis acriter caſtigantur, tanquam antiquiſſimæ, & conſonæ Patrum, ac Synodorum omnium, totiuſque Eccleſiæ traditioni adverſi, una cum aliis quibuſdam, qui intemperantiori ſpeculandi ſtudio abrepti, humanam in Chriſto naturam etiam, ut Verbo conjunctam, hyperdulia adorari poſſe ſenſerunt.

Accedit his, quod etſi ex recentioribus ſcholaſticis nonnemo ſit, qui Chriſti humanitatem *præciſive* a Verbo, adorari poſſe exiſtimet, hoc tamen adorationis genus offenſioni Fidelium obnoxium non invitus fatetur. Sic Franciſcus Henno *Tom.2. in Tract. Brevi de præcipuis vitæ Chriſti myſteriis ſect. xx.* ubi *ſecluſo ſcandalo* affirmat humanam Chriſti naturam ſeorſim a Verbo adorari poſſe *non tamen latria, ſed hyperdulia ..... quod humanitas Chriſti ſeorſim ſumpta habeat ſuam excellentiam, ſitque per ſe objectum adorabile. Dixi*, (mox ſubdit,)*ſecluſo ſcandalo; quia ubi crederet quis nos dividere adorationes in Chriſto propter diverſitatem perſo-*

perſonarum; *ut faciebat Neſtorius*, *eſſet ab illa adoratione abſtinendum*. At vero multo facilius *ſcandalum* parere poteſt adoratio cordis carnei, quod quum coli videatur *ſeorſim* a corpore Chriſti, ſuapte natura non rudes tantum, ſed & doctiores ipſos prudentioreſque Fideles in ſuſpicionem ducit Neſtorianæ diviſionis.

Nec juvat reponere ſuſpicionem & ſcandalum ex eo tolli, quod adoratio *cordis* non *hyperdulia* ſit, ſed *latria*. Qui enim humanitatem Chriſti hyperduliæ honoribus affici poſſe exiſtimant, iiſdem etiam cor Chriſti non modo apud ſeipſos, ſed apud alios quoſque affici reipſa putabunt; præſertim quum aut nulla, aut incerta, ac dubia ſint exteriora indicia, quibus unius & alterius adorationis diverſitas internoſci queat. Sed pone cultum cordis in omnium omnino opinione *latriæ* eſſe; quum tamen, ut Adverſarii decernunt, *relativus* ſit, Bellarmino, & Turnellio ipſo judice, non jam *latriæ* cultus, ſed eo longe inferior erit, & talis equidem qualis eſt *hyperdulia*.

Non audeo dicere, hujuſmodi latriæ cultum cordi Chriſti tributum, ei fortaſſe ſimilem videri poſſe, quem duce Theodoro Mopſueſteno, tribuebat Neſtorius humanitati *per relationem* ad divinitatem; quumque in Chriſto ſeorſim Deum, & ſeorſim hominem poneret, *hunc habitudine quadam*, teſte S.Cyril. in 2. *ad Succeſ.*, *cum Deo* copulabat *ſola honoris æqualitate*, *ſive auctoritate*; unde & illud erat celebre Neſtorii effatum: *naturas ſeparo*, *ſed adorationem conjungo*. At non poteſt non in ſuſpicionem venire *ordo & progreſſio*, quibus in divinitatem aſcendit. Nam cultus iſte ſi a corde tranſit *immediate* in Verbum, ſupponit in Chriſto realem diviſionem cordis tum a corpore, tum ab anima; ſin minus, neceſſe eſt, ut a parte in totum, ideſt a corde in corpus, a corpore in animam, ab anima gradatim feratur in perſonam Verbi. Quid ad hæc? Reſpondebuntne manere in corde vim quamdam ſibi a natura inditam, qua petit referri ad corpus, cujus pars eſt? Verum, præterquamquod ſic etiam cor ſupponitur a corpore ſeparatum, ſiqui-

quidem & in eo actu, quo tamquam pars ſingularis adoratur, petit conjungi cum toto; vis illa, quam vulgo, licet improprie, appetitum appellant, naturalis imprimis eſt, neque ut talis ſive abſolutæ, ſive relativæ adorationis fundamentum conſtituit. Deinde, ut Petavius obſervat *lib.*12. *de Incarnat. cap.*20. *n. ult.* Extrinſecus ei advenit. Quum enim exponere ibi vellet, quo pacto in morte Chriſti firma, & indiſſolubilis manſerit unio divini Verbi cum carne ab anima ſeparata; quando, ſi *conjunctio illa carnis cum Deo nonniſi media interveniente anima facta fuerit*, ut antiqui Patres affirmant, *conſequens* eſſe videbatur, ut *ſublato illo tanquam nexu, ac vinculo ambo a ſe invicem extrema* Deus & caro divellerentur; auctoritate & doctrina utitur S. Thomæ 3. *p. q.*6. *art.*1. cumque Angelico ipſo Præceptore docet, ad id equidem ut conjunctio illa fieret mediam interceſſiſſe animam; ſed poſtquam facta ſemel fuit conjunctio, etiam ſublato medio, eandem omnino permanſiſſe, quemadmodum de anima accidit, quæ licet *nonniſi in corpore creetur, & exiſtere incipiat, tamen eo remoto, & extra ipſum deinceps creata conſervatur*; Hujuſque rei cauſam adfert ex eodem S. Thom. 3.*p. q.*50. *art.*1. *ad* 2., *quod caro ab anima disjuncta ad humanam naturam pertinet, in quantum ſcilicet in carne mortua remanet ex divina ordinatione quidam ordo ad reſurrectionem. Et ideo non tollitur unio divinitatis ad carnem*. Indeque concludit conjunctionem illam divini Verbi cum carne exanimi ex eadem cauſa reperi oportere, unde, & ordo repetitur, qui eſt in carne jam mortua ad priſtinam cum anima conjunctionem in reſurrectione obtinendam. Is autem *ex divina voluntate & ordinatione potius, quam ex rei natura, aut neceſſaria quapiam cauſa*, auctore S. Thoma, repetitur. Quæ quidem ſi probe intelligantur, facile oſtendent ordinem iſtum nec locum habuiſſe unquam, neque habere poſſe in corde Chriſti relate ad corpus; nec quicquam tandem in ſe continere, quod valeat relativum latriæ cultum ad unum cor terminatum, ex æquo tranferre ad reliquas corporis partes, & ita deinceps ad

Digitized by Google

ad totum Chriſtum, ut hoc pacto unitas, ac dignitas adorationis ei debitæ conſervetur.

Illud reſtat ut dicant, hujuſmodi cultu adorari quidem præciſe atque in ſpecie cor Chriſti, ſed ſimul etiam confuſe, & in genere reliquas corporis partes, ipſamque aaimam adorari. Sed nihil eo magis præpoſterum, & inſolens, aut dici, aut excogitari poteſt. Qui totum in ſe adorat, partes omnes ſimul adorat. Sed qui partem unam diſcrete, & electe colit, is non cenſetur profecto partes cæteras uno eodemque religionis officio complecti. Illam enim diſcernendo ſeligit, has prætermittendo relinquit. Adorent itaque qui hæc nobis objiciunt totum Chriſtum, ſic & cor in ipſius corpore adorabunt. Illudque ante oculos perpetuo habeant, quod quum de Chriſto loquimur, in eo, ut inquit S. Joan. Damaſcen. *lib.3. de Fid. Orth. cap.16. Non partes conſideramus partium, ſed ea, quæ proxime inter ſe componuntur, divinitatem & humanitatem*; quemadmodum nec hominem dicimus *ex quinque, ut minimum, conſtare naturis, nempe ex quatuor elementis, & anima*. Aut ſi eis placeat naturas duas, & *tres* in Chriſto commemorare partes, ſeu ſubſtantias *Deum, animam, & corpus*, id ipſis liceat, (ea tamen lege quam inculcat Petavius *lib.5. de Incarn. cap.13. n. ult.*). Sed *quartam* numerare partem *Deum, animam, corpus, & cor*: ac præterea quartam hanc prætermiſſis capite, pectore, dorſo, jecore, pulmonibus, aliiſque extimis, & inteſtinis corporis partibus, tamquam unam ſeligere, quæ deſtinato die, ac ſingulari feſtivitate, cultuque proprio, & a reliquis ſeparato adoretur, id vero peregrinum quid eſt, omnino inſolens, & non exiguæ ſuſpicioni obnoxium; quando nec *anima* ipſa, quæ ceteroquin pars eſt humanæ naturæ in Chriſto nobilior & excellentior, iſtiuſmodi ſelecto ac ſeparato cultu honoratur.

Quum de Chriſti adoratione agitur, mirum eſt quam caute, ac diligenter Sancta Romana Eccleſia omnia circumſpicere ſoleat, ne quid forte in hanc maximam religionis noſtræ partem ſubrepat, quod vel levem, atque etiam apparentem diviſionis

Digitized by Google

ſionis ſpeciem in Chriſtum invehere quovis pacto poſſit. Hinc perpetuus in ea mos viguit, ut Feſtis Chriſti, quæ ratione partium videri poſſent inſtituta, certa ſubſint, & ſpecialia myſteria, puta circumciſionis, aut quinque vulnerum, quæ & cultui cauſam præbeant; & certo ſimul argumento ſint, quôd is non terminatur ad ullam partium, ſed recta fertur ad totum Chriſtum, de quo etiam ſecundum totum myſteria illa prædicantur in Scripturis. *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer. Luc.2. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Iſai.53. Videbunt in quem transfixerunt. Joan.19.* Quum itaque nullum habeamus myſterium Cordis Chriſti ſive ſcriptum, ſive traditum; quod enim objicitur lanceæ vulnus, non ad ipſum pertinet, ſed ad latus; quod autem a latere interpretative producitur ad cor, non plus influit in cauſam cultus, quam ſi vulneratus diceretur etiam pulmo; conſequens fit, ut qui variant, & traducunt objectum cultus a corde ſymbolice ſumpto ad cor carnaliter intellectum, diviſionem inferre videantur in corpus Chriſti, quam etſi velint, non tamen valeant, ſuo illo relativæ latriæ cultu penitus tegere, & occultare (*a*).

CA-

(a) Si quis autem objiciat, & nos admiſiſſe ſupra *cap.* 6. cultum Cordi delatum nonniſi *relativum* intelligi poſſe *formaliter acceptum*. Et cohærenter ad hunc locum illum rurſus *relativum* nos appellaſſe *cap.* 12. is animadvertat oportet, neutrubi id nos ex proprio ſenſu ſtatuiſſe, ſed diſputantium more utrobique dixiſſe, eo rem deductum iri ſecundum Adverſariorum ſententiam, ut cultus cordis carnei in exteriori religionis officio ſcorſim conſiderati conſiſtere nullo modo poſſet cum unica adoratione toti Chriſto debita in utraque natura divina ſcilicet, & humana, niſi in eo privato ac peculiari cultu cordis duplex omnino latriæ cultus confingeretur, *unus abſolutus* ſaltem *materialiter* prout ſubjicitur hypoſtaticæ unioni ipſius cordis cum perſona Verbi; *alter formaliter relativus* reliquas corporis partes, & animam ipſam reſpiciens Divinæ pariter hypoſtaſi copulatam. Ex hoc conſectario, quod neceſſario ex Adverſariorum hypoteſi ſeqnebatur, perſpicue, ni fallimur, evicimus, immaginarium & chimericum eſſe hujuſmodi cultum, qui uno, eodemque actu, ut *abſolutus* ſaltem *materialiter* terminaret ad *Cor* tamquam ſubjectum atque conjectum perſonæ Verbi, & ut *formaliter relativus* terminaret ad cæteras Corporis Chriſti partes, ejuſque animam, & Divinam ipſam Perſonam Verbi. Sic enim & unitas adorationis, & latriæ cultus penitus tolleretur. Sed cur, dicet, fortaſſe aliquis ex contrariæ opinionis principiis argumentabaris tu, cultum cordis poni debere ut *abſolutum materialiter*, & non potius *formaliter*? En quæ cauſa fuerit. Morem gerere volui Adverſariis noſtris; quorum gratia conſectarii abſurditatem ad extrema urgere deſtiti; eiſque aditum aliquem ad imaginationis ſuæ commenta cum integritate,

CAPUT XXXI.

Idealis diviſio cordis carnei Chriſti nullum habet fundamentum in re. Prarogativa cordis ad excellentiam capitis revocari debent; & nihilo pluris, quin etiam minoris habenda ſunt.

SAtis, opinor, perſpicue hactenus demonſtravimus *idealem præciſionem*, qua ſtatuunt Adverſarii objectum cultus in corde carnis, nullum habere, quod potiſſimum erat, funda-

O

men-

tate, & unitate Chriſti, utcumque, concilianda reliqui. Si enim ex eorum hypotheſi dixiſſem id neceſſario ſequi, ut cultus Cordis Chriſti ſit *formaliter abſolutus*; *relativus* vero *ſecundum quid*, quateous ad partes omnes reliquas Chriſti Domini terminatur, aliquid protuliſſem, ex quo & adoratioois, & Corporis Chriſti *diviſio* nimis aperte conſequeretur.

Similia equidem & ego dixi de humanitate Chriſti io ea adnotatione, quam ex S. Jo. Damaſceno excerptam ad calcem p. 18. adjeci. At ibi ſermonem inſtitui *de cauſſa & ratione, propter quam* perfecta, & integra humaoitas Chriſti uoa eademque cum Dei Filio adoratione colitur. Cauſa autem & *ratio formalis* cur ita adoretur, una ipſa eſt hypoſtatica unio cum Verbo. In hunc modum humana natura Chriſti adoratur quidem *in ſe*; & id eſt, quod nos appellavimus cultum *materialiter abſolutum*; ſed noo adoratur *propter ſe*. Adoratur enim, ut ſcholæ verbis iterum utar, *propter rationem* illam *formalem* mox iodicatam, quæ tota, ut jam ſtatuimua, repetenda eſt ab unione hypoſtatica cum Verbo. Quumque ita fiat, ut adoratio *directe* ſemper ac *primario* reſpiciat perſooam Verbi, ob hunc reſpectum eam appellavimus *cultum formaliter relativum*. Sic autem modum etiam tradidimus, quo ſupremus, & omoino abſolotus latriæ cultus Chriſti humanitati defertur, licet *ſecundario*, & *ex conſequenti*.

Hanc eandem doctrinam antea tradiderant *ſacræ facultatis Pariſienſis* Doctorea in cenſura *Beruyeranarum Propoſitionum* ad Propoſ. 8. & 9. de adoratione humanitatia Chriſti; *Omnes Theologi*, (verba Cenſorum ſunt) *unanimiter ſciſcunt, tamquam dogmata ad Catholicam Fidem pertinentia. 1. Supremum latriæ cultum ſoli Deo, ſolis Perſonis Divinis, Patri, Filio, & Spiritui Sancto eſſe impendendum* in ſe, & propter ſe, *ſeu ſolum Deum eſſe ſimul objectum*, & motivum *adorationis latriæ*; *2. Humanitatem Chriſti Verbo Divino hypoſtatice unitam adorandam eſſe quidem ſupremo latriæ cultu* in ſe, *ſed* noo propter ſe, *ideſt eam eſſe* objectum, *ſed* non motivum, *ſupremi illius cultus. Nimirum ut* loquitur S. Joannes Damaſcenua lib. 3. de Fid. Orth. cap. 8. *Carnem* (Chriſti) *adoramus, ſed velut divinitati unitam, & quia duæ ejus naturæ ad unam Verbi Dei perſonam reducuntur, unamque ſubſiſtentiam. Carbonem tangere vereor ob ignem cum ligno conjunctum. Ambas Chriſti naturas ob unitam carni divinitatem adoro*. Addunt Damaſceno SS. Thomam, Athanaſium, alioſque commuoiter Eccleſiæ Patres. inter quos audiendus etiam eſt S. Auguſtinua enar. in Pſ. 99., ubi de carnis Chriſti adoratione loquens. *Idcirco*, inquit, *& ad terram quamlibet cum te inclinas atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum Sanctum, cujus pedum ſcabellum eſt* quod *adoras*; propter ipſum *enim adoras. Ideo & hic ſubjecit*:

mentum in re. Attamen ut id, quo de agere cœpimus, multo etiam planius evadat, nonnulla adjicere juvat, quæ imaginariæ hujus præciſionis levitatem arctius perſtringere valeant. Itaque nullum ea fundamentum habet neque ab extrinſeco, neque ab intrinſeco.

Non ab extrinſeco; quia ſi quod eſſet, hoc repeti deberet ab aliquo myſterio. Hinc enim cauſa aliqua idonea cultus, ac venerationis ſpecialis erga cor Chriſti haberi poſſet. At nullum eſt, quod ſciamus, myſterium cordis. Et quamquam aliquod eſſet, non ſtatim neceſſario peteret, ut Feſto peculiari colendum proponeretur. Multæ enim cauſæ eſſe poſſent, quibus fortaſſe inducta Eccleſia novi Feſti inſtitutionem ad illud ſeorſim celebrandum minime expedire crederet. Nam plura certo ſcimus, de aliis partibus corporis Chriſti, myſteria commemorari, ad quæ tamen colenda nulla aut diei, aut ſingularium officiorum religio, atque ſolemnitas eſt deſtinata. Atque, ut cætera miſſa faciam, Feſtum non agitur de ſacro Chriſti capite, quod & membrum eſt corporis ejus præcipuum, & Scriptura teſte *Matth.* 27. & *Marc.* 15. ſolemne ludibrium ſubiit, ac dolorem ex ſpineæ coronæ cruciatu ſenſit immanem. Ecquid huic ſimile ex Evan-

jecit: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt. Quis Sanctus eſt? In cujus amore adoras ſcabellum pedum ejus. Et cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & a ſpiritu non vivificeris.*

Hæc quiſquis intelligat, non audebit, opinor, ideam cultus, quem nos in adoranda humanitate Chriſti, unam *rationem formalem*, ſeu *motivum*, *propter quod* adoratur, ſpectantes, *relativum formaliter* nuncupavimus, ei ſimilem dicere, quam ſibi fingunt vel Halenſis, aliique pauci *latriæ relativæ* inventores, vel *Hyperduliæ* adoratores, vel iidem ipſi *Cordicolæ* noſtri, adverſus quos diſputamus.

Relativum uno etiam nomine diximus tum eum cultum, qui *imaginibus*, tum qui *reliquiis* Sanctorum tribuitur. Nam & S. Cyrillus l. 6. contra Julianum adorari Sanctos Martyres dixit: σχετικῶς, ἢ τιμητικῶς *relative, & honorandi ritu*, ut Petavius interpretatur. Cujus rei ſi cauſſa quæritur, ea eſt, quod uterque *duliæ* cultus, Auctore S. Thoma, in Perſonam, cujus vel imago, vel reliquia eſt, ſemper refertur. Fatemur tamen in Sanctorum reliquiis formam aliquam excellentiæ, & ſanctitatis propriam reperiri, quæ ſit honore ac veneratione digna; earumque proinde cultum ex parte abſolutum, & ex parte relativum putamus, ubi cultus imaginum mere relativus eſt, quum nulla in iis propria & intrinſeca contineatur excellentiæ, ac ſanctitatis forma, ſed tota impropria ſit, & extrinſeca a prototypo, ad quem imago refertur, dependens. Sed utrovis modo relativum cultum accipias, abeſt is quam longiſſime ab adoratione humanitatis Chriſti; totoque cælo diſtat ab eo, quem *materialiter abſolutum & relativum formaliter* appellavimus.

Digitized by Google

Evangelicis teſtimoniis de *corde* proferre poterunt Adverſarii? Vulnus enim quod ei volunt inflictum, ipſo retunditur Scripturæ teſtimonio, quod appellant *Joan.* 19. *v.* 34. Eo namque loci, etſi toties iſtud repetere moleſtum eſt, Chriſti latus apertum legitur, cor ejus vulneratum non legitur. Et vero ſi Feſtum cordis Jeſu traduci poſſet hoc nomine ad cultum cordis carnalis, hinc ſequeretur, quod alteri Feſto *Quinque vulnerum*, aut oporteret addere ſextum cordis, aut adimere quintum lateris, quod eo ſenſu non tam vulnus excepiſſet, quam vulneri aditum præbuiſſet. En myſterium, quo ſe implicant Patroni cordis carnalis! Næ ipſi vehementer errant, ſi cultus, pro quo certant, eo jam deducit, ut unum & bis duo, non reddant quinque, ſed quatuor, aut ſex!

Exſtat etiam *verſ.* 15. *Pſalmi* 21., qui de *Paſſione Chriſti ...... in prophetia*, ut ſcribit S. Auguſtinus *lib. ad Honoratum*, *ſeu epiſt.* 140. *de Gratia* novi Teſtamenti, *tanto ante cantatus eſt*; Nam & *Dominus* ipſe hujus Pſalmi *prophetiam ad ſe pertinere demonſtrans*, *ejus primum verſum exclamavit cum penderet in ligno*. Eſt autem laudatus verſiculus: *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei*. Ecquis hæc legens non ſtatim cogitet de *corde carneo* Chriſti, illudque ſibi præ ingenti dolore, atque triſtitia non ſolutum & liquefactum repræſentet? Et tamen audiamus Auguſtinum, qui quum in aliis pleriſque hujus Pſalmi locis, Evangelicam ipſam hiſtoriam paſſionis, & crucis Chriſti, apertiſſime deſcriptam agnoverit, in hoc tamen verſiculo, hiſtoricum & litteralem ſenſum ad *cor carneum* Chriſti accomodatum percipere non potuit: *Hoc ſane*, inquit *cap.* 14., *quemadmodum Capiti noſtro ipſius corporis Salvatori coaptetur, invenire difficile eſt. Neque enim niſi magno pavore contingit, ut cor velut cera liqueſcat humanum: quod unde in illo fieri poſſet, qui poteſtatem habebat ponendi, & recipiendi animam ſuam? Sed profecto, aut infirmorum ſuorum in ſe tranſtulit cauſam, ſive illorum, qui metu mortis paveſcunt, ſicut ipſe Petrus ex egregio præſumtore tam creber negator effectus;*

O 2 *ſive*

ſive illorum, qui triſtitia ſalubri contabeſcunt, ſicut idem ipſe Petrus cum amare flevit. Nam & triſtitia quaſi ſolvit cor: unde dicitur etiam græce quod appellata ſit λύπη. *Aut certe profundum ſacramentum intelligere voluit, ut cordis ſui nomine ſignificaret Scripturas ſuas, ubi ejus utique latebat conſilium, quod tunc apertum eſt, cum ea, quæ de illo prophetata fuerunt, paſſus implevit &c.* At poſtremo hoc ſenſu *cor* Chriſti eſt *myſticum*, *ſymbolicum*, & *figurate* acceptum, non autem naturale illud & carnale, de quo diſputamus.

At enim quid aderit ſaltem ab intrinſeco, quod cultum illum terminari ſinat ad cor? Ecquid imo non adeſt, ſi philoſophari lubeat cum Adverſariis? Cor, ut iſti commentantur, præcipua ſibi vindicat, vel cuncta vel pleraque, quæ ſunt animæ propria. In eo namque ponunt principium vitæ, principium doloris, & amoris Chriſti. Sed ſi nolint ab his animam excludere, neceſſe eſt, ut dignitatem principii, quam cordi tribuunt, ad unam contrahant ſpeciem principii ſubordinati, quod & ipſi comprincipium ſenſibile vocant, & ita meram redolet cauſalitatem inſtrumentalem. Videamus ergo, an cor ſecundum rationem, ſive comprincipii ſenſitivi, ſive principii ſubordinati, ſive etiam cauſæ principis inſtrumentalis, primatum teneat præ cæteris membris, imo & præ capite ipſo? Jam vero, ſi loquamur de miniſterio principi, quod animæ vim quaſi explicet in influxu vitæ, non videtur deeſſe capiti, unde jure contendere poſſit de primatu cum corde. Scriptura namque dum agit *Gen.* 2. de animatione primi hominis, quem formatum dicit a Deo de limo terræ, rem ſtatim accerſit a capite. (*a*) *Et inſpiravit*, inquit, *in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, quod quanti ſit ad rem noſtram, quantumque faceſſat negocii antiquis Philoſophis (*b*) pro corde ſtantibus, vidit etiam S. Thomas

(a) In cerebro enim eſt origo ſpirituum animalium, & principium nervorum, qui inde exorti, per univerſa corporis membra propagantur, omnemque eis movendi, atque ſentiendi vim conferunt.

(b) Vide quæ ex S. M. Benedicto XIV. adnotavimus cap.3. hujus noſtræ diſſertationis. Recentiorum ſententiæ ſtanti pro cerebro favere videtur hac in re, quod ſcribit S. Thomas 1. *p. q.*115. *art.*5. *ad* 1 ubi

mas 1. *p* *q*.91. *art*.4. *ad* 4. ubi ſolvens objectum, quod *anima, quæ eſt ſpiraculum vitæ, eſt in toto corpore, & principaliter in corde*: notabiliter ait: *quod quia operationes vitæ magis manifeſtantur in facie hominis propter ſenſus ibi exiſtentes, ideo dicit in faciem hominis inſpiratum eſſe ſpiraculum vitæ*. Et iterum 3. *p.* *q*. 66. *art*. 7. *ad* 3. ubi *quod principalis pars corporis, præcipue quantum ad exteriora membra, eſt caput, in quo vigent omnes ſenſus & interiores, & exteriores ..... in quo manifeſtatur principium animalis vitæ*. Et infra *q*. 68. *art*. 11. *ad* 4. *In nulla*, inquit, *exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite*. Quod ea ratione probat etiam ſupra *q*. 53. *art*. 2. *ad* 1. *quod caput, & membra conformantur in natura, ſed non in virtute; excellentior eſt enim virtus capitis, quam membrorum*.

Si vero loquamur de dolore, & amore ſenſitivo, prout nempe paſſiones ſunt in nobis, propaſſiones autem in Chriſto, res eſt explorata, quod caput in eis potiores occupat partes. Ad quod evincendum præmitto cum S. Thoma 1.2. *q*.24. *art*.2. *ad* 2. *quod in omni paſſione animæ additur aliquid, vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intenſius, vel remiſſius movetur ſecundum ſyſtolem, aut diaſtolem*. Præmitto & illud ſimul quod adjungit S. Doctor *q*. 37. *art*. 4. *corp*. *Eſt autem attendendum in omnibus animæ paſſionibus, quod tranſmutatio corporis, quæ eſt in eis materialis, eſt conformis, & proportionata motui appetitus, qui eſt formalis, ſicut in omnibus materia proportionatur formæ*. Ex his vero ſtatim intelligitur, quod quas dolor, & amor

ubi agens de vexatis a dæmone ſecundum certa augmenta lunæ, naturalem cauſſam iſtius effectus ab ipſa repetit ſtructura virium, ſeu ſpirituum animalium in cerebro. En verba S. Doctoris loc. cit. *Manifeſtum eſt autem quod cerebrum humidiſſimum eſt omnium partium corporis ut Ariſt. dicit* (*lib. de Somn. & Vigil. cap.* 5.) *& ideo maxime ſubjicitur operationi lunæ: quæ ex ſui proprietate habet movere humorem.* IN CEREBRO AUTEM PERFICIUNTUR VIRES ANIMALES. *Et ideo dæmones ſecundum certa augmenta lunæ perturbant hominis phantaſiam, quando conſiderant cerebrum ad hoc eſſe diſpoſitum*. Eodemque facit quod & in cerebro locat cum æſtimativam naturalem brutorum, tum cogitativam hominis 22. *q*.78. *art*. 4. *corp*. *Quæ in aliis animalibus dicitur æſtimativa naturalis, in homine dicitur cogitativa: quæ per collationem quandam hujuſmodi intentiones* (noxiorum nimirum aut convenientium diſcretivas) *adinvenit: unde etiam dicitur ratio particularis: cui medici aſſignant determinatum organum, ſcilicet mediam partem capitis*.

& amor impreſſiones agit in corde ſecundum motum formalem appetitus ſenſitivi, non eæ primitus exiſtunt ex corde, ſed ſuam repetunt originem a ſenſitivis viribus apprehenſivæ potentiæ. *Nam appetibile non movet appetitum, niſi in quantum eſt apprehenſum*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.* 80. *art.* 2. *ad* 1.; *& ſic corporis ſenſus pertinent ad ſenſualitatem quaſi præambuli*, ut addit *q.* 81. *art.* 1. *ad* 1. (*a*). Hæc autem prævia ſenſuum operatio tam intima, quam extima, non alibi magis exeritur, quam in capite, *quia in capite vigent omnes ſenſus, & interiores & exteriores, cum in cæteris membris ſit ſolus tactus*, ut ait S. Thomas 3. *p. q.* 8. *art.* 1. *corp.* & rurſus paulo poſt *Virtus*, inquit, *& motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in ſuis actibus, eſt a capite propter vim ſenſitivam, & motivam ibi dominantem; &* 1. 2. *q.*84. *art.*3. *in* 2. *arg. Caput habet quemdam ordinem ad alia membra, in quantum a capite in omnia membra diffunditur quodammodo ſenſus, & motus*. Et addit *in corp. Caput enim proprie quidem eſt quoddam membrum animalis, quod eſt principium, & directivum totius animalis*.

Si demum ſermo ſit de dolore, & amore intellectivo, quatenus nempe ad virtutem pertinent, cum moralem, tum theologicam, planum eſt quod omnem ſuperant capacitatem membrorum, non tam propriam, qua caret per ſe etiam appetitus ſenſitivus, ſed & participatam, ad quam, dum

(a) Quod ſi nihilominus objiceretur, operationem cordis, in eo quod præbet cogitativæ miniſterium, præviam eſſe, non ſuccedaneam operationi ſenſuum: *De Corde enim exeunt cogitationes malæ*, ut dicitur *Matth.* 15. in promptu eſſet S. Thomæ reſponſio *ſuppl. q.* 32. *art.* 6. *ad* 1. ubi ait ad hunc locum *quod cogitatio a Corde non exit niſi per aliquam imaginationem, quæ eſt motus a ſenſu factus, ut dicitur in ſecundo de anima. Et ideo cor non eſt radix cogitationis, ſed organa ſenſuum: niſi quatenus cor eſt principium totius corporis; ſed hoc principium eſt radix remota*. Nec alio ſane reſpexit, quam ad hanc radicem remotam, quatenus nempe, pleriſque licet recentioribus philoſophis refragantibus, cor eſt principium totius corporis, quum inquit S. Doctor *Opuſc. de dilig. Deo cap.* 19. *Cor ergo quod eſt originale domicilium vitæ naturalis, excitatur præcepto, ut ſuo modo cooperetur ad eliciendum actum vitæ gratuitæ*. Id enim non excludit præviam cooperationem ſenſuum, interjectumque, de quo agimus, miniſterium capitis, per efformationem ſpirituum animalium, cogitativæ, & appetitivæ famulantium, in cerebro; ſed ad meram ſpectat manifeſtationem vitæ naturalis, quæ deprehendi primum dicenda ſit ex motu cordis, ut ſtatim declarat iis verbis. *Et ideo congrue primi mandati actio ab ipſo, & per ipſum debet ſenſibilis fieri*.

dum unus iſte appetitus provehitur, illa provehi non poſſunt. Nam ut ait S. Thomas 1. 2. *q.* 93. *art.* 5. *ad* 2. *Membra corporis humani moventur ad imperium rationis, non tamen participant rationem, quia non habent aliquam apprehenſionem ordinatam ad rationem = Et ideo totus motus corporis refertur ad animam: & propter hoc in corpore non eſt virtus, ſed ſolum in anima*, ut præmittit *q.* 56. *art.* 4. *ad* 3. Unde & quod dicitur *in Pſal.* 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: ſic explicat ſupra *q.* 24. *art.* 3. *corp. ut cor accipiamus pro appetitu intellectivo, carnem autem pro appetitu ſenſitivo*. Tam proinde repugnat, quod Cor Chriſti ſuccenſum dicatur amore charitatis, quæ toto corde diligit Deum, quam quod caput ejus repletum dicatur Spiritu Sapientiæ, quæ tota mente ſapidam capit notitiam Dei.

Has tamen Cordi Jeſu chimæras appingunt Adverſarii, ne proponi nudum videatur, neve coli ſignificetur cum noxia diviſione totius. Abutentes enim metaphorica Cordis voce, qua facile per ambages fieri poteſt, ne in ea ita ſentiatur diviſio, ſicut ſentitur in voce capitis, utrumque cor & phyſicum, & myſticum huic cultui commiſcent, & compoſitione facta ſymbolorum cum rebus, per *æquivocationem* nominis ſagaciter perveſtigata, ſuas propinant imaginationes incautis, ſuoſque venditant aphoriſmos de Corde Jeſu; quod ſcilicet prima fuerit origo vitæ Chriſti; quod triſte fuerit uſque ad mortem, ſicut Anima Chriſti (*a*); quod communem habuerit cum ea, repugnante licet Apoſtolo *ad Epheſ.* 3. *ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*; quod demum, uno verbo, cor efferendum, celebrandumque ſit velut alter Chriſtus, hoc eſt idem cum Chriſto, imo & *totum* & *totus* Chriſtus, cum reſpectiva communicatione idiomatum utriuſque naturæ, prout & in ipſo Chriſto.

CA-

(a) *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, de ſe inquit Chriſtus Matth. 26. 38. Sed ſi quod animæ tribuitur, *Cordicolæ* noſtri transferendum putant ad *Cor*, id efficere non alia de cauſa poterunt, niſi quia vel cum plurimis veterum animam in corde collocant, vel cum eorum nonnullis in tanto errore verſantur, ut cor ipſum hominis animam eſſe exiſtiment. An illud teneant, ne cio, ſed alterum illud erroris portentum, nunquam in mentem eis venire poſſe opinor.

CAPUT XXXII.

Exagitatur peculiaris quædam propoſitio, qua Cordi Jeſu proprietas adſcribitur filiationis æternæ. Improba hac loquendi licentia veritatem offendit Incarnationis, & aliud affine Incarnationi myſterium, hoc eſt maternitatem divinam B. Virginis.

NE cuiquam fortaſſe videar exageratione uti ad creandam invidiam adverſanti opinioni Patronorum cordis carnalis, mea intereſſe puto vel unum proferre teſtimonium ex eorum ſcriptis decerptum, quod erit inſtar omnium, momentoque ſuo omnem a me propulſabit ſuſpicionem injuriæ; & vincet etiam expectationem legentium. In chartula quadam preces exhibente ad Cor Jeſu, typis tamen furtivis impreſſa ſine Auctore, ſine loco, ſine tempore, ſine ſuperiorum nutu, quæ forte fortuna, dum hæc ſcribo, pervenit ad manus meas, aperte ſupponitur, quod Cor illud nihilo ſecius, ac integer Chriſtus, prærogativa, & proprietate polleat filiationis naturalis relate ad Deum Patrem. En genuinam orationis formulam, ut ibi extat, italicis hiſce verbis conceptam. *Oh divin Cuore, intendo rendervi quegl' atti d' adorazione, d' amore, di gloria, che Voi rendete al voſtro Eterno Padre.* Hæc ſane verba nec gloſſa indigent, nec excuſationem admittunt. Juverit tamen, ut arbitror, his pauliſper inſiſtere; neque enim ſolo aut joco, aut riſu excipienda, ſed digna ſunt etiam ſeria animadverſione atque cenſura Suo namque conſpectu Propoſitio hæc contradicit Apoſtolo *ad Rom.* 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* Nam ut recte explicat S. Thomas 3. *p. q.* 25. *art.* 1. *corp. Cum dixiſſet Apoſtolus. Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem: ſubjunxit: Qui præde-*

prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute: ut daret intelligere, quod ſecundum hoc, quod eſt factus ex ſemine David ſecundum carnem, eſt prædeſtinatus Filius Dei in virtute. Et S. Auguſtinus *lib. de Prædeſtinat. Sanctor. cap.* 15. *Prædeſtinatus eſt*, inquit, *Jeſus: ut qui futurus erat ſecundum carnem Filius David, eſſet tamen in virtute Filius Dei.* Unde patet tantum abeſſe, ut Cor Filii hominis dici queat Filius Dei, quantum abeſt, ut Cor Filii Dei dici poſſit Filius hominis. Verbum enim non Cor, ſed caro factum eſt ut dicitur *Joan.* 1. quod hic idem ſonat ac (*a*) homo, ut ex aliis Scripturæ locis concors probat Sanctorum Patrum intelligentia, juxta quam S. Thomas hæc habet ad eum locum *in catena* cum S. Auguſtino. *Sic itaque dictum eſt. Verbum caro factum eſt: ac ſi diceret. Verbum homo factum eſt.* Et paulo poſt cum S. Theophilo *Addiſcamus ergo per hoc quod dicitur. Verbum caro factum eſt: quia ipſum Verbum eſt homo, & Filius Dei exiſtens, factus eſt Filius Mulieris, quæ principaliter Dei Genitrix nuncupatur, tamquam Deum in carne genuerit.* Ideoque ſuppoſitia illa filiatio cordis ipſa ſui vi negocium faceſſit Incarnationis myſterio, ut hæreticos arguens, qui carni ſtricte adhærebant, obſervat S. Auguſtinus *lib. de Agone Chriſtiano cap.* 21. *Non eos*, inquit, *audiamus, qui ſolum humanum corpus dicunt eſſe ſuſceptum a Verbo Dei, & ſic audiunt quod dictum*

(a) Nec dici poteſt etiam Cordis nomen in præmiſſa prece vice hominis fungi. Diſpar enim eſt utrinque ratio. Caro enim totum exhibet corpus, unde hominem adſpectabilem facit, ut ad hunc locum *Joan.*1. *Et Verbum Caro factum eſt*, obſervat S. Thomas 3.*p. q.*5. *art.*3. *ad* 1. *Ideo autem totus homo per carnem ſignificatur: quia ut dicitur in auctoritate inducta, per carnem Filius Dei viſibilis apparuit. Unde ſubditur: & vidimus gloriam ejus.* Cor vero contra, quod peculiare eſt corporis membrum, & quidem intra clauſum; tam impar eſt ut ſtet, ſicut caro, pro homine, quam ut carnis inſtar, totum ingerat ſenſibus corpus hominis, ut apte differit Card. de Lugo *de Incarnat. diſp.*14. *ſect.*4. *n.*55. ubi *Quod homines non loquuntur de parte aliqua, perinde ac ſi eſſet totum, niſi illa ſit pars principalis. Nam licet ratione corporis dicamus, hic jacere Petrum, ſi tamen hic eſſet ſola manus, vel pes, imo caput Petri, non diceremus hic jacere Petrum, ſed partem Petri.... Dicitur quidem homo eſſe in cælo ratione animæ, quæ eſt pars principalior, dicitur etiam eſſe in ſepulchro ratione corporis, quod licet non ſit pars nobilior, eſt tamen pars magis nota ſenſibus, & quæ ſecundum ſpeciem externam magis repræſentat hominem; Non tamen dicetur homo eſſe ubi eſt ſanguis, vel manus, aut pes illius, quia ſunt partes minus nobiles, & quæ ſecundum ſpeciem externam non repræſentant hominem.... De Verbo autem per communicationem idiomatum ea ſola dici debent, quæ dicerentur de homine illo.*

ctum eſt : Verbum caro factum eſt , ut negent illum hominem vel animam , vel aliquid hominis habuiſse , niſi carnem ſolam . Et optime comprobat S. Thomas 3. *p. q.* 3. *art.* 7. *ad* 3. *Filius enim Dei eſt ſua Deitas , ſed non eſt ſua humanitas . Et ideo ad hoc quod natura humana aſſumatur a divina Perſona , requiritur quod divina natura unione perſonali uniatur toti naturæ aſſumptæ, ideſt ſecundum omnes partes ejus .* Ex quo concludit *q.* 5. *art.* 3. *corp.* quod *hæc poſitio eſt contra ipſam Incarnationis veritatem .*

Et cum veritate Incarnationis periclitatur etiam affinis veritas divinæ Materniratis in B. Virgine . Quod ut ſtatim eluceat, animadverto cum S. Thoma 3. *p. q.* 32. *art.* 3. *corp. quod nomina Paternitatis , Maternitatis , & Filiationis generationem conſequuntur . Non tamen quamlibet , ſed proprie generationem viventium , & præcipue animalium . Non enim dicimus , quod ignis generatus ſit Filius ignis generantis , niſi forte ſecundum metaphoram . Sed hoc ſolum dicimus in animalibus , quorum generatio eſt magis perfecta . Nec tamen omne quod in animalibus generatur , filiationis accipit nomen : ſed ſolum illud , quod generatur in ſimilitudinem generantis . Unde ſicut Auguſtinus dicit , non dicimus , quod capillus , qui naſcitur ex homine , ſit Filius hominis : nec etiam dicimus , quod homo qui naſcitur , ſit Filius ſeminis : quia nec capillus habet ſimilitudinem hominis ; nec homo qui naſcitur ex ſemine , habet ſimilitudinem ſeminis , ſed hominis generantis .* Cor autem Jeſu non habet,nec habere poteſt,ſimilitudinem relate ad Virginem generantem. Non eſt enim niſi pars partis, hoc eſt unum ex corporis membris , quod unionem exigit aliarum partium , animæque rationalis , ut ad ſpeciem pertingat naturæ humanæ . *Caro enim , & cæteræ partes hominis per animam ſpeciem ſortiuntur* , ut ait S. Doctor 3. *p. q.* 5. *art.* 3. *corp.* Unde cor ne remote quidem ſufficit ad fundandam per ſe relationem Maternitatis in B. Virgine , ut cohærenter ad doctrinam jam ante traditam, & de ipſa loquens Matre Dei, reſpondit S. Thomas 3. *p. q.* 35. *art.* 3. *ad* 1. Ait enim *quod ſicut ſupra dictum eſt , paternitas , ſive maternitas , & filiatio non competunt in qua-*

quacumque generatione, ſed in ſola generatione viventium. Et ideo ſi aliqua inanimata ex aliqua materia fiunt, non propter hoc conſequitur in eis relatio maternitatis, & filiationis: ſed ſolum in generatione viventium, quæ proprie nativitas dicitur. Et plenius *1. p. q. 27. art. 2. corp. Ad cujus*, inquit, *evidentiam ſciendum eſt, quod nomine generationis dupliciter utimur. Uno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia: & ſic generatio nihil aliud eſt, quam mutatio de non eſſe ad eſſe. Alio modo proprie in viventibus: & ſic generatio ſignificat originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto: & hæc proprie dicitur Nativitas. Non tamen omne hujuſmodi dicitur genitum: ſed proprie quod procedit ſecundum rationem ſimilitudinis. Unde pilus, vel capillus non habet rationem geniti, & filii: ſed ſolum quod procedit ſecundum rationem ſimilitudinis non cujuſcumque. Nam vermes, qui generantur (a) in animalibus, non habent rationem generationis, & filiationis, licet ſit ſimilitudo ſecundum genus: ſed requiritur ad rationem talis generationis, quod procedat ſecundum rationem ſimilitudinis in natura ejuſdem ſpeciei: ſicut homo procedit ab homine, & equus ab equo.*

CAPUT XXXIII.

Tertium exponitur abſurdiſſimum coſectarium, quod ex precibus ad Cor Chriſti tamquam Dei Filium directis infertur. Subjectum filiationis non eſt natura, ſed Perſona. Cor proprie ſumptum non poteſt ſtare pro Perſona, ſed myſtice tantum, ac figurate acceptum.

Quod ſi nihilominus etiam citra rationem ſimilitudinis in natura ejuſdem ſpeciei, Patroni cordis carnalis, illud præterea velint, ut B. Virgo Mater quoque dici poſſit cordis Jeſu; id enim non obſcure indicare velle videntur in po-

P 2 ſtre-

(a) Veterum Philoſophorum opinio de generatione ex putri, ad quam alludere videtur S. Doctor, recentiorum experimentis antiquata eſt.

Digitized by Google

ſtremis verbis dictarum precum, ubi ſic eam alloquuntur: *Ah cariſſima Madre, un movimento, un ſoſpiro ſolo del voſtro amabiliſſimo cuore, verſo quello di Gesù può renderci appieno conſolati; deh non ce lo negate per quanto vi ſtimate obbligata ALL' ISTESSO DIVIN CUORE, E AMORE FILIALE, che ebbe, ed avrà ſempre per voi*: noverint oportet, quid agant. Sic enim anſam, & cauſam præbent, ut hinc deterrime ac pernicioſiſſime ſubinferatur, æqua lege cor Jeſu pronunciari poſſe etiam Filium Spiritus Sancti: quod novi erroris materiam ſubminiſtraret cum gravi offenſione, & horrore piarum aurium. Vis autem & connexio tam improbæ ac damnoſæ illationis perſpicua eſt. Nam ſi maternitati Virginis reſpectu cordis Jeſu nil obeſſe putetur defectus ſimilitudinis in natura ejuſdem ſpeciei, nihil pariter obeſſe poterit paternitati Spiritus Sancti tam reſpectu cordis, quam reſpectu totius Chriſti. Tota namque diſcriminis ratio ſtat in ſimilitudine naturæ, quæ intercedit Chriſtum inter ac Virginem, & in diſſimilitudine ejuſdem naturæ, quæ eſt inter Chriſtum ipſum, & Spiritum Sanctum, ut opportune diſtinguit S. Thomas 3. *p. q.*32. *art.*3. *ad* 1., ubi ait, *quod Chriſtus conceptus eſt de Maria Virgine materiam miniſtrante in ſimilitudinem ſpeciei: & ideo dicitur Filius ejus. Chriſtus autem ſecundum quod homo, conceptus eſt de Spiritu Sancto, ſicut de activo principio: non tamen ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ſicut homo naſcitur de Patre ſuo: & ideo Chriſtus non dicitur Filius Spiritus Sancti*.

Jam vero ſi, ut Virgo dicatur Mater cordis Chriſti, ſatis eſt ſubminiſtratio materiæ *cordis*, nec requiritur, ut iſta ſubminiſtratio fiat in ſimilitudinem humanæ naturæ, cujus eſt Mater, quid vetabit Spiritum Sanctum perinde dicere Patrem cordis Jeſu? Satis enim erit ſi Spiritus Sanctus ſubminiſtraverit tamquam *principium activum* eandem materiem cordis Jeſu, etiamſi hanc ipſam non ſubminiſtraverit in ſimilitudinem divinæ naturæ, quæ eſt in Spiritu Sancto. Hæc autem abſurda refluunt, & redundant in primam illam Propoſitionem, qua cordi

di

Digitized by Google

di Jeſu communicatur Filiatio Verbi relate ad Patrem Æternum; quæ tamen Filiatio non modo non uni Cordi, ſed ne toti quidem naturæ aſſumptæ communicabilis eſt, *quia ſubjectum filiationis non eſt natura, aut pars naturæ, ſed ſolum perſona, vel hypoſtaſis*, ut ait S. Thomas *3. p. q.35. art.5. corp.* quod mox etiam repetit *ad* 1. *Natura autem humana nullo modo poteſt eſſe ſubjectum filiationis, quia hæc relatio directe reſpicit perſonam*, & ſupra *q.23. art.4. corp.* ubi *quod filiatio proprie convenit hypoſtaſi vel perſonæ, non autem naturæ. Unde & in prima parte dictum eſt, quod filiatio eſt proprietas perſonalis*. Eoque fit, ut quemadmodum Chriſtus dicitur & eſt Deiparæ Filius, non per relationem filiationis in eo realiter exiſtentem, cujus non eſt capax perſona æterna, ſed per relationem rationis tantum, utpote *cointellectam* relationi maternitatis ad ipſum, quæ realiter exiſtit in B. Virgine, ut bene explicat S. Thomas loco citato *3. p. q.35. art.5. corp.* & *ad* 1. 2. & 3., ſic etiam prædeſtinatus fuerit, & evectus ad gloriam Unigeniti a Patre, non prout ſubſiſtit ab æterno in natura divina, ſed prout ſubſiſtit ex tempore in natura humana. *Quamvis enim ſit naturale illi perſonæ ſecundum ſe conſideratæ, quod ſit Filius Dei in virtute: non tamen eſt ei naturale ſecundum humanam naturam, ſecundum quam hoc ſibi convenit per gratiam unionis*, ut ait S. Thomas *3. p. q.25. art.1. ad* 2. additque *ad* 3. quod *illa anteceſſio, quam importat hoc participium: prædeſtinatus, non refertur ad perſonam ſecundum ſe ipſam, ſed ratione humanæ naturæ: quia ſcilicet perſona illa, etſi ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit ſemper, quod ſubſiſtens in natura humana fuerit Filius Dei*.

Aſſurgent hic, opinor, Patroni Cordis carnalis, querenturque de me, quod rigide nimis filiationem illam Cordis ad vivum reſecem, & non leni potius interpretatione ad ſanum redigam ſenſum, quem præſto eſſe jactabunt ex vulgatiſſimis exemplis colloquiorum, quæ vel iidem ipſi profani amatores inter ſe invicem habere conſueverunt. Quis enim illa ignorat: *cor meum*: *vita mea*: *anima mea*: *mel meum*, & alia id genus plura

tener-

tenerrimæ benevolentiæ indicia, quæ voces ſunt, inquient,in ore amantium familiariſſimæ ? Simili fere modo Deum alloquuntur, eumque ſibi demulcent ii, quos purus adurit ſacri amoris æſtus. Quid mirum ? Eccui enim non notum eſt, quod eo languens amore cantabat David *Pſal.72. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum* ? Et peculiarius quod hic quæritur, alio loco expreſſit 2. *Reg.* 7. *Invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oraret te* : quem locum Cordi Jeſu nominatim aptat *Sermo de Paſſione Domini inter Opera S. Bernardi Tom.2.* Sed non eſt cur Adverſariis reſpondeam. Reſpondent enim ipſi pro me. Nam ſi, dum blandulas haſce voces: *cor meum* : *corculum meum* : *meus molliſſimus caſeus*, aut in ore ſtultiloqui vulgi audimus, aut in Plauti comœdiis legimus, vellem ego eas interpretari de corde carnis, quod membrum corporis eſt, nonne me ſtatim exſibilarent tamquam ineptum, ridiculum, & plane dementem hominem a communi ſenſu inſaniſſime aberrantem ? In hiſce enim blandiloquentium hominum appellationibus, cor metaphorice ſumitur, & perſonam figurate deſignat amatam, non vero phyſicam, & proprie ſic dictam naturam humani cordis.

Sed nunc vehementer doleo, quod tam vanis, parumque etiam pudicis ineptiis, ſermonem immiſcere cogar de puriſſimo, eoque ſacratiſſimo Corde Chriſti Jeſu. Ad hoc enim, uti pars eſt phyſica corporis, interque illius viſcera numeratur, preces Cordicolæ noſtri fundi, ac dirigi volunt. Hoc affantur ut quid per ſe ſubſiſtens, ut terminum novæ cujuſdam temporariæ filiationis,ut Filium denique Æterni Patris (*a*). Eoque fit,ut quando ii Chri-

(a) Quoties in memoriam mihi venis ea precationis formula, qua *cor carneum Chriſti ut Filius Dei Patris* & exprimitur, & oratur, ſatis mirari nequeo imprudentiam *Cordicolarum*, qui & ante & poſt *Berruyerii* doctrinam ab Apoſtolica Sede damnatam, non modo ſimiles, ſed & longe deteriores loquendi modos uſurpare, & in vulgus ſpargere non erubuerint. Innumera ſunt loca, in quibus Berruyerius *humanam naturam Chriſti* unitam Verbo, & ab eo in genere ſubſiſtendi completam, Filium Dei Patris appellat. Ex his pauca ſeligam ex Judicio Sacr. Facult. Pariſ. Propoſ. 13. p. 1. ſect. 1. = *Humanitati Chriſti ob unionem cum Verbo in unitatem Perſonæ contigit in concreto eſſe Filium Dei*. Prop. 20. ſect. 2. *Secundum veram & germanam generationis, filiationiſque rationem, in propoſitione, cujus ſubjectum, & prædicatum in recto eſt Sanctiſſima Chriſti Humanitas completa Verbo in genere ſubſiſtendi Jeſus Chriſtus Domi-*

Digitized by Google

ii Chriſtum appellant *Cor*, non *Cor* metaphorice, & figurate ſumptum intelligant, quatenus ſignificat totum Chriſtum eſſe *voluptatem*, *delicium*, & *amorem* amantium Fidelium; quemadmodum vel in eo Eccleſiæ hymno cantatur: *Jeſu voluptas cordium, & caſta lux amantium*, vel in ſimilibus locutionibus a Pa-

Dominus noſter vere dici poteſt, & debet naturalis Filius Dei; &c. Prop. 24. *Recte, ſed per appropriationem, ut ajunt, Deus Pater, ſive prima Perſona dicitur Pater Jeſu Chriſti, Hominis Dei, & Dei Filii, quemadmodum recte dicimus: Credo in Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ, quia actio uniens, ſicut & actio creans, actio eſt omnipotentiæ, cujus attributi actiones Patri, ſive primæ Perſonæ per appropriationem tribuuntur. Et ſic frequenter Jeſus Chriſtus Homo-Deus, Dei Filius, in toto Evangelio vocem hanc (Pater) uſurpat.* Scilicet, ut notiſſimum eſt, Berruyerius duplicem filiationem in Chriſto docebat, *æternam* unam, *temporalem* alteram, ſed utramque *naturalem*, qua in re, auctore Petavio, error ſitus eſt contra Fidem Catholicam multo gravior, quam qui a Felice, & Elipando tradebatur. Ii enim filiationem alteram *adoptivam* ſtatuebant. Sic autem Sanctiſſimam Humanitatem conjunctam Verbo, & ab eo completam in genere ſubſiſtendi *Jeſum Chriſtum, Dominum, & Salvatorem* noſtrum eſſe, eamque *Filium Dei naturalem* recte dici poſſe, atque etiam debere affirmabat: & quamquam alterum hunc temporalem naturalemque Filium factum diceret Deo uni ſubſiſtenti in tribus divinis Perſonis, eum tamen *Æterni Patris* tamquam *primæ Perſonæ SS.* Trinitatis *per operationem mentis*, quæ *appropriatio* dicitur recte *Filium* appellari ex ore ipſius Chriſti in toto Evangelio decernebat. Quam juſtis de cauſis hæc aliaque id genus errorum portenta tamquam *Blaſphema*, *Neſtoriana*, *Hæretica* damnarint, aliiſque præterea graviſſimis, teterrimiſque notis affecerint Pariſienſes Doctores, meum non eſt decernere.

At certe longe pejus quam Berruyerius errant *Cordicolæ* noſtri, ſi, quod ille toti humanitati, iſti uni tribuunt *cordi* Chriſti, & hoc ipſum appellant *Dei*, atque *Æterni Patris Filium*, quemadmodum appellaſſe videntur non in illa tantum precationis formula, quam ſuperiori capite caſtigandam ſuſcepimus, ſed & in aliis opuſculis, atque in eo præſertim, qui inſcribitur = *Divozione al ſacro Cuore di noſtro Signor Gesù Criſto*, in libros tres diſtributo. Audiamus quæſo quid inter cætera de *ſacro Corde* Chriſti p. 17. legatur. *Queſto ſacro Cuore, dice un gran Servo di Dio, è la ſede di tutte le virtù, la ſorgente di tutte le benedizioni, e 'l ricovero di tutte le anime ſante. Le virtù principali, che ſi poſſono ancora onorare in Lui*, ideſt in illo Corde, *ſono primieramente un' amore ardentiſſimo di* DIO SUO PADRE *unito ad un riſpetto profondiſſimo, ed alla maggiore umiltà, che ſia mai ſtata. In ſecondo luogo una pazienza infinita ne' mali, un dolore ecceſſivo per li peccati, che s' è addoſſati, la confidenza d' un figliuolo teneriſſimo unito alla confuſione d' un grandiſſimo peccatore. In terzo luogo una compaſſione viviſſima per le noſtre miſerie ... una conformità sì perfetta alla volontà di Dio, &c.* Quis hic non videat in recto de uno *Corde* Chriſti prædicari, quæ de *tota humanitate* in Berruyerii ſententia prædicantur? Quis non intelligat tantum *cor carneum Chriſti* apertiſſime appellari *Filium Dei Patris ſui*? Pag. 227. Eadem fere repetuntur. *Queſta offerta, dic' egli* (il Padre de la Colombiere) *ſi fa per onorare queſto Divin Cuore ..... Le principali virtù, che pretendiamo d' onorare in Lui ſono primieramente un' amore ardentiſſimo di Dio ſuo Padre .....* & poſt multa: *Tocca a voi far tutto, Cuor divino di Gesù Criſto, Voi ſolo avrete tutta la gloria della mia ſantificazione.* Non Verbum in humana natura, perque eam agens tam divina operatur, ſed *unum Cor* Chriſti divinum. Sed nimis longum eſſet alia id genus multa ſingillatim referre; ea per ſeſe legere & expendere poterit quiſquis tam abſona, peregrina, & auribus Chriſtianis ingrata cognoſcere cupiat.

a Patribus intelligitur; ſed phyſice *Cor* accipiant, ut *muſculus* eſt ex carne, & fibris conſtans, & ut præcipuum locum tenet inter inteſtina viſcera Corporis Chriſti.

Cor itaque Jeſu, ut recte ſupponere poſſit pro toto, utque de toto recte dicta intelligantur, quæ liberiori calamo de illo ſuo corde ab Adverſariis ſcribuntur non debet, neque etiam poteſt ullo pacto ſumi pro corde carnis, ſed ſumatur oportet in morem ſymboli pro corde metaphorico, quo ſenſu ſumitur cum alibi ſæpe, tum vero maxime *Job 7. Quid eſt homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* & *Pſal. 39. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Cæterum, ut hoc etiam obiter moneam, haud me legiſſe memini in Sanctis Scripturis, quod uſpiam divinus Animæ ſponſus in ea deſignatus fuerit objecta voce: *cordis ſui*. Nam quod attinet ad loca præmiſſa. S. David non dixit in primo *Deus cor meum*, ſed *Deus*, ait, *cordis mei*: & quod addit *pars mea Deus*, non facit relationem perſonalem, qua Deum repræſentare velit quaſi cor ſuum, ſed participationem appellat ſummi Boni, quod eſt ipſe Deus, ſecundum quod alibi dixit *Pſal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ*. In altero vero ſeſe paratum exhibet ad orandum; nam ut probe notat S. Thomas 22. *q. 83. art. 3. arg. Sed contra, etiam ſancti viri orando, quandoque evagationem mentis patiuntur ſecundum illud Pſal. 39. Cor meum dereliquit me*. Unde quod ait. *Invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oraret te*: perinde eſt ac ſi dixiſſet, quod alias ingeminavit *Pſal. 107. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*. Quævis enim oratio ad interiorem hominem maxime ſpectat. Unde ait *Pſal. 29. Tibi dixit cor meum*: & propius ad rem *Pſalm. 9. Præparationem cordis eorum* (a) *audivit auris tua*. CA-

(a) Non quod homo ſuis ſe compareet viribus ad orandum, ſed quia voluntas ejus præparatur a Domino ſuavi ac intima gratiæ ſuæ efficacitate; in quo ſaluberrimo monito, imo vero Catholico dogmate perpetui ſunt SS. Auguſtinus, & Thomas Præceptores noſtri. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate* = *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis*: juxta notos ac tritos Apoſtoli Canones *ad Philippen.* 2. & 2. *ad Corinth* 3. Deque ipſa Orationis gratia exſtat inſuper in ſacris Litteris teſtimonium apertiſſimum *Zacchar.* 12. *Effundam ſuper domum David, & habitatores Jeruſalem ſpiritum gra-*

CAPUT XXXIV.

Chriſtus dici non poteſt de carne Dominica, niſi prout unita eſt cum Anima, & Verbo Dei. Pars carnis non conſtituit individuum cum Anima. Tota caro cum Anima, nedum caro animata, ſed eſt ſimul animal, pars vero non animal, ſed tantum animata, & in rationali natura non homo, ſed tantum humana. Corpus Chriſti, non Cor Chriſti, habet ab anima quod ſit Filius hominis. Filius autem hominis, hoc eſt Chriſti Corpus, & Anima, non Cor ejus animatum, habet a Verbo, prout ſubſiſtit in natura creata, quod ſit Filius Dei.

PErgent, ut ego video, Adverſarii noſtri eandem inſiſtere viam, illudque acrius urgere non deſinent, quôd Cor Chriſti proprie ſumptum, dici recte poſſit Filius Dei, ratione unionis hypoſtaticæ cum Verbo, & caro ejus proprie ſumpta prædicationem ſuſcipiat Chriſti, qui verus eſt Filius Dei, juxta beatam, & divinitus inſpiratam S.Petri confeſſionem *Matth.*16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Neque enim major eſt ratio, cur caro ſine anima dicatur Chriſtus ob hypoſtaticam unionem carnis cum Verbo, & non idem dicatur de Corde (*a*) ſine

Q his,

gratiæ, *&* *precum*. De qua gratia precum, ſemel ac iterum Paulus ait *ad Rom.* 8. quod *Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: quod *ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis*: id eſt & nos, & Sanctos poſtulare facit, ut duo citati, cæterique interpretantur Patres & Doctores; quibus præivit ipſemet divinæ gratiæ Doctor Paulus, inquiens ibidem. *Similiter autem & ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus* Et alibi, 1. *ad Corinth.* 12. *Nemo*, ait, *poteſt dicere*, *Dominus Jeſus*, *niſi in Spiritu Sancto*.

(a) Indignum plane commentum, quod vel ad particulas quaſvis minutiſſimas Corporis Chriſti extendi pari omnino jure queat. Si *Cor* ratione unionis hypoſtaticæ ſumi poteſt pro toto Chriſto, & Filius Dei appellari, cur non & minimus ſiniſtri pedis digitus, cur non & ipſius digiti unguiculus ob indiſſolubile vinculum cum divina hypoſtaſi Verbi appellabitur totus Chriſtus, idemque ipſe Dei Filius? An anſam dare volumus imperitæ plebis licentiæ, ut novum poſthac *Digitocolarum*, aut etiam *Unguicolarum* ordinem exordiantur?

his, quæ ſunt corporis reliqua, dum æque nihilominus viget unio cordis cum Perſona Verbi? Quod autem Chriſtus, ac proinde Filius Dei, prædicetur de carne Dominica, præclare docet, ut ipſi putant, S. Auguſtinus *Tract.* 47. *in Joan. Si caro*, inquit, *animam poſuit, quomodo Chriſtus poſuit? Numquid caro Chriſtus? Ita plane: Et Caro Chriſtus, & Anima Chriſtus, & Verbum Chriſtus*. Facile tamen reſpondetur, argumentationem hanc falſo niti ſuppoſito, nec inde legitime duci ad propoſitum. Suppoſiti falſitas in eo ſtat, quod verba S. Auguſtini detorquentur a ſenſu collectivo, in quo, ut antea obſervavimus, poſita ſunt, ad ſenſum diſtributivum, cui repugnant. Inquiens enim S. Pater: *Numquid Caro Chriſtus? Ita plane*: non id certe dixit de carne ſeorſum ſumpta, ſed juncta cum Anima, & Verbo, ut illius contextum recitando obſervat S. Thomas *in Catena Joan.* 10. *Quæramus autem, quomodo Dominus animam ſuam ponit. Chriſtus enim eſt Verbum, & Homo, ideſt VERBUM, ANIMA, ET CARO*. Et rurſus 3. *p. q.* 50. *art.* 3. *ad* 1., ubi *quod Auguſtinus exponens illud verbum Joannis, inquirit, cum Chriſtus ſit VERBUM, ANIMA, ET CARO, utrum ex eo, quod eſt Verbum, ponat animam, an ex eo, quod eſt Anima, an iterum ex eo, quod eſt Caro?* Et vero citra triplicem illam colligationem Carnis, Animæ, & Verbi, nullo modo dici poteſt, quod Caro ſit Chriſtus. Sicut enim, ſi Verbum ſeponas, hypoſtaticam deſtruis unionem carnis ad ipſum, ſic & eam deſtruis, ſi ſeponis animam actu, vel habitu. Nam ut probe diſtinguit S. Thomas 3. *p. q.* 6. *art.* 4. *ad* 3. *Verbum Dei per prius intelligitur unitum carni, quam Anima per modum communem, quo eſt in cæteris creaturis per eſſentiam, potentiam, & præſentiam. Prius tamen dico, non tempore, ſed natura. Prius enim intelligitur Caro, ut quoddam ens, quod a Verbo habet, quam ut animata, quod habet ab anima. Sed unione perſonali prius ſecundum intellectum oportet, quod Caro uniatur Animæ, quam Verbo: quia ex unione ad animam habet, quod ſit unibilis Verbo in Perſona: præſertim quia Perſona non invenitur niſi in rationali natu-*

natura. Patet igitur, quod S. Auguſtinus non dat ſoli carni, quod ſit Chriſtus, & Filius Dei, ſed ut junctæ per naturam cum Anima, quæ ſpeciem complet humanam, & per gratiam unionis cum natura divina in Perſona Verbi. Quod & S. Leo ſic expreſſit *Epiſt.*11. *Verbum*, *& Caro*, *atque Anima*, *unus Jeſus Chriſtus*, *ac Dei*, *Hominiſque eſt Filius*, & melius ipſemet Auguſtinus *lib.*13. *de Trinit.cap.*17. ubi ait de Filio Dei, ſicut habet S. Thomas 3.*p. q.*1. *art.*1. *corp. quod naturam creatam ſic ſibi conjungit*, *ut una perſona fiat ex tribus*, *ſcilicet Verbo*, *Anima*, *& Carne*.

Sed extraneum Adverſariorum ſuppoſitum nec etiam ducit ad eorum propoſitum. Nam ſi caro quovis modo ſumpta propter ejus unionem cum Verbo dici poſſet Filius Dei (quod tamen ex præmiſſis ne de tota quidem dici poteſt humana natura (*a*), ut ut præter carnem complectatur etiam Animam Chriſti: *Quia eſſe Filium Dei non convenit humanæ naturæ*; *eſt enim hæc falſa*: *Humana natura eſt Filius Dei*, ut arguit S. Thomas 3.*p.q.*24. *art.*1. *ad* 2., & conſonat S. Bonaventura *in* 3. *diſt.*7. *art.*2.*q.*3. *ad* 2.) non inde tamen fas eſſet inferre, quod etiam pars carnis, hoc eſt Chriſti Cor, æque dici poſſet Filius Dei. Caro namque tota ſimul, ideſt corpus organice diſpoſitum, eſt pars eſſentialis tam humani, quam animalis compoſiti, & comparatur ad animam, uti primum ejus adæquatum perfectibile, quod de nulla dici poteſt ſubalternarum partium, ut apte diſtinguit S. Thomas 1.*p. q.*76. *art.*8. *corp. Attendendum eſt*, inquit, *quod quia anima requirit diverſitatem in partibus*,

 non

(a) Ita profecto eſt non ex unius tantum, aut S. Thomæ, aut S. Bonaventuræ judicio, ſed ex totius Catholicæ Eccleſiæ fide, atque doctrina ab omnibus Patribus, & Majoribus noſtris ſemper, & ubique firmiſſime tradita. Hinc propoſitiones *Berruyerii* magno numero habitæ ſunt a Sac. Pariſienſi Facultate tamquam blaſphemæ, hæreticæ, Neſtorianæ, Arianis, & Socinianis faventes; temerariæ, in Chriſtianos calumnioſæ, ſcandaloſæ, aliiſque gravibus, tetriſque notis dignæ. Nam, ut verbis utar ejuſdem Sacræ Facultatis ad prop. x. & xi. p.1. ſect.1 Berruyerius *tota ſua diſſertatione ſecunda ad hoc omnem curam*, *& operam confert*, *ut probet hanc denominationem* Filii Dei *apud Auctores ſacros immediate cadere in humanitatem Chriſti ſanctiſſimam Verbo unitam propter unionem ejus hypoſtaticam cum Verbo*. Sed vide in ſect. 2. *Propoſitiones de Jeſu Chriſto Filio Dei*, a 21. ad 63. aliaſque plures in p.2. laudatæ cenſuræ.

non eodem modo comparatur ad totum, & ad partes, ſed ad totum quidem primo, & per ſe, ſicut ad proprium, & proportionatum perfectibile, ad partes autem per poſterius, ſecundum quod partes habent ordinem ad totum. Ex quo plane ſequitur, quod licet anima tota ſit in qualibet parte, ſicut in toto, uni tamen toti, præter communem qualitatem (in qua ſingulæ communicant partes) quod nempe ſit animatum, præcipuam quoque prærogativam tribuit, ut ſit (a) animal, ad quod nulla partium pertingit, ut optime monſtrat ibidem S. Doctor, ajendo *ad* 3. *Quod animal eſt, quod componitur ex anima, & corpore TOTO, quod eſt primum, & proportionatum ejus perfectibile. Sic autem anima non eſt in parte; unde non oportet, quod pars animalis ſit animal*. Hinc itaque ſtatim intelligitur, quod tota caro non informis, ſed formata, hoc eſt anima rationali perfecta, non ſolum eſt caro humana, (quod unum tamen dici poteſt de unaquaque parte carnis ſimpliciter animata,) ſed eſt ſimul homo; nam ut habetur in Symbolo, quod vulgo tribuitur S. Athanaſio: *Anima rationalis, & caro, unus eſt homo*. Eoque ſenſu, ad demonſtrandum nimirum humanum Chriſti individuum (b), carnis nomine uſus eſt, ut vidimus, Evangeliſta Joannes, dum inquit *cap*.1. *Et Verbum Caro factum eſt*. Sicut igitur Cor Chriſti, quod non eſt tota caro illius individui, dici poteſt cor humanum, ſed non homo, aut Filius hominis, ob ejus unionem cum rationali Chriſti anima; ſic etiam dici poteſt Cor divinum, ſed non Deus, aut Filius Dei, ob ejus unionem cum Perſona Verbi. Hoc enim uni congruit Individuo Chriſti, *quod componitur ex Anima, & Corpore TOTO*, ut ait S. Thomas loc. cit. 1. *p*. *q*.76. *art*.8. *ad* 3. Palmare in id teſtimo-

(a) Nam ut ait S.Th. 1.2. *q*.13.*art*.1.*corp*. *Dicimus animal ex anima & corpore compoſitum eſſe neque vero corpus eſſe ſecundum ſe ipſum, neque animam ſolam, ſed utrumque*, & 3. *p* q 2 *art*.4 *ad* 3. *Animal vero componitur ex anima & corpore, quorum neutrum eſt animal.*

(b) Singularem unamque numero naturam *ab reliquis naturis, proprietatibus certis*, *quas* individuantes *vocant*, *diſtinctam*, humani individui nomine intelligimus cum Petavio, quem conſulas velim in l. 5. de Incarn. cap. v. ubi de eo diſputat, *an ſit* ἄτομον, *ideſt*, *individuum homo ille aſſumtus a Deo*, *ſive natura hominis*, *quæ vulgo humanitas vocatur*, multiſque diſſerit de ſenſu hujus vocis duplici, quorum altero *individuum* de humana natura Chriſti recte dici, altero nullo modo dici poſſe docet.

Digitized by Google

monium attulimus ex Apoſtolo *ad Roman.* 1. Nunc autem addimus alterum, quod recta ducit eodem, & proſtat *Joan.* 1., ubi dicitur: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Gratia enim, & veritas non cadunt in Cor Chriſti quantumvis animatum, & unitum Filio Dei in perſona, ſed in Animam Chriſti, & in totum Chriſtum, prout Filius hominis eſt. Hinc fit, ut quod ratione unionis cum Verbo, & prout Verbum ſubſiſtit in eo, dicitur, & eſt Filius Dei: non ſit ſola caro, minuſque pars aliqua carnis, ſed caro tota, ſimulque animata: non ſola Anima, ſed Anima juncta cum Carne, ſeu totam carnem informans (a) unoque verbo ipſemet Filius Hominis (b), ut dixit Angelus ad Virginem Matrem *Luc.* 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

CA-

(a) Quod recte explicat S. Thomas *3. p. q. 50. art. 3. ad 3.*, ubi ſcribit, *quod Verbum Dei propter unionem humanæ naturæ, non dicitur humana natura: ſed dicitur homo, quod eſt habens humanam naturam: Anima autem & Corpus ſunt partes eſſentiales humanæ naturæ. Unde propter unionem Verbi ad utrumque eorum, non ſequitur, quod Verbum Dei ſit anima, vel corpus, ſed quod ſit habens animam, vel corpus.* Et propterea nec ſequitur, quod propter unionem ejus ad Cor, prædicationem Cordis habeat, ſed ſolum habentis Cor.

(b) Nomen hoc non ſimplicis honoris eſt, ſed individuæ illius naturæ, ſecundum quam idem Filius Dei factus eſt ſimul Filius hominis, ideſt *Adæ*. Berruyerius vero = *Nomen illud*, inquit quæſt. 3., (Filius) *hominis, cum Jeſu Chriſto tribuitur, nomen honoris eſt, quo Jeſus Chriſtus hominum omnium caput, & primogenitus appellatur. Nomen eſt Meſſiæ, quo Chriſtum ſuum deſignandum intelligebant Iſraelitæ, & quod ſibi ille pro jure ſuo vindicaret. Adeoque hæ voces, Meſſias, Chriſtus, Filius hominis, hominum primogenitus, eorumque eo titulo Rex, & Dominus voces ſynonimæ ſunt, & eandem prorſus habent intelligentiam.* Primogenitum vero hominum, Caput, Regem, Dominum, Judicem, adeoque *Filium* illum *hominis, etiam ob ſolos ipſos natales ex Davide*, extitiſſe tradit, ut propterea talis fuerit *vi natalium ſuorum*. Quid de his, aliiſque conjunctis Berruyerii ſententiis cenſuerit Academia Sorbonica, vide in illius Cenſura p. 1. ſect. 4. ad prop. 69. 70. 71. & ſeqq. atro theta confixas.

Sed cur, dicet aliquis, hæc ultro ex Berruyerio profers? Cauſſam hanc teneat. Vereor ne ex eadem officina prodierit nomen *Filii hominis* adhibitum a *Cordicolis* noſtris in eo *Amoris actu*, eujus formulam exhibet citatum opus = *Divozione al Cuor di Gesù* lib. 3. p. 247. *O Cuor amabiliſſimo di Gesù, il quale alle perfezioni divine proprie del Cuor del Figliuolo di Dio, unite le perfezioni proprie del Cuor del Figliuolo dell' Uomo.* Niſi enim nomen *Filii hominis*, hoc in loco uſurpatum, nomen ſit ſimplicis honoris & excellentiæ, quemadmodum Berruyerius putabat, non intelligo, qua demum ratione *cordi carnali*, quod primo loco eſſe dicunt *cor Filii* Dei cum omnibus ſuis attributis, addant *cor alterum* tamquam proprium *Filii hominis*? Quod ſi dicere renuerint, videant, quid agant? Nam vel *duplex cor* carneum, unum Filii Dei, alterum Filii hominis, adeoque duplicis Filii; vel cor unum ex duobus cordibus compoſitum in eodem Chriſto, ni primum illud velint admittere, profitebuntur. Quorum utrumque quam alienum ſit a recta ſentiendi regula, ipſi per ſe facile intelligere poterunt, ſi quod dicunt de *corde*, dictum fingant de *carne*, *de capite*, vel alia quavis corporis Chriſti parte.

CAPUT XXXV.

Periculo plenus eſt piarum imaginationum impetus, niſi intra recta rationis limites coerceatur. Ea quæ ſunt ſpiritus, non poſſunt tribui Cordi carnis, neque per proprietatem, neque per appropriationem. Symbola cordi carnis applicita, dum res ipſa toti inſunt, & ſunt præſentes in toto, ſignificativam fovent diviſionem Cordis a reliquis Chriſti.

SED de his jam ſatis. Neque enim opus eſt pluribus, ut perſpicue deprehendatur, quam ſint incommoda religioni ipſa etiam proborum hominum ingenia, etſi maxime prona, & inclinata ad virtutem, dum ipſius quoque pietatis curriculum ineunt intemperanti potius imaginationis ardore abrepti, quam recta ducti ratione. Hos apte deſcripſiſſe videtur S.Thomas 1. 2. *q.*58. *art.*4. *ad* 3. *Hujuſmodi enim inclinatio quanto eſt perfectior, tanto eſt periculoſior, niſi recta ratio adjungatur, per quam fiat recta electio eorum, quæ conveniunt ad debitum finem: ſicut equus currens, ſi ſit cæcus, tanto fortius impingit & læditur, quanto fortius currit.* Ex quo ſequitur, id genus homines æſtu quidem exultantes ut currant, ſed luminis indigos, ut rationabile videant, a quo deviant, obſequium, *tamquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere*, ut cum Patre loquar Romanæ eloquentiæ *lib.*1. *de Offic. cap.*29. Maxime autem ad id valet, ut hoc ſtricto circumagantur dilemmate. Aut enim credunt Cor Jeſu, de quo tanta fingunt, ſimplex eſſe corporis membrum, aut credunt illud eſſe quid unum per ſe? Si primum credunt, fateantur neceſſe eſt, nonniſi ſolitarium ac nudum ab iis erigi in objectum cultus. Si vero ſecundum, jam negare non poſſunt, quin illud dividant a cæteris partibus Chriſti.

Digitized by Google

ſti. (*a*) Hæc plane vident & ipſi. Ne tamen vel inviti, ſeſe conjici patiantur in alterutrum extremorum, prævenire ſtudent quas oderunt, & inextricabiles norunt, anguſtias. Nituntur itaque conjungere ſimul utrumque antecedens, ut ope primi conſequentias eludant ſecundi, & ope ſecundi conſequentias primi. Sed rem tentant deſperatam, & inutilem. Sub ea namque conjunctione; aut Cor remanet pars corporis? aut abire putatur in quid unum per ſe? Si remanet pars corporis: non poſſunt ei tribui nec per proprietatem, nec per appropriationem, quæ ſunt propria totius, ut reſpectu primi modi docet S. Thomas 22. *q.*58. *art.*2. *corp.* *Actiones autem ſunt ſuppoſitorum, & totorum, non autem, proprie loquendo, partium, & formarum, ſeu potentiarum. Non enim proprie dicitur, quod manus percutiat, ſed homo per manum: neque proprie dicitur, quod calor calefaciat, ſed ignis per calorem* (*b*). Et reſpectu ſecundi proſequitur ibi S. Doctor: *ſecundum tamen ſimilitudinem quamdam hæc dicuntur*, quatenus nempe, ut mox declarat, *ſecundum ſimilitudinem accipiuntur in uno & eodem homine diverſa principia actionum, quaſi diverſa agentia*. Cor autem non eſt homini, nec eſſe poteſt principium eorum, quæ non ſunt carnis propria, ſed ſpiritus; eaque de cauſa quæ ſpiritus ſunt, tam fieri nequeunt propria cordis, quam nec viſus aurium, nec auditus oculorum pro-

(a) Utrumque *Cordicolæ* noſtri ſponte ſua diſerte fatentur, ut non neceſſe ſit argumentis aliunde petitis eos revincere. Audiatur *Auctor* Operis ſemel & iterum laudati ſub hoc titulo = *Divozione al Cuor di Gesù*, l. 2. cap. 1. p. 84. Is enim ſuorum omnium linguam & ſenſus in hæc verba explicat. *In queſto aſpetto io vi preſento il ſacro Cuor di Gesù, anzi Egli ve ne fa un dono nello ſtabilimento della divozione revelata. Non ha potuto donarvelo in altra guiſa, poichè non era conveniente, che Ei lo laſciaſſe* SEPARATO *dal corpo. L' offre però in qualche forma* DIVISO *dalla umanità, volendo che nell' eſercizio di queſta divozione i noſtri penſieri, e gli affetti s' indrizzino al* SOLO CUORE, *e a Lui ſi rendano tutti gli onori; e l' amore*, COME SE REALMENTE FOSSE DAL CORPO DISGIUNTO. Præſtat nihilominus vi etiam argumentationis oſtendere, conſectaria hæc eſſe iſtius *devotionis* omnino neceſſaria. Sed ſi ea cum Berruyeranis theſibus n. 8. & 9. *de adoratione Humanitatis Chriſti* ab Academia Sorbonica proſcriptis comparentur, nullus dubito, quin multo exſecrabiliora æquis omnibus rerum æſtimatoribus videri debeant.

(b) Quod & alibi præclare teſtatur, id eſt 1. *p.* *q.* 3. *art.* 8. *corp.* *Quod autem venit in compoſitionem alicujus, non eſt primo, & per ſe agens, ſed magis compoſitum. Non enim manus agit, ſed homo per manum, & ignis calefacit per calorem*, & infra *q.* 77. *art.* 1. *ad* 3., ubi *quod actio eſt compoſiti ſicut & eſſe. Exiſtentis enim eſt agere.*

proprius fieri poteſt. Quod Adverſariorum auſibus ex diametro opponitur: *ſecundum quod unicuique parti hominis attribuitur quod ei convenit*, ut opportune concludit S. Thomas loco citato, & melius etiam 1. *p. q.* 76. *corp. Licet*, inquit, *actio partis attribuatur toti, ut actio oculi homini, numquam tamen attribuitur alii parti, niſi forte per accidens* (*a*). *Non enim dicimus quod manus videat propter hoc quod oculus videt*. Quare redit ac ſtringit primum illud conſequens, quo ſcilicet convicti fateri neceſſario debeant Adverſarii, ſe erigere in objectum cultus Cor Chriſti ſolitarium, ac nudum.

Sin autem ſub ementita conjunctione præmiſſorum antecedentium, cor abire velint in quid unum per ſe; en clarum imaginationis opus, aut potius monſtrum, quo ex vi ſecundi conſectarii coguntur Cor illud aperte diviſum agnoſcere a cæteris Chriſti partibus. Et vero, ſi fingam quod quis videat per aures, nonne aures aperte divido ab oculis; omneque intercipio, quod propriis ſingulorum ſtat mutuis officiis inter ſenſus ac membra corporis, mirum ac juge commercium? Des ergo Cordi Jeſu præter motum vitalem, ac ſenſum tactus, appetitum etiam ac mentem, unde dolere poſſit, unde diligere: & nega jam, ſi audes, & potes, intercisionem, ac diviſionem Cordis ſub hac ejus ideali independentia, tam a parte ſuperiori, quam inferiori Animæ Chriſti?

Sed hæc, inquiunt Adverſarii, & quæ præſertim ad intellectum pertinent, & voluntatem, non dicuntur proprie de

(a) Quod S. Doctor 1 *p. q.* 67. *art.* 1. *corp.* declarat & intelligit *ſecundum uſum nominis: ſicut patet in nomine viſionis, quod primo impoſitum eſt ad ſignificandum actum ſenſus viſus. Sed propter dignitatem, & certitudinem hujus ſenſus, extenſum eſt hoc nomen ſecundum uſum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum ſenſuum. Dicimus enim: vide quomodo ſapit, vel quomodo redolet, vel quomodo eſt calidum? Et ulterius etiam ad cognitionem intellectus*. Quod tamen ne ita quidem, hoc eſt *per accidens* uſurpari ſolet, niſi aliqua ſubſit proportionalis habitudo convenientiæ, vel ſimilitudinis, ut probe admonet 1. 2. *q.* 27. *art.* 1. *ad* 3. *Dicimus enim pulchra viſibilia, & pulchros ſonos; In ſenſibilibus autem aliorum ſenſuum non utimur nomine pulchritudinis. Non enim dicimus pulchros ſapores, aut odores*. Exulat autem in univerſum a Corde, quod eſt purum corporis membrum, quævis habitudo ad agendum quæ ſunt inferioris, & ſenſitivæ, nedum ſuperioris, & intellectivæ partis in homine, ut docet infra *q.* 74. *art.* 2. *ad* 3. ubi *quod membra corporis non ſunt principia actuum, ſed ſolum organa. Unde & comparantur ad animam moventem ſicut ſervus, qui agitur, & non agit*.

de illo Corde phyſice ſumpto, ſed ſymbolice accepto. Vix equidem id crediderim; Nam ſi talia bona fide proponerent, non ſupponerent pro objecto cultus Cor carnis, ſiſterentque cum Eccleſia in Corde ſpirituali, cui vere, & proprie conveniunt, quæ materiæ proportionem, & capacitatem excedunt. Deinde vero ſimulata hæc appoſitio ſymbolorum novo etiam argumento eſt, quod Cor Chriſti diviſum cenſent a toto. Nam ſi toti cohærere putarent ſacrum Chriſti Cor, in quod omnigena illa congerunt ſymbola; quum res iis ſignificatæ adſint, & inſint toti per proprietatem, non eas utique adumbrarent contextim in corde toti juncto per figuram. *Sicut quia Sortes dicitur naturaliter homo ſecundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo ſecundum illam ſignificationem, qua pictura hominis dicitur homo*, ut apte ponderat S. Thomas 3. *p.* *q.*32. *art.*3. *corp.*, & melius etiam ſupra *q.*2. *art.*10. ubi explicans quod habetur *ad Coloſſ.*2. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: *Dicitur*, inquit, *habitaſſe in Chriſto corporaliter*: *IDEST NON UMBRALITER*: *ſicut habitavit in Sacramentis veteris Legis, de quibus ibidem ſubditur, quod ſunt umbra futurorum, corpus autem eſt Chriſtus*: *prout, ſcilicet corpus contra umbram dividitur*. Eodemque pertinet, quod in Feſto Corporis Domini canit Eccleſia. *Vetuſtatem novitas, umbram fugat veritas*. Cor itaque Chriſti ſub eo ſymbolorum apparatu, (quem ob cauſam mox indicatam exagitaſſe videtur S.Doctor 3.*p.* *q.*39. *art.*2. *ad* 2. *Cum ipſe ſit veritas, non competebat ei id, quod in ſola figura gerebatur*, & ad hoc ipſum ſupra *q.*5. *art.* 4. *ad* 1., eamdem affert rationem, *quod ubi eſt ipſa res per ſui præſentiam, non requiritur ejus imago, ad hoc quod ſuppleat locum rei*: *ſicut ubi eſt Imperator, milites non venerantur ejus imaginem*) cor, inquam, Chriſti ſub eo ſymbolorum apparatu repræſentatur perinde, ac ſi fuiſſet aſſumptum, ſin minus abſque toto, ſeorſum tamen, ac diviſim a toto; In eum ferme modum, quo contigiſſet de duabus naturis humanis, ſi non unam, ſed geminam ſibi voluiſſet hypoſtatice unire Verbum

Dei, prout hac poſitione facta obſervat S. Thomas *3. p. q. 3. art. 7. ad 3. Duarum*, inquit, *naturarum aſſumptarum eſſet uniformis habitudo ad perſonam divinam, nec una aſſumeret aliam: unde non oporteret, quod una earum totaliter alteri uniretur, ideſt omnes partes unius omnibus partibus alterius.*

CAPUT XXXVI.

Meditatio Cordis Chriſti nullam redolet falſitatem, quia fit actione intellectus, qui non tendit in res, ſed res trahit ad ſe ipſum, eaſque conſiderare poteſt abſtractione ſimplici per ſingulas partes.

PRius tamen, quam vela contrahamus, cauſſam rimari, ac præcidere juvat, a qua ſuum Patroni Cordis hauſerunt errorem, & unde ſuam fovent, tuenturque opinionem, judicio noſtro, male feriatam de cultu Cordis carnalis. Ea autem cauſſa, ni fallor, in eo ſita eſt, quôd citra falſitatis notam, citraque integritatis incommodum, meditari poſſumus ſacrum Chriſti Cor, prout pie fecerunt tot ſanctiſſimi Viri, inter quos ſatis eſt appellare cum eis, aut S. Bernardum, aut S. Bonaventuram, aut S. Franciſcum Saleſium; hinc autem ſponte ſua profluere videtur, ut in Feſto Cordis Jeſu, nulla ſubſit erroris occaſio, nulla fiat integritati corporis læſio, licet objectum cultus in ipſo Corde ſtatuatur. Non valet tamen hæc illatio, quia non eadem, ſed longe diſpar ratio eſt inter utrumque caſum. Pia nanque meditatio Cordis Chriſti eſt actus mentis internus; cultus autem, quo Chriſtus honoratur in Feſto Cordis ejus, ad actum pertinet religionis externum. Hoc autem intereſt inter actum potentiæ cognoſcitivæ, & apprehenſivæ, qualis eſt intellectus, cujus eſt meditari, & actum potentiæ appetitivæ, & executivæ, qualis eſt voluntas, aliæque animæ vires, quarum adſciſcit munus cultus & exercitatio religionis, ut intellectus

lectus res trahat ad ſe ipſum, in eoque ſint per modum ipſius, aliæ vero potentiæ quaſi foras erumpant, ferantur que in ipſas res, prout ſunt in propriis naturis & individuis. *Quod ideo eſt, quia ſcientia habetur de rebus ſecundum quod ſunt in ſciente: voluntas autem comparatur ad res ſecundum quod ſunt in ſe ipſis*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.*19. *art.*3. *ad* 6., & rurſus *art.*6. *ad* 2. ubi *Quod actus cognoſcitivæ virtutis eſt ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente: Actus autem virtutis appetitivæ eſt ordinatus ad res ſecundum quod in ſe ipſis ſunt*: Et *q.*82. *art.*3 *corp. Ut enim ſupra dictum eſt, actio intellectus conſiſtit iu hoc, quod ratio rei intellectæ eſt in intelligente: Actus vero voluntatis perficitur ex eo, quod voluntas inclinatur ad ipſam rem, prout in ſe eſt*. Et 1. 2. *q.*66. *art.*6. *ad* 1. *Perficitur enim cognitio ſecundum quod cognita ſunt in cognoſcente: dilectio vero ſecundum quod diligens trahitur ad rem dilectam*; Et 22. *q.*23. *art.*6. *ad* 1. ubi *Quod operatio intellectus completur ſecundum quod intellectum eſt in intelligente: .... Operatio autem voluntatis, & cujuslibet virtutis appetitivæ, perficitur in inclinatione appetentis ad rem, ſicut ad terminum*.

Unde ex his ſtatim deprehenditur, ac facile diſcernitur, cur meditatio cordis Chriſti ſit prorſus innoxia, nec ulli ſubſit errori, nullamque inferat integritati corporis jacturam, quia nempe non illud conſiderat, prout eſt a parte rei cum toto corpore concretum, ſed ut abſtractum a cæteris partibus, prout eſt in intellectu contemplantis. *Hoc autem diſtat inter appetitum, & intellectum, ſive quamcumque cognitionem, quia cognitio eſt ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente: appetitus autem eſt ſecundum quod appetens inclinatur ad ipſam rem appetitam*, ut rurſum diſtinguit S. Thomas 1. *p. q.*16. *art.*1. *corp.*, & melius infra *q.*85. *art.*1. *ad* 1. ubi ait, *quod abſtrahere contingit dupliciter; Uno modo per modum compoſitionis & diviſionis, ſicut cum intelligimus aliquid non eſſe in alio, vel eſſe ſeparatum ab eo. Alio modo per modum ſimplicitatis: ſicut cum intelligimus unum nihil conſiderando de alio. Abſtrahere igitur per intellectum ea,*

R 2 *quæ*

quæ ſecundum rem non ſunt abſtracta, ſecundum primum modum abſtrahendi, non eſt abſque falſitate. Sed ſecundo modo abſtrahere per intellectum, quæ non ſunt abſtracta ſecundum rem, non habet falſitatem, ut in ſenſu apparet. Si enim dicamus colorem non ineſſe corpori colorato, vel eſſe ſeparatum ab eo, erit falſitas in opinione, vel in oratione. Si vero conſideremus colorem, & proprietatem ejus nihil conſiderantes de pomo colorato, vel ſic quod intelligimus voce exprimamus, erit abſque falſitate opinionis & orationis. Pomum enim non eſt de ratione coloris. Et ideo nihil prohibet colorem intelligi, nihil intelligendo de pomo .... Cum ergo dicitur, quod intellectus eſt falſus, qui intelligit rem aliter, quam ſit, verum eſt, ſi ly aliter referatur ad rem intellectam. Tunc enim intellectus eſt falſus, quando intelligit rem eſſe aliter, quam ſit. Unde falſus eſſet intellectus, qui ſic abſtraheret ſpeciem lapidis a materia, ut intelligeret eam non eſse in materia, ut Plato poſuit. Non eſt autem verum, quod proponitur, ſi ly aliter accipiatur ex parte intelligentis. Eſt enim abſque falſitate, ut alius ſit modus intelligentis in intelligendo, quam modus rei in eſsendo. Et prius ſupra *q.13. art.12. ad 3.* ubi *quod hæc propoſitio: Intellectus intelligens rem aliter quam ſit, eſt falſus: eſt duplex ex eo quod hoc adverbium (aliter) poteſt determinare hoc verbum intelligit ex parte intellecti, vel ex parte intelligentis. Si ex parte intellecti, ſic propoſitio vera eſt. Et eſt ſenſus. Quicumque intellectus intelligit rem eſse aliter quam ſit, falſus eſt .... Si vero ex parte intelligentis, ſic propoſitio falſa eſt. Alius eſt enim modus intellectus in intelligendo, quam rei in eſsendo.*

CA-

CAPUT XXXVII.

Cultus religionis fertur in proprium objectum, prout eſt in ſe, non ſecundum ſimilitudinem ejus, uti fit in meditatione. Quæ fit in cultu præciſio cordis a corpore, non eſt mere objectiva, ſed etiam ſubjectiva. Licet abſtractive meditari humanitatem Chriſti ſeorſum a perſona Divina, non licet autem eam ſeorſum adorare.

QUamvis diſtinctio, quæ in ſuperiore Capite obſervata eſt ex S. Thoma, tum inter actum potentiæ *abſtractivæ*, & actum potentiæ *affectivæ*, tum inter varios abſtrahendi modos, non faciat ad rem *directe*, multum tamen ad rem confert *indirecte*; Monſtrat enim rem, de qua diſceptamus, ad eum cogi caſum, in quo falſus eſſet etiam intellectus, quum ſcilicet rem aliter intelligit, quam ſit, ex parte ipſius rei intellectæ. Et ratio eſt, quia cultus ille religioſus, qui cordi deferatur tamquam objecto Feſti, non poteſt cor ipſum eo modo, quo fit in contemplatione atque meditatione, *ſimpliciter* abſtrahere. Si enim hoc uno modo abſtraheret, nullam falſitatem involveret. Sed illud abſtrahit ex oppoſito in alium modum *compoſitionis*, & *diviſionis*, quod abeſſe nequit a falſitate. Præſefert enim rem aliter eſſe quam ſit, hoc eſt cor Chriſti diviſum oſtendit a corpore, a quo non eſt, nec poteſt eſſe diviſum.

Nec refert meditationi æque, atque cultui, idem ſubjici ſingulare cor. Meditationi ſiquidem, quæ eſt actus intellectus, non ſubjicitur ſecundum rem, quæ non poteſt accipi ſine propriis adjunctis, quibuſcum unum facit, prout eſt in ſe ipſa, ſed ſecundum ſimilitudinem tantum, quæ non habet cum adjunctis connexionem neceſſariam, ut rurſus diſtinguit S. Thomas 1. *p.q.*85.*art.*2. *ad* 2. *Ipſa igitur natura, cui accidit vel intelligi, vel abſtrahi, vel*

vel intentio univerſalitatis, non eſt, niſi in ſingularibus: ſed hoc ipſum, quod eſt intelligi, vel abſtrahi, vel intentio univerſalitatis, eſt in intellectu. Et hoc poſſumus videre per ſimile in ſenſu. Viſus enim videt colorem pomi ſine ejus odore. Si ergo quæratur, ubi ſit color, qui videtur ſine odore, manifeſtum eſt, quod color, qui videtur, non eſt niſi in pomo. Sed quod ſit ſine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte viſus: in quantum in viſu eſt ſimilitudo coloris, & non odoris. In meditationem igitur cordis Jeſu nulla incidit falſitas, propterea quod in intellectu meditantis eſt ſimilitudo cordis, & non corporis, quod ad meram ſpectat præciſionem objectivam. Sed cultus contra, qui non eſt ſecundum ſimilitudinem cordis, quæ fiat in colente, ſicut in meditante, ſed ſecundum rem, prout nempe quis movetur, & fertur in ipſum cor iis, quos adhibet religionis actibus, non poteſt non inferre præciſionem ſubjectivam, falſamque opinionem ingerere, quod cor illud perinde habeatur, ac ſi diviſum eſſet a corpore, ut præclare confirmat S. Thomas 1. *p. q.* 27. *art.* 4. *corp. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quod hæc eſt differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus ſit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in intellectu ſecundum ſuam ſimilitudinem. Voluntas autem ſit in actu, non per hoc quod aliqua ſimilitudo voliti ſit in voluntate, ſed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam, &* 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. *ad* 2. ubi *quod actio intellectus perficitur ſecundum quod res intelligibiles ſunt in intellectu per modum ipſius intellectus .... ſed actio voluntatis conſiſtit in motu ad ipſas res.*

Conſtat itaque, quod non valet argumentum a meditatione cordis carnei ad cultum ipſius per actus religionis exterius adhibitos. Hi namque conditiones ſequuntur, quæ ſunt circa proprium objectum, in quod feruntur, prout eſt a parte rei. Cor autem a parte rei non eſt abſque corpore. Unde quod agitur circa cor, peculiariter habitum ac reſpectum tamquam objectum cultus, non poteſt non accipi ſine præciſione cordis a corpore, non tam objectiva, prout facit intellectus, ſed etiam ſubjectiva,

va,

va, quæ ſola locum habet in extrinſecis. Neque enim a parte rei datur medium inter abſtractionem partis a toto, & interpretativam diviſionem partis ab illo. Quod confirmare lubet peculiari etiam ac palmari exemplo, quod novum argumento allaturum eſt lumen. Quamvis enim per intellectum abſtrahere poſſim in Chriſto partes humanæ naturæ (*a*) ab hypoſtaſi divina, & ſeorſum ab ea contemplari queam animam illam ſanctiſſimam, illudque puriſſimum corpus, non poſſum tamen humanitatem ejus ſic abſtractam partiali etiam adoratione proſequi. Intercedente enim hujuſmodi cultu, qui fertur in rem ipſam, prout eſt in ſe tota, non ſiſterem jam in præciſione *objectiva*, ſed in *ſubjectivam* tranſirem, eaque adoratione pernicioſiſſime ſignificarem, humanam naturam habere in Chriſto ſubſiſtentiam propriam præter hypoſtaſim Verbi Dei, quod ad Neſtorianum pertineret errorem. Unde ut meminit S. Thomas *3. p. q. 25. art. 1. corp.* ſic habetur in Capitulis Cyrilli apud *Concil. I. Epheſ. Can. 8. Si quis audet dicere aſſumptum hominem coadorari oportere Deo verbo quaſi alterum alteri, & non potius una adoratione honorificat Emanuelem ſecundum quod factum eſt Caro Verbum, anathema ſit.* Et Damaſcenus *de Fid. Orthod. lib. 4. cap. 3. Caro igitur ejus ſecundum ipſius naturam, ſi ſubtilibus cogitationibus diſpeſcas id quod videtur ab eo quod intelligitur, cogitationeque humanitatem a divinitate præſcindas, inadorabilis eſt, ut creatura.*

Pari

(a) Theologi graviſſimi ſunt, qui rotunde negant, humanitatem Chriſti in propria ſpecie, & quemadmodum in Cælis eſt, poſſe *actu* abſtrahi, & cogitari ut ſeparatam a Verbo. Si enim ibi ſemper *vivens interpellat pro nobis*, ut ait Apoſtolus, *& exauditur pro ſua reverentia*, id neque eſſe, neque intelligi poteſt niſi propter dignitatem Verbi, quocum humanitas ipſa hypoſtatice conjuncta eſt. Sic & corpus hominis *naturaliter vivens, & agens* non poteſt cogitari ut ſeparatum ab anima, imo ne ab ipſo quidem *corde*, ſine quo naturalis vita corporis conſiſtere nequit. Et quamquam laudati Theologi liberaliter deinde permittant, poſſe nuda prorſus mentis operatione *abſtrahi* humanitatem a Verbo, quia humanitas pro nobis interpellans poteſt conſiderari ut principium *quo*, & *Verbum* ut principium *quod*, uti ſcholæ loquuntur, contra tamen in adoratione ſtatui oportere contendunt. Nam humanitas non eſt objectum & terminus cultus noſtri, niſi quatenus eſt conjuncta Verbo, ut fert univerſalis Eccleſiæ doctrina. Hoc idem de *corde* Chriſti ſtatuendum eſt. Quo fit, ne ullo modo in officiis adorationis noſtræ, Cor illud ſacratiſſimum ſignificari poſſit tamquam pars aliqua, a Chriſti corpore, ab illius humanitate, totoque ipſo Chriſto divulſa.

Pari itaque jure argumentari debemus etiam ad rem noſtram; quod & ſi liceat meditari & contemplari cor Jeſu cum abſtractione a reliquis partibus, quæ ad integritatem pertinent Divini corporis ejus, nefas tamen eſt illud adorare ſic abſtractum partiali cultu, quia præciſio non eſſet jam mere *objectiva*, ſed *ſubjectiva*, falſamque injiceret ſpeciem: quippe quæ certo indicaret diviſum corpus Chriſti, imo & totum ipſum Chriſtum, eique propriam atque excellentiſſimam dotem admirandæ, ac myſterioſæ integritatis auferret. Unde ut teſtatur idem Damaſcenus *lib.*3. *dicti operis cap.*16., & laudat S. Thomas 3. *p. q.*6. *art.*5. *Arg. In Domino noſtro Jeſu Chriſto non partes partium intuemur, ſed quæ proxime componuntur, ideſt deitatem, & humanitatem*.

CAPUT XXXVIII.

Quod toti tribui non poteſt humanitati Chriſti, multo minus tribui poteſt uni cordi. Recenſentur, & exploduntur quæ cordi exadverſo dantur, & ſunt anima propria. Quid ſit proprie, & perfecte ſubſiſtens; quid ſubſiſtens improprie, & imperfecte. Actus potentiæ apprehenſivæ, qualis eſt meditatio, aſſimilatur quieti; appetitivæ vero, & executivæ, qualis eſt exercitatio cultus, magis aſſimilatur motui.

HInc arguere licet, & quidem, ut ajunt, a majori ad minus, quam inepte ſupponatur exadverſo pro objecto cultus in Feſto cordis Jeſu ipſum carnale cor Chriſti. Nam ſi ſe ſola nec humanitas ejus ad id valet, quæ tamen etiam ſeorſum a perſona Verbi, *eſt quoddam totum, quod componitur ex anima & corpore, ſicut ex partibus*, ut ait S. Thomas 3. *p. q.*6. *art.*5. *in arg. Sed contra*; quanto minus apta erit ad hoc idem pars partis, quale eſt cor reſpectu corporis? Non potes enim fingere, ne miraculo quidem, quod pars æquetur toti ſuo; ob

ob communem enim animi conceptionem exadverſo ſtantem, non id eſſet ſupra naturam, ſed contra, ut diſerte teſtatur S. Doctor 1.*p. q.*45. *art.*2. *in* 1. *arg.* Ait enim *potentia Dei non ſe extendit ad contraria primorum principiorum, utpote quod Deus faciat, quod totum non ſit majus ſua parte*. Hiſque addas quod cor, uti quid corporis, non ſolum non habet, ut illud, partialem formam totius corporei in humano compoſito, ſed & inſuper una cum toto corpore ad materialem pertinet humanitatis partem. Eſt enim quid ſimul informatum, non forma, quid ſimul animatum, non anima, cujus tamen omnia fere occupat jura, ſi prærogativas luſtres, quas Adverſarii venditant in deſcriptione cordis Jeſu. Quid eſt enim quod ut proprium ac præcipuum animæ ſit, non faciant tamen illi cordi commune? Vivit enim ſecundum eos, & dat corpori vitam; ſentit & afficitur humanitus; intelligit & amat divinitus, quæ ſane deriſione magis, quam confutatione digna ſunt. Hæc enim & his ſimilia jactantes, in apertam contradictionem impingunt. Volunt enim cor illud eſſe corporeum, volunt illud adorandum eſſe in hoc Feſto quâ tale; & volunt ſimul eorum omnium eſſe comprincipium ſenſibile, quæ non poſſunt omnino prodire niſi a corde ſpirituali. Vis enim prima influendi vitam ac ſenſum cum his quæ pertinent ad appetitum inferiorem; vis omnis ad rationem ſpectans & appetitum ſuperiorem, non poteſt eſſe vis corporis, ſed animæ cum vitam corpori dantis, tum agentis & operantis ſupra omnem capacitatem rei corporeæ, uti ſingillatim expendi in *Obſervationibus* meis ad feſtum cordis Jeſu. Aut igitur convertantur nobiſcum ad cor ſpirituale, aut ſecum ſtatuant Adverſarii, quomodo præmiſſa componant cum corde carnali, quod ut nullum rationalis, ita nec primum eſſe valet vel infimæ vitæ principium, ut eos arguens oſtendit S. Thomas 1.*p. q.*75. *art.*1. *corp. Quamvis autem aliquod corpus poſſit eſſe quoddam principium vitæ, ſicut cor eſt principium vitæ in animali: tamen non poteſt eſſe primum principium vitæ aliquod corpus. Manifeſtum eſt enim quod eſſe principium vitæ, vel vivens non con-*

S *venit*

venit corpori ex hoc quod eſt corpus: alioquin omne corpus eſſet vivens, aut principium vitæ. Convenit igitur alicui corpori, quod ſit vivens, vel etiam principium vitæ per hoc quod eſt tale corpus. Quod autem eſt actu tale, habet hoc ab aliquo principio, quod dicitur actus ejus.

Nec valet perpetuum illud Adverſariorum diffugium, quo cultum cordis referunt ad totum Chriſtum, eoque ſe tutos arbitrantur ab omni moleſtia; quin & hoc uno prætextu tegere ſe poſſe putant tam grandes errores, & contradictiones tam craſſas. Hæc enim relatio non minus ac cætera, principium petit & ipſa. Ut enim vera ſit, vel præcedat oportet ſeparatio partis a toto, ut fit in Reliquiis Sanctorum, vel ſi pars cohæreat cum toto, neceſſe eſt, ut non colatur *ſecundum ſe*, prout apte declarat S. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 1. *corp. Si quandoque contingat, quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujuſmodi partes SECUNDUM SE honorentur: ſed quia in iſtis partibus honoratur totum.*

Hinc habes, cur non in cultu cordis idem fieri poſſit, quod fit in oſculo manus aut pedis. In cultu nanque cordis neutrum adhiberi poteſt eorum, quæ jam innuimus. Primum enim repugnat fidei, juxta quam profitemur, nullam præceſſiſſe diviſionem cordis a corpore Chriſti; Alterum vero repugnat ipſimet Adverſariorum ſententiæ. Implicat enim quod cor Chriſti coli velint ut *objectum* cultus, & quod nolint illud coli *ſecundum ſe*. Reſtat igitur, ut adſerta *relatio* ad totum Chriſtum ſit merum ipſorum figmentum; quod vel inviti manifeſte produnt, dum arbitratu ſuo cor ejus ſpectandum exhibent, ut omnia agens, & omnia patiens, nihilque dicant, aut egiſſe, aut paſſum eſſe Chriſtum, quod non æque prædicent de uno corde ipſius Chriſti; adeo ut quicquid in Apoſtolico ſymbolo de Jeſu Chriſto vero Patris Filio, & Domino noſtro Fides Catholica profitetur, id illi de *corde* ipſo Chriſti ſingulariter credi & prædicari poſſe ſentiant, quemadmodum reapſe expreſſe prædicant, & profitentur. Cor autem Chriſti ſi ſic ponatur, & repræſentetur, ut omnia agens, quæ Chriſtus egit, ut omnia

patiens

Digitized by Google

patiens quæ Chriſtus paſſus eſt, ponatur ſimul oportet, ut quid per ſe ſubſiſtens, & (*a*) hypoſtaticum; quod tamen de parte dici nequit, ni diviſa ſupponatur a toto, omnique exuta actuali habitudine ad ipſum, quod ex diametro pugnat cum prætenſa relatione cultus cordis ad totum Chriſtum, ut docet S. Thomas 1. *p. q.* 75. *art.* 2. *ad* 1. ubi ait *quod hoc aliquid: poteſt accipi dupliciter. Uno modo pro quocumque ſubſiſtente. Alio modo pro ſubſiſtente completo in natura alicujus ſpeciei. Primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis. Secundo modo excludit imperfectionem partis. Unde manus poſſet dici: hoc aliquid: primo modo, ſed non ſecundo modo.* Additque *ad* 2. *quod*

(a) Ne dicam in Adverſariorum ſyſtematate perfecte & abſolute hypoſtaticum *Cor* Chriſti conſtitui oportere; abſit enim ut Neſtorianæ hæreſis eos inſimulare velim; gravis ſaltem ſuſpicio oritur, ne tale quid ex ea, quam tenent, nova & peregrina loquendi ratione ſequatur, quod hujus erroris ſpeciem habere poſſit. Nam ut fert vulgare adagium Philoſophorum: *Actiones, & paſſiones ſunt ſuppoſitorum.* At vero actiones omnes, & paſſiones, quæ ſunt propriæ perſonæ Chriſti, in hypotheſi Cordicolarum, *cordi* ipſiuſmet Chriſti ſimpliciter tribuuntur, adeoque *cor* apud eos tenet locum *ſuppoſiti*. Nec valet reponere hæc omnia tribui cordi tamquam ſubſtantive conjuncto divinæ hypoſtaſi Verbi. Enimvero, ne hoc quidem ſenſu modus iſte loquendi tolerari poteſt; quippe qui multo etiam, quam Berruyerianus, monſtruoſior omnino videatur. *Verum eſt quidem*, ajebat *Berruyerius* apud Sorbonicos Cenſ. prop. 13. p. 1. ſect. 1., *omnes compoſiti actiones, & paſſiones ad perſonam pertinere, & in prædicatione logica perſonæ tribui .... inde tamen nullum oritur impedimentum, quominus de natura Chriſti humana per Verbum ſubſiſtente efferantur primo, & in recto propoſitiones, de quibus agimus (nempe quibus commemorantur in Evangelio geſta dictaque Servatoris noſtri, quid noſtri cauſa egerit, dixerit, & perpeſſus ſit)*. Alia id genus plura Berruyerius, ut & illius defenſor prop. 113. p. 2. ſect. 1. laudatæ Cenſuræ, effutiebat. Ea quam atris notis confixerit Academia Pariſienſis citatis in locis cernere quiſque poterit. Et tamen Berruyerius de humanitate perfecta Chriſti loquebatur unita uni Perſonæ divinæ in unitatem Perſonæ, eaque ſubſiſtente in Verbo, & per Verbum ipſum in genere ſubſiſtendi completa. Quin & Berruyerii Vindex de humanitate Chriſti ut eſt *principium quo* actionum omnium ſuarum productivum accedente naturali & ſupernaturali concurſu Dei ſermonem a Berruyerio inſtitutum fuiſſe ſcribit. Quid igitur de hoc loquendi more cenſendum erit: Cor Chriſti eſt omnia agens, omniaque patiens noſtri cauſa? Nonne inſtar ſuppoſiti quaſi perſona ipſa Chriſti eſſet, cor unum effertur, & ſignificatur? Adde quod & error eſt contra fidem Incarnationis ſpectare Cor tamquam principium *quo* Chriſtus ut homo & egit, & paſſus eſt. Id enim proprium eſt totius humanæ naturæ non unius cordis, aut alterius cujuſvis partis, ut probe explicat S. Thomas 3. *p. q.* 17. *art.* 2. *ad* 4. Ait enim *quod Anima in Chriſto dat eſſe corpori, in quantum facit ipſum actu animatum: quod eſt dare ei complementum naturæ & ſpeciei. Sed ſi intelligatur corpus perfectum per Animam abſque hypoſtaſi habente utrumque: hoc totum compoſitum ex Anima & Corpore (prout ſignificatur nomine humanitatis) non ſignificatur ut quod eſt, ſed ut quo aliquid eſt. Et ideo ipſum eſſe eſt Perſonæ ſubſiſtentis, ſecundum quod habet habitudinem ad talem naturam: cujus habitudinis cauſa eſt Anima, in quantum perficit humanam naturam, informando corpus.*

per ſe agere convenit per ſe exiſtenti. Sed per ſe exiſtens quandoque poteſt dici aliquid, ſi non ſit inhærens ut accidens, vel ut forma materialis, etiam ſi ſit pars. Sed proprie & per ſe ſubſiſtens dicitur, quod neque eſt prædicto modo inhærens, neque eſt pars. Secundum quem modum oculus aut manus non poſset dici per ſe ſubſiſtens: & per conſequens nec per ſe operans. Unde & operationes partium attribuuntur toti per partes. Dicimus enim quod homo videt per oculum, & palpat per manum. Cogitent igitur Adverſarii quicquid eis arrideat de corde Jeſu. Cogitent illud ut agens ac amans. Cogitent ut patiens ac dolens, (quæ tamen quum habeantur ut hypoſtaſeos propria, ne ipſi quidem animæ ſtricta proprietate tribui valent, ut concludit S. Thomas loco citato: *Poteſt dici, quod anima intelligit, ſicut oculus videt: ſed magis proprie dicitur, quod homo intelligat per animam*;) at ſua hæc cogitata & inventa retineant in exercitio *abſtractivæ* contemplationis, nec ea erigant in totidem objecta publici, ac religioſi cultus, ut (*a*) cohærenter ad diſtinctionem jam poſitam rurſus

(a) Pariſini Cenſores ſane quidem doctiſſimi jure obſervarunt p. 1. ſect. 2 prop 59. Berruyerii doctrinam in ea theſi traditam *deprimere, deformare, & ſubvertere cultum Chriſtianum.* Nam *juxta Auctorem Eccleſia adoraret, invocaret, gratias ageret, veniam poſtularet per humanitatem Chriſti unitam* (Verbo in unitatem Perſonæ), *quæ ex ipſo inſtar ſuppoſiti conſideranda eſt, adeoque Perſona, cui attribuit non nomen quidem, ſed characteres Perſonæ, quamque in hac ipſa propoſitione nuncupat in recto Salvatorem noſtrum. Deprimit igitur, & deformat cultum Chriſtianum, ipſi dignitatem ſuam, & excellentiam adimit, imo cultum hunc ſubvertit, & e divino humanum reddit. Quantumcumque enim prædices hanc humanitatem eſſe Verbo hypoſtatice unitam, hæc tamen, ſi in omni cultus Chriſtiani exercitio, inſpiciatur in recto, revera in illo exhibendo cultu incipitur ut perſona humana, quam auctor aſſerens hypoſtatice Verbo conjunctam, vel ſibi non conſentit, vel vocem hypoſtatice alio accipit ſenſu, quum ab Eccleſia ſumitur.* Quæ quidem conjunctionem habent cum prop. 13. 14. 15. p. 1. ſect. 10. de *actionibus & paſſionibus omnibus SS. humanitati Chriſti* ut unitæ Verbo *in recto* tributis. Quanto jam explicatius *Cordicolæ* noſtri characteres perſonæ non integræ humanitati, ſed uni cordi cum Verbo conjuncto in officiis publicæ adorationis attribuunt? Immenſus eſſem ſi loca ſingula ex eorum editis opuſculis ad id demonſtrandum referre vellem. Quamobrem ex hoc uno, quod mox adferam, deprecationis ad Cor Chriſti exemplo, cætera conjicere licebit. *O Cuor di Gesù ſempre amante degli Uomini, e ſempre dalle loro ingratitudini offeſo, Voi ſopra la terra nel corſo della voſtra mortal vita, avete fatto tutto per dimoſtrare agli Uomini il voſtro amore fino a conſumarvi, e finir per eſſi, e pure il voſtro amore fu ſolamente corriſpoſto con diſprezzo, e con ingiurie atrociſſime, perchè gli Uomini non vi conoſcevano. Voi oggidì nella Eucariſtia, in cui ſiete realmente tra noi, ardete dello ſteſſo amore, e pure nel Sacramento dell'amore ſoffrite dalla ingratitudine umana oltraggi aſſai più crudeli, benchè ſappiaſi, chi Voi ſiate. Io vi vedo ſu i noſtri*

Digitized by Google

ſus admonet S. Doctor 1. *p. q.*81. *art.*1. *corp. Actus enim apprehenſivæ virtutis non ita proprie dicitur motus, ſicut actio appetitus. Nam operatio virtutis apprehenſivæ perficitur in hoc, quod res apprehenſæ ſunt in apprehendente. Operatio autem virtutis appetitivæ perficitur in hoc, quod appetens inclinatur in rem appetibilem. Et ideo operatio apprehenſivæ virtutis aſſimilatur quieti; operatio autem virtutis appetitivæ magis aſſimilatur motui.*

CAPUT XXXIX.

Motus religionis cur inveniat in corde Jeſu titulum cultus, non autem cultus objectum. Meditatio cordis Chriſti ſuum habet fructum pios excitando devotionis affectus. In cultu religionis debet eſſe conformitas inter actus internos, & externos. Adſciſcitur huc affine exemplum a Chriſti lingua mutuatum, quod rem totam præclare confirmat.

JAM vero ſi publicæ religionis cultus, qui tendit & terminatur ad objectum ſuum, prout eſt in ſe, non invenit in corde *contemplato* perſonalitatem veram, unde ſpecificetur, ſed idealem tantum ex meditatione relictam, unde deſignetur, concludamus oportet, quod quamquam cor Jeſu (*a*) titulum dederit Feſto, de quo diſſerimus, attamen non eſſe poteſt cultus obje-

ſtri Altari eſpoſto, ... or mille increanze..... Moſſo da queſti eccesſi proſtrato innanzi a Voi, o Cuor adorabile &c. lib 3. cit. p 249. & p. 260. *O Cuor ammirabile e degno della Maeſtà di Dio; e della Miſericordia del Redentore ..... riſchiaratemi l'anima colla luce ſuperna ..... Cuor ſacro objetto degno dei complacimenti del Padre*. Sic alibi frequentiſſime. Nec juvat *cor* appellare *hypoſtatice* Verbo conjunctum p. 246. *Cuor adorabile di Gesù ipoſtaticamente unito al Verbo Eterno*; Nam ſi *cor in recto*, uti reapſe ſit, adoratur, inſpicitur procul dubio tamquam *perſona*, in eum plane modum, quo a Berruyerio ſpectatur humana natura in adoratione Chriſti. Et ita cultus Chriſtianus deprimitur, deformatur, funditusque ſubverti videtur.

(a) Secundum tamen identitatem derivationis, non ſecundum identitatem ſignificationis. Derivatur enim a corde carnali, ſed ſignificat cor ſpirituale. Sic ex. gr. etiam nomen *viſus* derivatum eſt ab oculo carnis, ſed oculis applicatum mentis, non ſignificat actum ſenſus ſub luce corporali, ſed intellectus ſub ſpirituali, ut notat S Thomas 1. *p. q.*67. *art.*1. *corp.* ubi ad rem profert quod habetur *Matth* 5 *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*.

Digitized by Google

objectum. Titulus enim eſt de dicto, cujus implet veritatem etiam perſonalitas imaginata. Nam ut docet S. Thomas 1. *p. q.39. art.8. in fin. qualibet res demonſtrabilis, grammatice loquendo, perſona dici poteſt, licet ſecundum rei naturam non ſit perſona. Dicimus enim iſte lapis, & iſte aſinus*. Objectum autem eſt de re, quæ non pendet ab humana cogitandi ratione, ſed a modo ſubſiſtendi cum proprietate ad dignitatem ſpectante in rationali natura, quod ad cor carneum pertinere non poteſt, præſertim quum de corde agatur, quod non puri hominis eſt, ſed hominis Dei, cujus non tam cor, aut totum corpus, ſed etiam anima, quæ fons eſt omnis vitæ naturalis, ſenſitivæ, & rationalis, ſubſiſtentia omni caret humana.

Quinam ergo fructus erit, dicet aliquis, in meditatione cordis Chriſti, ſi ex ea non ſequatur peculiaris cultus ejuſdem ſacri cordis? Multus ſane. Nam ut probe notat S. Thomas 22. *q.82. art.3. ad 2. Ex debilitate mentis humanæ eſt, quod ſicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua ſenſibilia nobis nota: inter quæ præcipuum eſt humanitas Chriſti ſecundum quod in Præfatione dicitur. Ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur. Et ideo ea quæ pertinent ad Chriſti humanitatem, per modum cujuſdam manuductionis, maxime devotionem excitant*. Meditatio igitur cordis Chriſti, quo non occupatur quaſi fine, ſed ut medio, ſuum habet uberrimum fructum, dum adjuvat infirmitatem noſtram, & noſtra erigit ſurſum corda ad colendum & amandum Deum, qui pro nobis fieri dignatus eſt homo. Ipſi enim Deo-homini, non cordi ejus, adhærere debemus una cum Patre & Spiritu Sancto, quum ſingula obimus religionis munia, ut docet S. Auguſtinus *lib.10. de Civit. Dei cap.19*. Ait enim *exteriora ſacrificia ita ſunt ſigna interiorum, ſicut verba ſonantia ſigna ſunt rerum. Quocirca ſicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde, quas ſignificamus, offerimus: ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe noverimus, quam ei, cujus in*

Digitized by Google

in cordibus noſtris inviſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus. Sicut igitur exteriores actus, quibus Feſtum agimus cordis Jeſu, informatos eſſe oportet interioribus, eiſque conſonos eſſe, ut innuimus etiam ſub initium, hinc fit, ut in exercitio dicti cultus, qui terminari non poteſt, ut vidimus, ad cor carneum citra vitium falſæ ſignificationis; mens etiam atque animus ea qua par eſt, conformitate ſenſus ac ſpiritus, alienari debeat a corde carnis, rectaque ferri in totum Chriſtum ſub ſymbolo cordis ejus; prout reipſa feſti hujus fert inſtitutum, & ſtricte exigit neceſſaria connexio utriuſque cultus, interni nimirum, & externi, quæ diſſimile non patitur objectum in utroque. Et eo pertinet, ut mihi videtur, quod ad rem dicitur *Cantic. ult. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*. Nam ut ait S. Thomas 22. *q.* 81. *art.*7. *arg. Sicut interiores actus pertinent ad cor, ita exteriores actus pertinent ad membra carnis*, ubi nomine *cordis* animum ipſum S. Doctor intelligit, non vero cor carneum, ut manifeſtum eſt.

Sed hoc religionis officium conſpirationem exigentis tum interioris, tum exterioris cultus in idem objectum, novo etiam, & affini declarari poteſt exemplo. Meditetur quis ſacram Chriſti linguam, qua Patrem pro nobis exoravit. Hinc ſtatim pius etiam iſte inter cæteros excitabitur affectus, quo quis vehementer cupiat, & oret, ut pro nobis ſummi Mediatoris munus exerceat. *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis: Hebr.* 7. *Advocatum enim habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum*: 1. *Joan.*2. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis: ad Rom.*8. (*a*) Hunc tamen ſalutarem affectum

(a) Quod tamen non ſervili more cenſendus eſt facere, ſed liberali: non in modum ſupplicantis, ſed poteſtatem habentis, ut caute animadvertit Nazianzenus *Orat.* 36. *Advocatum*, inquit, *habemus Jeſum, non ut noſtra cauſa ſeſe ad Patris pedes advolventem, ſervilique modo abjicientem. Procul ſit ſervilis iſta ſane ſuſpicio, ſpirituque indigna. Neque enim Patris eſt hoc expoſcere, aut Filii pati: nec de Deo hæc cogitare pium, atque æquum eſt*. S. Ambroſius *ſuper Luc. lib.* 5. *cap.* 6. *Noli inſidiatrices aperire aures, ut putes Filium Dei quaſi infirmum rogare, ut impetret quod implere non poſſit; poteſtatis enim eſt auctor*. S. Bernardus *in Cantic. Serm.* 76. *Quod tamen eum petiiſſe*

fectum pia Mater Eccleſia non ſinit in uſum venire, dum communi prece Chriſto Domino ſua ſiſtit vota, ne qua inde ſumi poſſit erroris occaſio, ut apte notat S. Thomas *ſupplem. q.72. art.2. ad 3.* ubi ait *quod oratio eſt actus quidam: actus autem ſunt particularium ſuppoſitorum: & ideo ſi diceremus Chriſte ora pro nobis, niſi aliquid adderemus* (a), *videretur hoc ad perſonam Chriſti referri: & ita videretur eſſe conſonum errori Neſtorii, qui diſtinxit in Chriſto perſonam Filii hominis a perſona Filii Dei; vel errori Arii, qui poſuit perſonam Filii minorem Patre. Unde ad hos errores evitandos Eccleſia non dicit: Chriſte ora pro nobis, ſed Chriſte audi nos, vel miſerere nobis.* Conſtat autem, quod Eccleſia, ne lædatur integritas corporis Chriſti, quam ad veritatem pertinere novit, & ad unitatis myſterium, noluit Feſtum admittere illius *cordis carnalis*, ſed *ſpiritualis tantum*. Sicut ergo nefas eſt, ut idem ſerves objectum in *meditatione* linguæ Chriſti, & in communi *prece*, quæ ſpectat ad actum religionis externum; in meditatione enim linguam intueris de-

precan-

petiiſſe ſenſerim, non ut ſupplicem, ſed ut præſcium. Libere petitur quod in poteſtate petentis accipere eſt. Ergo diſpenſatoria Filii petitio eſt, non neceſſaria; quippe donantis cum Patre quidquid a Patre acceperit. Et S.Thomas *3.p. q 21.art.3. ad 1. Sola voluntas Chriſti habet vim orationis apud Patrem.*

(a) Aliquid ſcilicet, quo palam fieret, Filium hominis orantem pro nobis, atque ita interpellatum a nobis, verum eſſe Filium Dei conſubſtantialem & coæqualem Patri, a quo quod impetrat poſtulando, cum eo ſimul imperat largiendo. Sic S.Auguſtinus *in Pſalm.29.Habes*, inquit, *Majeſtatem, ad quam ores: habes humanitatem, quæ pro te oret.* Et *Epiſt. 121. In tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus.* Et *Serm. 29. de Verbis Domini. Inter nos petitor, cum Patre dator.* Et S. Ambroſius *lib. 3. de Fide cap. 3. Rogat quaſi Filius hominis, imperat quaſi Dei Filius.*

At vero interjecta illa S.Th. verba: *Niſi aliquid adderemus*: ulteriorem quoque cautionem ſuggere mihi videntur; qua ſcilicet vel intelligamus orationem Chriſti non expreſſam, ſed interpretativam tantum, qua ſuam Patri ſiſtit humanitatem, & myſteria in ea perpetrata, ut obſervat præ cæteris S. Gregorius Magnus *lib. 22. Moral. cap.* 13. & S. Thomas *Supplem. d. q 72. art.3. corp.*: vel ſi reſpiciamus ad expreſſam, non eam referamus in tempus præſens, ſed in præteritum, appellando preces illas, quas fudit pro nobis in diebus carnis ſuæ, ut innuit S. Ambroſius *lib. 4. de Fide cap.* 3. & diſerte tradit Œcumenius *in cap.8. Epiſt. ad Romanos.* Utrumvis enim omni ſuſpicione vacat, ſed ſimul evacuat inſidioſas & irreligioſas voces iſtas: *Chriſte ora pro nobis*. Qui alteri ex dicto duplici ſenſu adhærere velit, audiat Rupertum *lib. 9. de divin. Offic. cap.1.* in hæc verba monentem. *Sed dicit quis: Rogat per humanitatem. qui dat per divinitatem. Hoc plane verum eſt, quia tunc moriens paulo minus ab Angelis imminutus, rogavit per humanitatem; nunc autem gloria & honore coronatus, & conſtitutus ſuper omnia opera Patris, dat per divinitatem, omnem habens poteſtatem, utpote a dextris Dei ſedens. Unde ſicut reſurgens ex mortuis jam non moritur. ſic illum ad hoc ut roget Patrem, nemo invocat Catholicus.*

Digitized by Google

precantis, in communi vero prece linguam interpellas dominantis; ſic & in meditatione cordis immorari potes in carne Chriſti, ſed in cultu communi carnale cor tranſcendas oportet, & ad cor ſpirituale erigaris, quod unum re ipſa pro objecto cultus conſtituit Eccleſia. Si non mutes objectum in utroque cultu, & linguæ, & cordis, lingua tua ſonum dabit ſine mente. *Si orem lingua, mens mea ſine fructu eſt.* 1. *Corinth.* 14. nec erit cor tuum ſecundum linguam tuam: *Et cor meum dereliquit me.* *Pſalm.* 39. quod ut vites, linguæ præſit & carni conſonans intentio mentis. *Neque enim oportet contrarium eſſe ſermoni intellectum*: ut eleganter peroravit Theodotus Epiſcopus Ancyranus in Concilio Epheſino *part. 3. cap. 9. Si qua vero cogitatio ſeparet quod conjunctum eſt, diſſolutum intellexit, & falſus evadit intellectus, ſeparans utique quod ſemper conjunctum eſt.* Et ſupra. *Sed mente ſola divido, inquis. Ergo & mente unitatem ſolviſti. Nam quo disjungis ab altero alterum, eodem copulationem dividis.* Et paulo poſt ibidem. *Non alia quidem dicentes, ut ipſe facis, & alia cogitantes: Non verbis confitentes unum Chriſtum, cogitatione autem dividentes eundem.*

Digitized by Google

CAPUT XL.

Attributa Dei licet ſint una res, ſunt tamen plura ratione. Ob hanc pluralitatem rationis, nulla incidit diviſionis imago in eorum diſcreta acceptione. Cor Chriſti quod eſt unum cum corpore, ne ratione quidem dividi poteſt a conceptu corporis integri. Nullum in Eccleſia Feſtum agitur de divinis attributis. Quod nuper admiſſum fuit de corde Jeſu ſymbolice ſumpto, injuria trahitur ad cor carnis, unde læditur veritas cultus, & integritas Dominici corporis.

QUod ſi forte adverſus ea, quæ mox tradita ſunt, objiciatur etiam attributa Dei, etſi maxime una res ſint, utpote eadem cum divina natura, nihilominus concipi a nobis quaſi plura, & in tot fere diſtribui, quot inde manant effectus in creaturas, quin tamen iccirco coarguamur, quaſi manus inferre præſumpſerimus in unitatem Dei; profecto ſatis eſſet reſpondere, nullum re ipſa Feſtum agi de attributis divinis, ideoque diviſionem illam, ſi qua forſan reſultare poſſet ex ea concipiendi ratione, nullam habere ſignificationem externam, quæ divinam unitatem quoquo modo labefactare videretur. At quia veritas eſt, quod ea deceptionis occaſio eſſet tantum accepta, non data, ſatius eſt ut dicamus, objecta attributorum multiplicatione non lædi, ſed commendari divinam unitatem, in quam cunctæ refluunt, quæ ſparſæ viſuntur, perfectiones in creaturis, utpote dimanantes a Deo tamquam a prima cauſa omnium rerum, quam inferiori modo, ac *diviſim* repræſentant, & imitantur, ut late ponderat S. Thomas 1. *p.* *q.*13. *art.*4. *corp.*, apteque ſubjungit *ad* 3., *quod hoc ipſum ad perfectam Dei unitatem pertinet,*

quod

quod ea, quæ ſunt multipliciter, & diviſim in aliis, in ipſo ſunt ſimpliciter, & unite. Et ex hoc contingit, quod eſt unus re, & plures ſecundum rationem; quia intellectus noſter ita multipliciter apprehendit eum, ſicut res multipliciter ipſum repræſentant = Et ſic intellectus noſter non eſt falſus, formans compoſitionem de Deo, ut addit S. Doctor *art.12. ad 3.* Maxime vero quod intellectus noſter compoſitione ipſa utitur, quaſi nota, vel ſigno, modo ſuo proportionatis, ut divinam exprimat in pluralitate conceptuum unitatem, quod profunde animadvertit S. Doctor *dict. art.12. corp. Sed tamen quamvis intelligat ipſum ſub diverſis conceptionibus, cognoſcit tamen, quod omnibus ſuis conceptionibus reſpondet una & eadem res ſimpliciter. Hanc ergo pluralitatem, quæ eſt ſecundum rationem, repræſentat per pluralitatem prædicati, & ſubjecti; unitatem vero repræſentat intellectus per compoſitionem*. Ita ne vero per affectatam compoſitionem mentis, dum cultum ſuum directe & per ſe terminatum ad cor, conjungunt cum cultu relativo, & indirecto totius corporis, perſuadere cuiquam poterunt Adverſarii, ſe tenere, ac repræſentare ſimpliciter unionem realem cordis & corporis, uti eſt in Chriſto? Satis ne illis erit dicere, ſe quidem in conceptu directo cordis, non reſpicere totum corpus, quando cor ipſum unum colunt, ſed tamen cultum hunc cordis a ſe referri ad id, quod reliquum corporis eſt, ut integrum a diviſione ſervent corpus ipſius Chriſti, ſeſeque a nota cultus falſi alienos oſtendant? Quænam eos adigit ratio, ut ſpeciali cultu proſequantur cor? Num ibi geſtum eſt ſpeciale myſterium? Num inde prodiit ſpeciale beneficium non commune cæteris membris, totique Chriſto? Num denique corpus ejus non uno poſſunt amplecti conceptu, ſed in membra partiri coguntur, ut dictum eſt de attributis divinis? Nihil horum hic ſubeſt; Nihil horum fingi poteſt. Dividunt ergo cultu ſuo, quod re, & ratione unitum eſt, non uniunt quod neutro modo diviſum. Non diviſum re: quia totum integratur ex partibus indiviſis. Non diviſum ratione, quia cor in conceptu nobis obvio, & proportionato humani compoſiti

Digitized by Google

ex parte materiæ, abſtrahi nequit a corpore. Si cor itaque concipi poteſt ſine corpore, corpus autem non ſine corde; poterit utique contemplationis motivum in corde ſtatui, ſed non objectum cultus. Primum quippe fundatur in conceptu cordis ad modum partis, alterum vero ad modum totius juxta conditionem cultus. Illud habet cor ex ſeſe; æque enim eſt corporis pars, ſive cogitetur cum corpore, ſive ſine corpore. Iſtud vero nanciſci non poteſt, niſi per ſectionem a corpore. Pars enim toti juncta non poteſt habere rationem totius. Cultus ergo Cordis Jeſu integritatem lædit Corporis Chriſti. Significat enim cor illud accipi ut quid totum, quod tamen ei tribui nequit, niſi ponatur ut actu diviſum a corpore. Eoque cultus ille falſus eſt, & pernicioſi erroris occaſio; cui ne forte daretur aditus, nulla accepimus a Majoribus Feſta de divinis attributis, quamvis ea velut una re, ſed plura ratione, non præbuiſſent cultu ſuo, prout cultus cordis, ullum ex ſeſe diviſionis indicium (*a*).

Fas mihi fuerit in id proferre, quod ad rem graviſſime ſcripſit Ven. Card. Thomaſius eo quod edidit Voto adverſus olim poſtulatum, minimeque conceſſum de æterno Patre Feſtum, quodque ex Mſs. Bibliothecæ Paſſionei, nunc Angelicæ publici juris fecit S. M. Benedictus XIV. *de Canonizat. lib.4. part.2. cap 31. n.4. Si ſemel*, inquit, *hac nova licentia datur obtinendi, quæ ſimplex pietas ſine ſcientia Sanctorum expetit, novitatum in Eccleſia nullus terminus dabitur. Exſurgent fortaſſe & alii, qui nova Feſta poſtulabunt de æternitate Dei, de omnipotentia, de providentia, cæteriſque attributis divinis, quorum poſtulata zelum quidem Dei haberent, ſed non ſecundum ſcientiam Sanctorum, qui*

(a) Neque obſtat etiam corpus licet unum re, compoſitione tamen ſuarum partium eſſe ſimul plura in potentia. Multiplicitas enim *potentiæ* non ſumitur, ut altera *rationis*, ab unitate rei quæ perfectione ſua pluribus æquipolleat, ut de divinis attributis dictum eſt, ſed ſumitur ex oppoſito ab ejus diviſione, ad quam nempe ſeſe habet ut ad actum proprium. Nam ut ait S. Thomas 1. *p. q.* 11. *art.* 2. *ad* 4. *in ratione multorum eſt quod ſint diviſa* & plenius *in libel. de Natur. materiæ cap.* 8. *Sola enim diviſio continui facit eſſe actu* ſimulque intercedit, ut ſtatim proſequitur, *ſimilitudo cujuſdam corruptionis, quia actus prior qui erat totius, ablatus eſt, & potentia ducta eſt ad actum poſteriorem per diviſionem ſolam*.

qui Deum colere, & quomodo ſit colendus nos abunde docuerunt. Sufficiant nobis exempla Majorum. Sapimus, ſi ſapientiam Antiquorum exquirimus, & ſequimur. Nam ut probe ſub initium ponderat. *Inter incerta, & lubrica humanarum opinationum, conſultius omiſſis diſputationum tricis, recurritur ad Majorum authoritatem, qui tanto perſpicacius videre, quæ ad religionem pertinent, quam propinquius fuere lucernæ lucenti in hoc caliginoſo loco, hoc eſt Apoſtolis ſanctis, eorumque Diſcipulis, qui omnem nobis transfunderunt doctrinam Chriſtianam ſcripto, & ore.* De Feſto quidem Cordis Jeſu, prout ab Eccleſia permiſſum eſt, pro corde nempe ſymbolice ſumpto, non eſt noſtrum verba facere, ſed revereri, & obſequenter excipere, prout ex animo facimus, recentem illius inſtitutionem. Sed quod iterum vertatur in objectum carnis, eoque revocetur, unde ſuum hauſiſſe videtur exordium, hoc eſt non a divinis eloquiis, quæ Chriſti corpus diſcindi vetant in partes, ſed a privata revelatione, quæ facta dicitur Ven. Margaritæ Alacoque, id vero nullo modo ferendum eſt; Nam ut ait S. Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis in correctione Antiphonarii *non cujuſquam figmentis, ſed Spiritus Sancti eloquiis Majeſtas divina laudanda eſt.* Quod Chriſtum Dominum pro nobis hominem factum, & amantiſſimum noſtri, ſpeciali cultu proſequamur ſub ſymbolo cordis, nec figmenti ſpeciem habet, nec divinis adverſatur eloquiis, ſecundum quod legitur *Job.* 11. *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* At Chriſto amanti ſub typo cordis expreſſo, ſubrogare pro objecto cultus ipſum cor ejus carnaliter ſumptum, tanto propius ad figmentum accedit, quanto longius recedit a ſanctis Scripturis, apud quas nihil eſt ſanctius, quam ut ne quid detrimenti capiat integritas corporis Chriſti, ſecundum quod dicitur, atque iterum, iterumque repetitur *Exod.* 12. *Num.* 9., & *Joan.* 19. *Os non comminuetis ex eo = Nec efferentis de carnibus ejus foras.* Ad hæc ſi ſerio Patroni cordis animum applicent, ſuamque excutiant, purgentque intelligentiam a noxia, qua detinentur, allucinatione

tione propriæ ſententiæ, videbunt aliquando, non eſſe rectum quod Feſto parant, & rectiſſimum putant, partiale cordis objectum. Non ego me vadem, ſed ita ſe ſiſtit eis S. Juſtinus *orat.1. contra Græcos. Accurata*, inquit, *rerum inquiſitio perſæpe ea quoque, quæ recta judicata ſunt, exactiore examine veritatis adhibito, longe aliter ſe habere oſtendit*. Utrum porro Feſtum hoc ſub Cordis Chriſti titulo tolerandum diutius ſit, an potius tollendum propter abuſum cultorum cordis carnei: ſicuti & veterum Chriſtianorum agapæ ſublatæ fuerunt propter earum abuſum, & nocturnæ item plurium Feſtorum vigiliæ, una tantum excepta in ſacratiſſima nocte Nativitatis Domini, non eſt meum aut in deliberationem revocare, aut in alterutram partem definire, ſed ad judicium ſpectat, & prudens arbitrium ſanctæ Matris Eccleſiæ.

CAPUT XLI.

Objectum cultus in Feſto Cordis Jeſu etiam ſymbolice ſumpti, per abuſum ſenſim traducitur ad cor carnis. Æquivocum ſymboli uſum præcidendum in radice. Quo ſenſu cor in ſymboli morem ſit objectum cultus.

NOſtrum autem eſt Feſti hujus abuſum exponere, & quod objectum cultus ſub ſymbolo cordis verſatile ſit pro Adverſariorum lubitu. Nam Patroni Cordis ſub eo ſymbolo non ſolam Chriſti charitatem accipiunt, ſed & ipſum cor ejus quaſi charitate ſuccenſum ſimul obtrudunt. Atque adeo non tam ſymbolum corde explicant, quam cordi ſymbolum complicant, ut plenius alibi dicetur, & ſupra etiam tactum eſt. Huic autem præpoſteræ, & *abuſivæ* ſignificationi, quæ vel ſymboli nomen, ut in eorum ſonat ore, ſuſpectum, & *æquivocum* reddit, vix alia fortaſſe ratione, tuta ſaltem ac certa, occurri poſſe videtur, quam ſi, aut ab hoc Feſto arceatur objectum *cordis* etiam *ſymbolice* ſumpti, aut illius titulus ita mutetur in alium,

Digitized by Google

alium, ut hominum licentia eo abuti nequeat in perniciem, & diſſolutionem integritatis Corporis Chriſti (a).

Simile quiddam a Patribus noſtris factum fuiſſe legimus in voce ὑπόστασις, *hypoſtaſis*; Accidit S.Hieronymi ætate, ut ex græcæ hujus vocis abuſu labes & damnum gigneretur SS. Trinitatis myſterio. Hinc, ut obſervat S. Thomas 1. *p. q.*29. *art.*3. *ad* 3. *Hieronymus dicit ſub hoc nomine venenum latere: quia antequam ſignificatio hujus nominis eſſet plene nota apud Latinos, Hæretici per hoc nomen ſimplices decipiebant, ut confiterentur plures eſſentias, ſicut confitentur plures hypoſtaſes: propter hoc quod nomen ſubſtantiæ (cui reſpondet in græco nomen hypoſtaſis) communiter accipitur apud nos pro eſſentia*. Oportuit itaque huic malo efficax aliquod & præſens adhibere remedium. Quale iſtud fuerit, accipe ex eodem S. Thoma *art.*2. *ad* 2. *Quia nomen*, inquit, *ſubſtantiæ, quod ſecundum proprietatem ſignificationis reſpondet hypoſtaſi, æquivocatur apud nos, cum quandoque ſignificet eſſentiam, quandoque hypoſtaſim: ne poſſit eſſe erroris occaſio, maluerunt pro hypoſtaſi transferre ſubſiſtentiam, quam ſubſtantiam*. Sicut igitur ad ſervandam in Deo unitatem eſſentiæ explodere oportuit ambiguam ſubſtantiæ vocem etiam pro *hypoſtaſi* ſumptam, ſic ad ſervandam in cultu Chriſti unionem partium opportunum videretur, aut tollere ex hoc Feſto objectum verſatile, aut ſaltem immutare ambiguum titulum *cordis* etiam *ſymbolice* ſumpti. Quod tamen nemo a me audacter dictum interpretetur. Quicquid enim & ſcribo, & ſentio, ſupremo Catholicæ Fidei, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ Judici Pont. Maximo decernendum caſte ſanċteque ſubjicio.

Porro ad magis magiſque oſtendendum, quam facile fiat, ut plerique hujus Feſti titulo, ac denominatione abutantur, cæteris, quæ jam dicta ſunt, & hoc addere mihi liceat. Quod olim multi

(a) S.mem. Bened.XIV. de Canonizat. lib.4. part 2. cap.31 narrat Sac.Rit.Congr. an 1697. noluiſſe Monialibus Viſitationis Beatiſſimæ Virginis ſub inſtituto S. Franciſci Saleſii concedere Miſſam in honorem ſacratiſſimi Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed ejus loco concedere decreviſſe *Miſſam quinque vulnerum Jeſu Chriſti*, decretum approbante Pont. Max. Innoc.XII. Exſtat etiam Miſſa de *Paſſione Domini* in Miſſali Romano: & alicubi, ut Venetiis, ſolemne officium *ſanctiſſimi Redemptoris* cum octava celebratur Dominica III. Julii.

multi ad impediendam iſtius Feſti inſtitutionem, inſolens eſſe dictitabant in Eccleſia de puris ſymbolis Feſta fieri, id, eo jam obtento, Patroni Cordis vertere moliuntur in rem ſuam, ut in *objectum cultus* non uti *purum ſymbolum*, ſed & *proprie* venire contendant cor ipſum carneum Jeſu. Id ego vix crederem, niſi præter expectationem hiſcemet auribus, conceptis verbis, uſurpatum accepiſſem a Viro cordato, quicum longam habui de *ſymbolo compoſito* incidentem quæſtionem. Quod tunc ego contendenti mecum homini repoſui *pro puro ſymbolo* (*a*), decretum ſcilicet, mentem-

(a) Errant Adverſarii noſtri, ſi putant *Feſtum Cordis Jeſu* a S R. Congr. permiſſum ferre ſecum cultum eo die directum proxime & immediate, vel in unum cor carneum, & reale Chriſti ſimpliciter conſideratum, vel in idem cor quatenus ſymbolum ſimul eſt caritatis Chriſti, vel in ipſum *nudum ſymbolum*, quod aliud non eſt, quam cor figurate & metaphorice ſumptum eo pacto, quo *cor* ſumitur in ſcripturis ſanctis quum Deo ipſi tribuitur, *Gen.vi. v.6. Jerem xix. 5. & xxxij. 5. 1.Reg. xiij. 14., & Actor. xiij.* 22. In his enim locis *cor* per ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicitur, ducta ſimilitudine ex inteſtino muſculo humani corporis, ab ipſo ſcilicet hominis corde, ejuſque officiis.

Ac ſaoe dicere velle *Cor* Chriſti priori illo ſenſu acceptum objectum eſſe hujus feſti ex nutu, & ſententia iſtius ſacri Senatus, nobilis & inſignis impoſtura eſſet. Idque, dum ingenui ſint, Adverſarii ipſi fateri coguntur, qui *cor carneum* Chriſti, quatenus illud ipſum præterea eſt *ſymbolum* caritatis ejus, ex nuperrimo iſtorum ampliſſimorum Patrum decreto objectum eſſe ajunt plenum, & adæquatum iſtius Feſti. Sed & in hoc vehementer allucinantur, nec ſatis digne de tantorum Patrum ſapientia, ac religione ſentiunt. Si enim hi permittere voluiſſent in hoc Feſto cultum directum proxime & immediate in Cor Chriſti carnale, cum eo tamen addito, ut conſideraretur etiam tamquam ſymbolum amoris infiniti ejuſdem Chriſti erga homines, duo ſtatuere debuiſſent; unum, quod & periculoſum in religione eſt, & a S.Congregationis mente ſemper alienum fuiſſe oſtenditur; alterum, quod ſupervacaneum omnino eſſet, & Chriſti dignitati parum congruum videri poſſet. Quid enim neceſſe fuiſſet cordi naturali Chriſti addere *ſymbolum*, quaſi cor Chriſti, adorandum directe eſſet, ut pars realis corporis Chriſti, ac præterea etiam ut ſymbolum caritatis? Sic enim ſymbolum ipſum *coadoraretur* cum corde, & ita conſtitueret objectum adæquatum cultus, quod ne ipſis quidem oppugnatoribus noſtris arridet. Neque enim crediderim illos conſiderare velle *ſymbolum caritatis* motivum, & cauſam eſſe cur adorandum ſit cor carneum Chriſti; nihil enim eo magis ridiculum, & a ratione aberrans excogitari poſſet. Indignum deinde eſſet Cor Chriſti naturale proponere adorationi fidelium tamquam *ſymbolum amoris*. Neque id ferret libenter Catholica fides, ſicuti nec libenter ferret, ut humanitas Chriſti ſic adoraretur, ſive in propria ſpecie, ſive in ſacramento Altaris, ne anſa aliqua præberetur errandi cum Phantaſiaſtis, vel Calviniſtis. Dicemus ne ergo cultum in hoc Feſto dirigi in unum cor ſymbolicum, ſive in nudum purumque ipſum *ſymbolum caritatis*? Id ego mallem; ſic enim ab omni erroris periculo, & offenſione cultus cordis ſymbolici alienus penitus eſſet, ſed ne hoc quidem ſentiendum eſt. Itaque *Cor* Chriſti ſymbolicum accipiendum puto, non ut objectum cultus, ſed ut nudum titulum, unde Feſtum denominatur; verumque adorationis objectum eſſe arbitror, ut *quo* quidem *charitatem Chriſti*; ut *quod* autem *Chriſtum* ipſum φιλάνθρωπον *amatorem hominum*; quo nihil frequentius in Orientalium præſertim Liturgiis, aliiſque Eccle-

temque exploratam ſacræ Congregationis Rituum, id ille primum ſubtiliter tentavit eludere, objectans nimirum, charitatem Chriſti rei ſignificatæ vim habentem, non eſſe parem objecto cultus, quod in formis non fundatur abſtractis, ſed in ſubjecto ſubſiſtente. Aſt ea, quam adhibui diſtinctione fractus, quôd nempe res abſtracta, quæ ſine corde venit ſub ſymbolo cordis puro, (hoc eſt una Chriſti charitas,) non ſe habet ad cultum, de quo agitur, ut objectum *quod*, ſed ut objectum *quo* (*a*); Sentienſque ſimul quod ipſa charitas, ut habitum innuens, vel actum, qui nonniſi ſuppoſitorum ſunt, ingenio ſuo cultum contrahit ad rem concretam, ideſt ad totum Chriſtum; mox alio ſe vertit, & recurrens ad factum, viritim impugnare cœpit quam ſupra poſui mentem Sac. Congregationis de puro, ac nudo cordis ſymbolo. Sed & verba decreti, quæ legenti ſubobſcura nec feliciter expoſita difficultatem aliquam ingerere videbantur, uti mihi tunc oppoſita fuerunt, ea a me ſoluta, & tam recta ac dilucida interpretatione explicata ſunt, ut de *puro ſymbolo* in eo Sac. Congregationis decreto, luculenter tradito nullus eſſe poſſit ambigendi locus: cui tamen nec ille acquievit, nec alii ejus ſimiles, qui cor carnis intuentur, acquieſcent unquam. Neque id temere dicimus, ſed more noſtro auctorem ſequimur S.Thomam 22. *q.*122. *art.*3.*corp. Ille autem*, *cu-*

V *jus*

Eccleſiaſticis eorum libris occurrit. Nihil enim neceſſe eſt commemorare, aut ſcripturæ loca, aut Patrum teſtimonia, aut Rituales libros Eccleſiæ Latinæ, in quibus & Chriſti *caritas*, & Chriſtus animarum, & hominum amator commendatur. Nec defuit cauſa, cur Sac. Congregatio Feſtum de caritate Chriſti ſub titulo cordis ſymbolici inſtitueret. Voluit enim auferre cultum, qui hoc die alicubi directe deferebatur uni cordi carneo; quod nunquam conceſſum antea fuerat tamquam quid periculoſum fidei, & plane novum atque ſuſpectum in Eccleſia, & ideo Feſtum appellavit Cordis ſumbolici Jeſu. Hac autem ratione nudus is titulus argumentum non eſt cultus, aut permiſſi, aut inſtituti erga Cor Chriſti. Sunt enim & dies alii feſti in Eccleſia a re denominati, quæ tamen non eſt objectum cultus, uti eſt vel Feſtum Purificationis S. Mariæ Virginis dictum apud Græcos *hypapante*, ſive *occurſus*: Feſtum *Sanctorum luminum*, de quo mentionem facit S. Greg. Nazianz. Dominica *in ramis palmarum*: Dominica *in albis*: Feſtum *Pentecoſtes*: Fer.6. *in Paraſceve*, & alia id genus plura apud Latinos.

(a) Objectum *quod* eſt id quod terminat cultum, hoc eſt totum ſubſiſtens in rationali natura; objectum vero *quo* unde perſonæ cultus debetur, ideſt excellentia illa naturalis, acquiſita, vel gratuita, quæ cultui cauſam præbet, vel principium. Cujuſmodi diſtinctionis auctorem habemus S. Thomam 3 *p. q.*17. *art.*2. *ad* 4. ut viſum eſt *in Nota* ad *cap.*38. *p.*139.

Digitized by Google

jus animus implicatus eſt alicui cultui indebito, *non poteſt ſimul debitum Dei cultum ſuſcipere*. Interim tamen, ut ſuam tegant reſiſtentiam aliquo obſequii prætextu, illud cauſantur, & in eo firmiter perſtant, quod Feſta non agantur de puris ſymbolis.

CAPUT XLII.

Cultus objectum ſumi etiam poteſt ex puris ſymbolis. Connexio, quæ ponitur a Patronis cordis, inter ſymbolum, & ipſum cor, purgari non ſinit novum feſtum a nota cultus falſi. Idque multis evincitur argumentis.

QUod objectum cultus ſumi queat etiam ex ſymbolis puris, hoc eſt ſolutis a compoſitione cum re per vocem expreſſa, & compoſitis tantum cum re ſignificata, quod eſt ſymboli proprium, argumento eſſe poſſunt affinia Feſta cum Nominis Jeſu, tum Vultus ejus. Utrobique ſiquidem Jeſu Nomen, ac Vultus in modum accipiuntur nudi ſymboli. Nomen enim non componitur cum voce Jeſu quam exprimit, ſed cum virtute ſalutari quam ſignificat: Vultus autem cum Imagine Chriſti, quam ſignificat, non cum parte quam exprimit, corporis. Primum illud nos docet S. Thomas 22. *q.* 122. *art.* 3. *ad* 5. ubi ait, *quod Nominibus Dei debetur reverentia ex parte rei ſignificatæ*, *quæ eſt una*; *non autem ratione vocum ſignificantium*, *quæ ſunt multæ*; uti & alterum 3. *p.* *q.* 25. *art.* 3. *ad* 4. ubi *quod inter Apoſtolicas traditiones eſt Imaginum Chriſti adoratio. Unde & (a) Beatus Lucas dicitur depin-*

(a) Sacras Imagines a S. Luca depictas recentiores critici S. Lucæ Evangeliſtæ prorſus abjudicant; ſed eam tamen, unde Feſtum emerſit Vultus Sancti, adjudicare non poſſunt alteri Lucæ tardioris ævi, quod communi olim præbuiſſe cenſent occaſionem errori. Sui quippe Vultus imaginem, ut pie creditur, linteo Chriſtus impreſſit, quæ Romæ ex antiqua traditione ſervatur, & in Baſilica colitur S. Petri; *cujus hiſtoriæ mentionem facit Albericus in ſuo dictionario*, *& hiſtoria antiqua manuſcripta apud Bibliothecam Vaticanam*, *ubi narratur quomodo*, *& quando fuerit Romam adducta*, ſicut habet Card. de Lugo *de Incarnat. diſput.* 36. *ſect.* 1. *n.* 1. Sed conſulendus inprimis eſt Bened. XIV. in lib. 4. de Canoniz. SS. p. 2. c. 31. ubi multo plura & ſpectabiliora

Digitized by Google

depinxiſſe Chriſti Imaginem, quæ Romæ habetur. Et quod ejuſmodi cultus totus feratur in rem ſignificatam, hoc eſt in unum Chriſtum, nullus vero in rem ſignificantem, unde Chriſti conflatur imago, quod ad modum pertinet puri ſymboli, præclare monet S. Doctor 22. *q.*81. *art.*3. *ad* 3. ubi *quod Imaginibus non exhibetur religionis cultus ſecundum quod in ſe ipſis conſiderantur quaſi res quædam, ſed ſecundum quod ſunt imagines ducentes in Deum incarnatum. Motus autem qui eſt in imaginem, prout eſt imago, non conſiſtit in ipſa, ſed tendit in id cujus eſt imago. Et ideo ex hoc quod imaginibus Chriſti exhibetur religionis cultus, non diverſificatur ratio latriæ, nec virtus religionis*. Et apto etiam id confirmat exemplo a moſaycis legalibus ſumpto 3. *p. q.*8. *art.*3. *ad* 3., ubi *quod Sancti Patres non inſiſtebant ſacramentis legalibus tamquam quibuſdam rebus, ſed ſicut imaginibus, & umbris futurorum. Idem autem eſt motus in imaginem, in quantum eſt imago, & in rem, ut patet per Philoſ. in lib. de memor., & remin. Et ideo antiqui Patres ſervando legalia ſacramenta ferebantur in Chriſtum per fidem, & dilectionem eandem, qua & nos in ipſum ferimur*; & infra *q.*25. *art.*3. *arg. Sed contra cum Damaſceno inducit Baſilium dicentem: Imaginis honor ad prototypum pervenit, id eſt exemplar*. Præſtat tamen hæc ſtatim miſſa facere, ne digredi videamur a propoſito. Ut ut enim res iſta ſe habeat, & Feſta conceſſerim non agi de puris ſymbolis, ſtat nihilominus, imo vero propter hoc, quod Adverſarii Feſto Cordis jam potiti, telum convertunt antiquum in proprium clypeum, ſuarumque inventionum præſidium. Arrepta ſiquidem, quæ hinc ſequitur, connexione Feſti cum *ſymbolo compoſita*, quo fit, ut objecto cultus admiſceatur, ſubſtruaturque carnale Chriſti Cor, nihil eſt quod ſibi metuant ab objecto cordis ſpiritualis. Quæ quum ita ſint, non aliud utique reſtat, unde veritas

liora tum ex Mſs. tum ex editis veterum, recentiumque Scriptorum elucubrationibus de hac ſacra effigie, ſeu *inſigniſſima*, ut eam appellat, *reliquia* Chriſti, collegit. His accedit Codex lectionarius XI. vel certe XII. ſeculi Eccleſiæ Tudertinæ, in quo fuſe hujus Imaginis hiſtoria narratur. Quod acceptum referri debet beneficio cl. Paſinii Patritii Ariminenſis, qui per hæc tempora tanta cum doctrinæ, pietatis, & paſtoralis vigilantiæ laude illius Eccleſiæ Epiſcopatum gerit.

ritas cultus, & integritas Dominici Corporis in tuto ponantur, quam ut diſrumpatur ſimul uterque nexus, & ſymboli cum Corde, & Cordis cum ſymbolo; abſciſſo nempe Feſto Cordis vel in ſymboli morem accepti; aut ad tollendam quamcumque occaſionem abuſus ita ſaltem objectum hujus Feſti explicetur, ut nullum in eo locum habeat Cor Chriſti carnale ſecundum ſe ſpectatum, ſed *una Chriſti caritas* erga homines eo die coli intelligatur, hoc eſt totus Chriſtus propter eam.

Et id quidem, dum ita tamen videatur Supremo Eccleſiaſticæ diſciplinæ Moderatori, citra ullam penitus inconſtantiæ notam: Nam, ut recte ait S. Thomas *ſuppl. q.* 54. *art.* 4. *ad* 4. *Quod aliquo tempore utiliter conceditur, alio ſalubriter prohibetur* (*a*). Maxime vero quod ejuſmodi ſymbolum confundi facillime poteſt cum proprietate rei quam ſignificat. Non enim exhibet aliquid a re vili ſumptum, vel extranea; cujuſmodi eſſet juxta Scripturarum teſtimonia ſymbolum agni (*Joan.* 1. 1. *Petr.* 1. *Apocalyp.* 5. *& ſeqq.*) ſerpentis (*Joan.* 3.) leonis (*Apocalyp.* 5.) vitis (*Joan.* 15.) petræ (1. *Cor.* 9.); ſed a corde ſenſibili, quod proprium eſt ac præcipuum inter humani corporis viſcera; habetque in Chriſto Domino infinitæ dignitatis gradum ob hypoſtaticam ejus unionem ad Verbum; unde vix fieri poteſt, quin detur occaſio, ut ſymboli vice poſitum, non erronee ſumatur, ac proprie accipiatur pro carnali Chriſti corde. Quod in ſymbolis vitandum monet Scripturarum exemplo, Auctor libri de *cæleſt. hierarch. cap.* 2., & poſt eum S. Thomas 1. *p. q.* 1. *art.* 9. *ad* 3. ubi, *Magis eſt*, inquit, *conveniens quod divina in ſcripturis tradantur ſub figuris vilium corporum, quam corporum nobilium* ...

quia

(a) Idque ſæpius teſtati ſunt etiam Summi Pontifices, ut præſertim videre eſt *Can Sententiam* 35. *q.* 9 *Sententiam Romanæ Sedis* (in re tamen ad diſciplinam ſpectante) *non negamus poſſe in melius commutari: cum aut ſibi ſubreptum aliquid fuerit, aut ipſa pro conſideratione ætatum, vel temporum, ſeu gravium neceſſitatum, diſpenſatorie quiddam ordinare decreverit; (quoniam & egregium Apoſtolum Paulum quædam feciſſe diſpenſatorie legimus, quæ poſtea reprobaſſe dignoſcitur*). Et *Can. Grave*, qui mox ibidem ſequitur. *Grave non oportuit videri piiſſimis mentibus veſtris cujuſcumque retractari judicium: quia veritas ſæpius exagitata magis ſplendeſcit in luce: & pernicies revocata in judicium, gravius & ſine pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus eſt juſtitiam ſæpius recenſeri.*

Digitized by Google

quia per hoc magis liberatur humanus animus ab errore. Manifeſtum enim apparet, quod hæc ſecundum proprietatem non dicuntur de divinis, quod poſſet eſſe dubium, ſi ſub figuris nobilium corporum deſcriberentur divina: maxime apud illos, qui nihil aliud a corporibus nobilius excogitare noverunt. Et propius ad rem noſtram 3. *p. q.*48. *art.*3. *ad* 1. ubi *quod licet veritas rei reſpondeat figuræ quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia: quia oportet quod veritas figuram excedat. Et ideo convenienter figura hujus ſacrificii, quo caro Chriſti offertur pro nobis, fuit caro non hominum, ſed aliorum animalium ſignificantium carnem Chriſti, quæ eſt perfectiſſimum ſacrificium*.

His adde, feſtum cordis affine dici Euchariſtiæ ſacramento, in quo Chriſtus latet non ut in ſigno vel figura, ſed vere, realiter, & ſubſtantialiter, ut contra recentiores hæreticos definivit Tridentinum *ſeſſ.*13. *can.*1. Quî vero fieri queat, ut rudi multitudini hoc imbutæ Catholico dogmate, ſit captu facile, ne dicam ſuaſu: Cor Jeſu in Feſto ſuo, ſecus ac in Feſto Corporis, non proprie teneri, ſed tropice, ingenii mei tenuitate percipere non poſſum; & tamen ſine hoc ſervari nequit *limitate* permiſſa ſymboli ratio. Nam ut ait S. Thomas 3. *p. q.*5. *art.*1. *ad* 3. *figura debet reſpondere rei quantum ad ſimilitudinem, non quantum ad rei veritatem. Si enim ſecundum omnia eſſet ſimilitudo, jam non eſſet ſignum, ſed ipſa res*. Quæ quidem omnia cum Adverſariorum abuſu conjuncta, triſtique ipſo rerum experimento comprobata, Feſtum Cordis, vel in ſymboli modum, aut tollendum, aut alia ſaltem denominatione donandum eſſe convincunt. Quod tamen, ut dixi, & iterum repeto, non opis eſt noſtræ. Ad nos enim tantum pertinet, cum obſequium præbere vigenti Feſto, tum conari pro viribus, ne interim migret in inviſum illud *materialiſmi* monſtrum, quod Chriſti Corpus eviſceratum faceret, & veritatem proſtitueret religioſi cultus humanarum adinventionum figmentis juxta monitum Gloſſæ ex Ambroſio ſumptæ *ad Coloſſ.*2. ubi dicitur, ut narrat S. Thomas 22. *q.*93. *art.*1. *corp. Quod ſuperſtitio*

tio eſt, quando traditioni humanæ religionis nomen applicatur. Et præmittit etiam ſupra *q.92. art.2. ad* 3. apteque ſimul deſcribit, ut alibi viſum, quaſi proprium characterem cultus falſi, quo Feſtum inficitur Cordis Jeſu. *Iſta*, inquit, *ſimulata religio nihil eſt aliud, quam cultus Deo vero exhibitus modo indebito* (*a*). Et propius etiam ad idem thema cultus falſi 22. *q.*44. *art.*1. *corp.*, ubi ſuper iis Apoſtoli verbis 1. *ad Tim.*1. *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*: quorum ultimum ordinatur, ut ait *ad habendam rectam fidem, ſicut illa quæ pertinent ad divinum cultum*: hæc ſtatim ad rem apte ſubjungit, *fides autem ficta trahit affectum in id, quod de Deo fingitur, ſeparans a Dei veritate.*

CAPUT XLIII.

Cultus Cordis carnei falſus comprobatur comparatione ducta ex hypotheſi novi cultus, quo veneranda proponeretur anima Chriſti, vel pars ejus. Non decet cultum duci ab excellentia minori in concurſu majoris. Excellentia major non derogat minori, ſed ejus auget dignitatem.

QUod cultus Cordis non ſymbolice ſumpti, ſed proprie, quaſi jure ſuo ſibi vindicet, ut ſit *ſeparans a Dei veritate*, quemadmodum ſuperiori capite dicebamus, innumeris pene argumentis effectum eſt, eo ferme tendentibus tam ſingulatim, quam univerſim, ut falſi vitio coarguatur infectus ob ingeſtam diviſionis ſpeciem contra integritatem Dominici Corporis. Sed ut id etiam rurſus ac dilucidius appareat, ponamus per hypotheſim, quod pius aliquis exiſtat contemplator, qui

(a) Quod ibidem *in corp.* ad primam refert ſuperſtitionis ſpeciem; eo namque loci ita ſcribit: *Diverſificantur ergo ſuperſtitionis ſpecies. Primo quidem ex parte objecti. Poteſt enim divinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus eſt, ſcilicet Deo vero; modo tamen indebito: Et hæc eſt prima ſuperſtitionis ſpecies. Vel ei cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicumque creaturæ. Et hoc eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas ſpecies dividitur ſecundum diverſos fines divini cultus.*

qui novum cultum invehere moliretur ſanctiſſimæ *Animæ* Chriſti. Id quidem, quod ſciam, hactenus a nemine tentatum eſt, nec bibulis auribus excipiendum eſſet, opinor, ſi quando tentari contingeret. Sed ea poſitione facta videre juvat ad rem noſtram, verus ne cultus ille renunciandus eſſet, an falſus? Hujus rei definitio petenda eſt ab objecto cultus. Et ſi quidem non is animam ſpectet proprie ſumptam, ſed tropice, quatenus per ſynecdochen ſignificat totum hominem, ut ad eum Scripturæ locum *Gen.* 46. ubi dicitur. *Cunctæ animæ, quæ egreſſæ ſunt de femore Jacob, ſexaginta ſex*: obſervat S. Thomas 1. *p. q.* 118. *art.* 2. *ad* 1. inquiens nimirum, *quod in auctoritate illa ponitur per ſynecdochen pars pro toto, ideſt Anima pro toto homine* (*a*): Cultus ejus etſi forte ſupervacaneus, falſus tamen dici non poſſet. At ſi Chriſti animam proprie ſumptam reſpectet, a veritate ſtatim deſciſceret, eamque ſejunctam ſignificaret a carne. Caro enim non eſt quid animæ; & ſic cultus terminans ad animam Chriſti, eam connotare videretur in ſtatu ſolitario quaſi verſaretur *extra corpus*, quod exprobrat S. Athanaſius *epiſt. ad Adelphium*. *Cum ſciamus*, inquit, *Verbum carnem eſſe factum, illud jam in carne ſitum Deum agnoſcimus. Quis igitur tam vecors eſt, ut Domino ita loquatur: Abſiſte a corpore, ut te adorem*? & S. Auguſtinus *lib. de ver. relig. cap.* 55. *Animam ipſam quamvis Anima vera ſit, cum falſa imaginatur, colere non debemus*. Et infra. *Non ſit*, ait, *nobis religio vel ipſa perfecta, & ſapiens anima rationalis*. Et diſerte docet, ut ſæpius viſum eſt, S. Thomas 3. *p. q.* 25. *art.* 1. *ad* 3.

Quam

(a) Atque ita *Vaſqueſius* agens de oratione illa, quæ incipit *Anima Chriſti ſanctiſica me* (ut refert Card. de Lugo *de Incarnat. diſput* 35. *ſect.* 3. *n.* 66.) *negat ibi nos loqui proprie cum ſola anima, imo dicit nos loqui cum Chriſto, a quo petimus ſanctificationem propter merita animæ ipſius; ſicut etiam in verbis ſequentibus dicimus*. Corpus Chriſti ſalva me. Sanguis Chriſti inebria me. Aqua lateris Chriſti lava me. Paſſio Chriſti conforta me. *Ubi non loquimur cum corpore, nec cum ſanguine Chriſti, & multo minus cum ejus paſſione, aut cum aqua, ſed cum Chriſto, a quo hæc omnia petimus per corpus, per ſanguinem, per paſſionem &c. Sicut etiam quando petimus a Cruce*. O Crux ave ſpes unica, auge piis juſtitiam, reiſque dona veniam, *non oramus Crucem, ſed Chriſtum per Crucem. Sic oramus Chriſtum per ejus animam, a qua quidem ſanctificationem non poſſumus petere; hæc enim eſt opus Dei*.

Quam autem cultus animæ ſeparationem innueret inter ſpiritum, & carnem Chriſti, eam pariter innuit inter cor, & cætera membra cultus, de quo agitur, cordis carnei. Et notatu dignum eſt, quod prima ſeparatio nonnulla ratione defendi poſſet; nam in triduo mortis anima Chriſti fuit a carne ſeparata; cor autem ne tum quidem ſeparatum fuit a Domini Corpore. Sed finge rurſus, contemplatorem illum non hic ſiſtere, ſed arbitratu ſuo progredi velle uſque ad diviſionem animæ: ita ut novo cultu, pro rationali, & ſuperiori, proſequi mallet ſenſitivam, & inferiorem partem animæ Chriſti. Quis eum ſic delirantem ferre poſſet? Ita namque proprium faceret Filio Dei quod legitur appropriatum ei per figuram *Pſal.*101. *v.*7. *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*, & *v.*8. *Et factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*. Et alibi *Pſal.*21. *Ego autem ſum vermis, & non homo*. Et *Job.*25. *Et filius hominis vermis*. Hujus autem tam abſurdi, & audacis delirii rationem profert S. Thomas 3. *p.q.*5. *art.*4. *corp. Quia*, inquit, *per ſolam mentem anima noſtra differt ab anima beſtiali. Unde dicit Auguſtinus in lib.*13. *Quæſt.* (*q.*80.) *quod ſecundum hunc errorem ſequeretur quod Filius Dei beluam quamdam cum figura humani corporis ſuſcepiſſet. Quod iterum repugnat veritati divinæ, quæ nullam patitur fictionis falſitatem*. Hic certe nobiſcum adverſus inſanum illum, ac beluinum *animæ* Chriſti ſectorem, declamaturos putarem etiam Cordicolas noſtros. Nam *ſi aliquid*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.*108. *art.*5. *corp.*, *nominari debeat nomine deſignante proprietatem ipſius, non debet nominari ab eo quod imperfecte participat; neque ab eo quod excedenter habet; ſed ab eo quod eſt ſibi quaſi coæquatum. Sicut ſi quis velit proprie nominare hominem, dicet eum ſubſtantiam rationalem; non autem ſubſtantiam intellectualem: quod eſt proprium nomen Angeli, quia ſimplex intelligentia convenit Angelo per proprietatem, homini vero per participationem. Neque SUBSTANTIAM SENSIBILEM, quod eſt nomen bruti proprium, quia ſenſus eſt minus quam id quod eſt proprium homini; & convenit homini excedenter*-

cedenter præ aliis animalibus. Quod ſi nomen Cordis teneatur in novo Feſto pro nudo *ſymbolo*, tum omne illius abſurditatis periculum evitabitur; & jure ac merito nobiſcum, ut dicebam, conjungi poterunt etiam Cordicolæ noſtri contra inſanam illam, quam finximus, contemplativi hominis licentiam.

At ſi nomen cordis uſurpent etiamnum pro corde carnis, indignari jam illi deſinant, ſeque ipſos eo non homi. ne, ſed hominis figmento deſcriptos agnoſcant. Quid enim eſt aliud perpetuum illud quod in eorum perſonat ore, elogium cordis, ut ſit *comprincipium ſenſibile* affectionum, & virtutum omnium Hominis Dei, niſi purum putum elogium ſenſitivæ, & inferioris partis *Animæ* Chriſti? Comprincipium quippe ſenſibile non poteſt efferri ad influxum eorum, quæ ſunt ſupra ſenſum, ſed illorum tantum pati poteſt defluxum per modum redundantiæ cujuſdam, ut late demonſtravimus in memoratis *Obſervationibus* noſtris ad Feſtum Cordis Jeſu. Sic autem falſa, & erronea illorum opinio de objecto cultus, partitur ſimul & Corpus, & Animam Chriſti. Partitur Corpus, quia ſeparat ab eo Cor. Partitur Animam, quia ſeparat in ea ſuperiorem, & rationalem partem ab inferiori, & animali, & ſic *ex parte diſcorticavit eas*, ut dicitur *Gen.*30. *v.*37. Quod ad mentem S.Thomæ loco citato 3.*p.* *q.*25.*art.*1. recte perpendit Card. de Lugo *de Incarnat. diſput.*35. *ſect.*3. *n.*64. *Nam licet ratio honorandi ſit Anima, vel aliqua pars: ſed tamen honor exhibetur toti ſuppoſito. Cujus ratio videtur eſſe ea, quam aſſignavimus, quod ſcilicet collocatio in ſede, qualis per adorationem ſignificatur, non poteſt fieri niſi totum ſuppoſitum in ſede collocetur. Quare licet ratio collocandi ſeu adorandi poſſit eſſe una pars, res tamen, quæ adoratur, eſt totum ſuppoſitum ſaltem, ut diſtinctum ab adorante. Unde ſi in illo ſuppoſito eſt aliqua excellentia exigens altiorem ſedem, & adorationem, jam eo ipſo videtur fieri contra reverentiam debitam, collocando illud in ſede inferiori, attendendo ad excellentiam aliquam inferiorem, quæ ſimul in ipſo reperiatur.* Et *n.*67. *Hinc enim oritur, quod in omni propria*

 ado-

Digitized by Google

adoratione debeamus attendere ad ſupremam excellentiam, quam habet quod adoratur, ne erremus in aſſignanda ſibi debita ſede, & loco, quem debet habere reſpectu noſtri. Et melius etiam ſupra *n.*61. ubi *non licere*, ait, *uti tali præciſione dignitatis in ordine ad cultum exhibendum, quia ex tali præciſione ſequitur, quod ipſius prætextu tractetur perſona indecenter, & aliter ac re ipſa tractari deberet. Quare quando dicimus, unicuique exhibendum eſſe cultum ipſi debitum ratione majoris excellentiæ quam habet, intelligi debet ratione majoris excellentiæ, quam habet a parte rei, licet per noſtram cogitationem ab illa excellentia præſcindi poſſit*.

Ex quo tamen nihil deperit, ſed nova potius fit acceſſio dignitatis tum cordi tum ſenſitivæ parti Animæ Chriſti, ut animadvertit S. Thomas 3. *p. q.*25. *art.*1. *ad* 3. ubi præmiſſo quod *illi perſonæ præcipue debetur honor, cui Anima Chriſti unitur*, hæc ſtatim ad rem addit: *Nec per hoc tamen diminuitur dignitas Animæ Chriſti, ſed augetur, ut etiam ſupra dictum eſt*. Supra vero id plene declarat *q.*2. *art.*2. *ad* 2. Ait enim, *quod perſonalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicujus rei, & perfectionem ejus pertinet, quod per ſe exiſtat: quod in nomine perſonæ intelligitur. Dignius autem eſt alicui quod exiſtat in aliquo ſe digniori, quam quod exiſtat per ſe. Et ideo ex hoc ipſo humana natura eſt dignior in Chriſto, quam in nobis, quod in nobis quaſi per ſe exiſtens, propriam perſonalitatem habet, in Chriſto autem exiſtit in perſona verbi. Sicut etiam eſſe completivum ſpeciei pertinet ad dignitatem formæ: Tamen ſenſitivum nobilius eſt in homine propter conjunctionem ad nobiliorem formam completivam, quam ſit in bruto animali, in quo eſt forma completiva*. Quod & infra repetit *art.*5. *ad* 1. *Nec propter hoc ſequitur, quod ſit minoris efficaciæ unio Animæ, & Corporis in Chriſto quam in nobis: quia ipſa conjunctio ad nobilius non adimit virtutem, aut dignitatem, ſed auget. Sicut anima ſenſitiva in animalibus conſtituit ſpeciem, quia conſideratur, ut ultima forma: Non autem in hominibus, quamvis in nobis ſit*

vir-

virtuoſior, *& nobilior*; *& hoc propter adjunctionem ulterioris*, *& nobilioris perfectionis*, *ſcilicet anima rationalis*, *ut etiam ſupra dictum eſt*. Ex quibus ſane deprehenditur, honorem, & cultum ab Adverſariis terminatum ad cor carneum, & ſic ad partem inferiorem Animæ Chriſti, quatenus volunt illud eſſe *comprincipium ſenſibile* omnium affectionum, & virtutum hominis Dei: utriuſque dignitatem imminuere, quia cor ſeparat a corpore, quod ei dignitatem aufert cordis humani; & partem ſenſitivam a rationali, quod eam redigit ad conditionem infimam brutorum.

CAPUT XLIV.

Regula novi cultus in his quæ indifferenter ſe habent ad fidem, eſt judicium ſobrium eligens, quod rationabile præfert obſequium; in iis vero quæ connexionem habent cum fide, eadem eſt cum regula fidei. Cultus cordis carnei ſub poſteriori cadit regula; attamen tum ab hac, tum ab illa deflectit. Hinc falſus arguitur, interiori ſpiritu vacuus, & abnormis.

AT ſi quæramus, unde prodeant tam abſurda conſectaria, quæ jam excutere curavimus tam capite proximo, quam ſuperioribus? non aliunde ſane prodire dicenda ſunt, quam a cœco quodam & præcipiti piarum novitatum ſtudio, quo fit, ne inventores eas exigant ad normam, aut regulam cultus rati. Hæc autem,ut ego ſentio, duplex eſt, & diſpar pro diverſitate rerum, quæ cultui materiam præbent. Et ſi quidem de iis rebus agatur, quæ indifferenter ſe habent ad fidem, opus eſt, ut ſanum, ac ſobrium interveniat judicium rationis rectæ ne conditio deſit *rationabilis obſequii*; qua conditione ſervata cultus in tuto eſt.

Si vero loquamur de cultu, qui myſteria reſpicit fidei noſtræ, (ut de eo cultu dici debet, quem in hoc Feſto putant Adverſarii tribui poſſe, & revera tribuunt *directe* uni cordi carneo Chriſti Domini: reſpicit enim unitatem integerrimam illius gemini corporis tam naturalis, quam myſtici, & dogma adorationis Chriſti,) norma ac regula iſtius cultus rati eadem eſſe debet cum regula fidei,quæ creditis adhæret *propter unum medium, ſcilicet propter veritatem primam propoſitam nobis in Scripturis ſecundum doctrinam Eccleſiæ intelligentis ſane*, ut ait S.Th. 22. *q*.5. *art*.3. *ad* 2. Et ratio eſt, quia cultus hujuſmodi eſt ipſius fidei confeſſio non ore prolata, ſed opere, ut pluries obſervat S. Doctor & præſertim 22. *q*.94. *art*.1. *ad* 1. *Religio non eſt fides, ſed fidei proteſtatio per aliqua exteriora ſigna*. Unde conſequens eſt, ut id genus cultus informari debeat veritate revelata ſecundum intelligentiam Eccleſiæ, ſeu quod idem eſt, fide publica innitatur oportet, non arbitrio privato, & humano, juxta Domini ſententiam *Joan*.4. ubi de Samaritanis ad mulierem dixit: *Vos adoratis quod neſcitis*; *nos adoramus quod ſcimus*, inſtructi nempe per fidem, ut ad verba, quæ ſequuntur, (*quia ſalus ex Judæis eſt*,) obſervat cum Chryſoſtomo S.Thomas *in Catena*. *Scire enim Deum*, *&* *idola deteſtari*, *illinc principium habuit*, *&* *alia dogmata*. Sed & illud apte præmittit: *Judæis autem ſe ipſum connumerat ſecundum opinionem mulieris loquens*, *quaſi Propheta Judæis exiſtens*; *ideo dixit adoramus*, *cum tamen manifeſtum ſit*, *quia ipſe eſt*, *qui ab omnibus adoratur*. Secundum autem fidem publicam, quæ perenni etiam traditione conſtat accepta per manus, Chriſtus Dominus in cunctis myſteriis, in cunctis feſtis adoratur *totus*, & *totum*, hoc eſt cum totalitate humanæ naturæ, & ſic cum corpore toto, ut ſupra ſæpius, & latiſſime probatum eſt. Quum itaque in hoc dogmate conveniant, & convenire debeant etiam Cordicolæ noſtri, abutantur oportet mentali quadam ampliatione, (quæ tamen a veritate æque aberrat, ac reſtrictio mentalis,) unde ſibi caveant, ne proteſtatio fidei, quæ fit in cultu cordis carnei, ab eo dogmate diſſona

na ſit. Ipſa namque ſui facie, utpote cor habens pro *termino*, cæteras arcet corporis partes, quas tamen una ſimul, (ut vulgo dicunt,) eorum complectitur mens. Unde aliud intus, aliud foris agunt. Intus colunt Cor Chriſti cum Corpore, ut ajunt, foris vero ſine corpore, ut opportune detegit S. Thomas 22. *q.*100. *art.*1. *ad* 1. *Sicut*, inquit, *religio conſiſtit in quadam fidei proteſtatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde; ita etiam vitia oppoſita religioni habent aliquam proteſtationem infidelitatis, licet quandoque non ſit infidelitas in mente*. Et ſupra *q.*94. *art.*2. *corp. Nam cum exterior cultus ſit ſignum interioris cultus: Sicut eſt perniciosſum mendacium, ſi quis verbis aſſerat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam eſt pernicioſa falſitas ſi quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod ſentit in mente. Unde Auguſtinus dicit contra Senecam in 6. de Civitate Dei quod eo damnabilius colebat Idola, quo illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum populus veraciter agere exiſtimaret.*

Quas ad hæc Patroni Cordis allaturi ſint excuſationes, non eas hìc moror, ne ſæpius jam actum iterum agam. Sed ab iis incunctanter exquiro, quam ob cauſſam ſeſe cultui dedant, quem his difficultatibus implexum apologetica norint indigere manu? Si verum fateri volunt, non aliam demum afferre valent, niſi quod cultum illum, velut ab eis natum, vel adoptatum, in poteſtatem, & tutelam ſuam receperint. Ut ut itaque rem ſus deque vertas, tota ratio dicti cultus a Cordicolarum *opinione* repetenda eſt. *Sed opinio non habet firmum aſſenſum: Eſt enim quiddam debile, & infirmum*, ut ait S. Thomas 22. *q.*2. *art.*9. *ad* 2. & melius 1. 2. *q.*57. *art.*2. *ad* 3. *Opinio vero, & ſuſpicio poſſunt eſse veri, & falſi: Et ideo non ſunt intellectuales virtutes*. Ab opinione proinde duci nequit ſufficiens cauſa cultus, quippe qui ſpectat tantum *rationabile obſequium* etiam ſecundum principia religionis naturalis, ut ex *Andronico* Peripatetico monſtrat S. Thomas 22. *q.*80. *art. unic. ad* 4. *Euſebia vero dicitur, quaſi bonus cultus: unde eſt idem quod religio. Ideo de ea dicit*

dicit, *quod eſt ſcientia Dei famulatus*. *Et loquitur ſecundum modum*, *quo Socrates dicebat*, *omnes virtutes eſse ſcientias*. Nec eſt cur urgeant, eorum opinionem niti etiam revelatione divina. Hanc enim addentes ſeponere videntur opinionem, quæ ſecum habet annexam formidinem falſi, ejuſque loco ſubſtituere ſuperminentem ſcientiæ certitudinem Fidei. Quænam tamen iſthæc eſt revelatio divina? Non eam quippe legimus in ſacris libris, non habemus eam a traditione, non a Patribus, non a conſenſu Fidelium, aut univerſalis Eccleſiæ, quæ cuncta totum ſemper ſpectant in toto Chriſto, non fruſta, non Cor. Haud alio proinde nos allegant, quam ad revelationem de feſto cordis carnei factam, ut perhibent, Ven. Margaritæ Alacoque, de qua plura ſuo loco dicemus. Hic autem ſatis eſt opponere, quod ea, velut humana, non plus habet certi, quam ſimplex opinio, quæ nil certi habet. Unde S. Thomas 22. *q*.4. *art*.5. *in* 2. *arg*. *Fides*, inquit, *propter ſui imperfectionem non ponitur inter virtutes intellectuales acquiſitas*, *ut patet per Philoſophum in* 6. *Ethic*. Additque *ad* 2. *quod fides de qua Philoſophus loquitur*, *innititur rationi humanæ non ex neceſſitate concludenti*, *cui poteſt ſubeſse falſum*; *& ideo talis fides non eſt virtus*. Recidit ergo in Adverſarios quod Dominus ait *Joan*.4. *Vos adoratis quod neſcitis*.

Unde cor carneum, ſecundum præmiſſa, nullum cultum ſuſcipere poſſet, etiamſi nullam haberet connexionem cum his, quæ ſunt fidei. Proprium enim religionis eſt, ut cum ſapientia cohæreat, hoc eſt cum rationabili notitia ejus quod agitur, & agendum eſt. *Nos autem adoramus quod ſcimus*, ut proſequitur Dominus *Joan*.4. ad quem locum pro commento eſſe valet, quod ait Lactantius *lib*.4. *cap*.3. *Ubi autem ſapientia cum religione inſeparabili nexu cohæret*: *utrumque verum eſſe neceſse eſt*: *quia & in colendo ſapere debemus*, *ideſt ſcire quid nobis*, *& quomodo ſit colendum*: *& in ſapiendo colere*, *ideſt re*, *& actu quod ſcierimus implere*; & infra *cap*.4. *Non poteſt igitur nec religio a ſapientia ſeparari*, *nec ſapientia a religione ſecerni*.

Quid

Quid ergo dicemus de novo cultu cordis carnei, qui non ſe habet indifferenter ad ea, quæ ſunt fidei, ſed connexionem habet cum eis, & quod caput eſt, ab eis etiam manifeſte diſcordat? Nam ſuopte ingenio peſſundat integritatem Dominici corporis, & myſterium quod in ea latet, Unitatis Eccleſiaſticæ. Non ſolum igitur non verus cultus eſt, ſed vero etiam contrarius, quia ſpeciem ingerit a veritate fidei diſſonantem, hoc eſt ab integritate Dominici corporis, & ſimul a *myſteriis*, quæ in ea integritate continentur. *Veri adoratores*, inquit Chriſtus *Joan.*4. *adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* Quibus ex verbis infert cum Chryſoſtomo S. Thomas in *Catena*, qua ſint nota digni, qui cultu ſuo convertuntur ad cor carnis. *Dixit autem: Veros adoratores: ad diſtinctionem falſorum, quoniam quidam ſunt falſi adoratores*. Seſe vero tales eſſe fateri debent vel inviti Cordicolæ noſtri. Ipſi enim, qua Catholici, corde ſuo colere intendunt totum, ac integrum Chriſtum. Ipſi etiam ſi eos interroges, hoc ipſum pleno ore profitentur. Cultus igitur cordis quem monſtrant, ſiſtit tantum in opere externo, quod non religio, ſed religionis ſpectrum, aut ſimulacrum eſt, ut merito dicere queas cum Lactantio *lib.*4. *cap.*3. *Illa enim religio muta eſt, non tantum quia mutorum eſt, ſed quia ritus ejus in manu, & digitis eſt: non in corde, aut lingua ſicut noſtra, qua vera eſt*, de qua nempe cum Theodoreto inquit S. Thomas in *Catena* loco citato. *Et ideo dicit quod veri adoratores non in figura adorabunt, ſed in veritate; quia enim Deus ſpiritus eſt, ſpirituales adoratores quærit; quia vero veritas, veros*. Et quaſi cogens in unum, quæ ſupra ſparſa ſunt, & urgens præſertim diſſonantiam novi cultus a publica fide Eccleſiæ, populique Catholici, ita graviſſime concludit cum S. Auguſtino 22. *q.*93. *art.*2. *corp. Si autem aliquid ſit, quod quantum eſt de ſe, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentiæ inordinatæ refrænentur, aut etiam ſi ſit præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionem, vel contra conſuetudinem communem, quæ ſecundum*

Augu-

Auguſtinum pro lege habenda eſt : Totum hoc reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum : Quia in exterioribus ſolum conſiſtens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Unde Auguſtinus in lib. de vera religione inducit quod dicitur Luc.17. Regnum Dei intra vos eſt. Loquitur (inquit) *contra ſuperſtitioſos qui ſcilicet exterioribus principalem curam impendunt.*

CAPUT XLV.

Sacræ Imagines non proponuntur Fidelibus ad ſolum cultum, ſed etiam adſignificationem, & inſtructionem. Imagines Cordis Jeſu ad ſignificationem detortæ cordis carnalis, apertam contrahunt erroris notam contra integritatem Corporis Chriſti.

ATque hic locus poſtulat, ut aliquid dicamus de imaginibus, quæ paſſim inciſæ, pictæ, vel ſculptæ viſuntur ad exprimendum cultum Cordis Jeſu. Sacræ enim imagines non ſolum pertinent ad exercitium religionis, ſed pertinent etiam *ad fidelium inſtructionem. Simplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua ſenſibilia ſigna : puta per picturas, & aliqua hujuſmodi*, ut ait S. Thomas *3. p. q.66. art.* 10. *corp.* Eoque tendit ſignificativa hæc inſtructio, non immiſſa per aures, ſed oculis hauſta, *ut per hujuſmodi imagines mentibus hominum imprimatur, & confirmetur fides de excellentia Angelorum, & Sanctorum*, prout explicat S. Doctor 22. *q.*94. *art.*2. *ad* 1. Et ſi quidem adhiberentur ejuſmodi imagines pro cultu Cordis ſymbolice ſumpti, quo ſolo ſenſu permiſſæ dici debent, non eſſet quid in eis, quod rei ſignificatæ adverſari videretur. Amor enim tam ſacer, quam profanus non hominum modo, ſed & Scripturarum uſu deſignari ſolet ſub ſchemate cordis,ut opportune nos ipſi monſtravimus *in Obſervationibus* ad Feſtum Cordis Jeſu,quibus etiam typum præfiximus ex imagine inciſa S.Auguſtini, cujus in dextera flammeum emicat cor illius flagran-

flagrantiſſimæ charitatis indicium ac ſymbolum. Res hactenus vitio vacat, & his incluſa limitibus veritatem non lædit rei ſignificatæ. An autem ejuſmodi ſenſu permiſſione utantur dictarum imaginum, qui pro cultu certant cordis carnei, nemo poteſt, ut arbitror, in alterutram partem diſputare, ni vel recta careat cogitandi ratione, vel ea carere putet Adverſarios, qui qua tenaces propoſiti ſui, non eam patiuntur, nec pati poſſunt inconſtantiæ notam, ut coli velint cor carnale, & imagines proferant Cordis ſpiritualis. Idque adeo verum eſt, ut ne huc forte traduci poſſent, argumento ſubjecti verſus:

Dammi figlio il tuo cuor, eccoti il mio.

(quem, ut ſupra memini, inter alias præfert Imago, quæ præficitur orationi Auctoris Galli, & anonymi, quam ego vellicavi in memoratis *Obſervationibus* meis; cor enim ex parte hominis proſtat ibi pro corde ſpirituali juxta illud *Proverb.*23.*Præbe, Fili mi, cor tuum mihi*:) e re ſua putarint vindices oppoſiti cultus exceptionem hanc removere, & amicum eis *materialiſmum* utrinque ſervare. Unde præmiſſo, quem claudicare norunt, verſiculum hunc utrique membro ſub pari ſenſu congruentem, ſubſtituendum duxerunt: *Et mihi eſt cor ſicut & vobis Job.*12. poſt quæ ſtatim, ut egomet vidi, addiderunt alicubi hæc alia verba, quibus exprimendum, communiendumque curarunt aſſertum cultum cordis materialis: *Colitur in Templo Tyrocinii Soc. Jeſu Romæ*. Imago quippe non vim modo, ſed & limites mutuatur ab ejus prototypo, quem hic poſitum cernimus in ipſo carnis corde. Quod autem ſequitur, non alio pertinere videtur, quam ad affectandam auctoritatem dicti cultus, quippequi frequentetur in Urbe Roma, ubi centrum eſt Chriſtianæ religionis, & in Templo Tyrocinii Societatis Jeſu, quod perinde valet, ac ſi diceretur ſub ipſis oculis Summi Pontificis, utpote in Templo, quod eſt e regione Sac. Palatii Apoſtolici in Quirinali, ubi moram degit, ut ubique gentium notum eſt, Supremus Eccleſiæ Paſtor, & Chriſti Vicarius in terris.

Id autem genus imagines, quæ fidelium oculis ea mente, atque animo propoſitæ deprehenduntur, ut ſingularem ingerant ſpeciem cordis carnalis, ni loco ſuo moveantur humanæ mentis ideæ, communem arcent intelligentiam aliarum corporis partium, quippe quæ non cognoſcuntur ſimul, niſi *per unam formam totius*. Contra vero *non ſimul intelliguntur*, ſi proponantur non jam *ſub quadam confuſione, prout ſunt in toto*, ſed ut hic, *cognitione diſtincta, ſecundum quod quælibet cognoſcitur per ſuam ſpeciem*, ut ſenſu ſuo quiſque percipit, & his fere verbis ſupra jam vidimus cum S. Thoma 1. *p. q.*85. *art.*4. *ad* 3. Quare ſi cordis imago non ſymbolice ſumpti, ſed proprie, nata eſt ingenio ſuo partem hanc deſignare ut ſecretam & diviſam a toto, pernicioſum fovet conſequenter errorem, quo labe factatur integritas Corporis Chriſti. Proptereaque eandem ſubit falſitatis notam, quam ſupra deteximus in ipſo cultu cordis carnalis, infertque neceſſariam, & deteriorem ſequelam, ut vulgus ignarum parem concipere, & gerere queat opinionem de ſacro Chriſti Corde, ac de cæteris Sanctorum cordibus, quæ (*a*) mortua veneratur, omnique motu carentia: quod a conditione deſciſceret, & excellentiæ derogaret perfectiſſimi cordis Hominis Dei. Nam ut ait S.Th. *ſupplem.q.*75. *art.*1. *ad* 4. *Cor animalis magis eſt conforme Deo immobili, quando movetur, quam quando quieſcit: quia perfectio cordis eſt in moveri, & ejus quies eſt ejus deſtructio* (*b*): & iterum infra *q.*93. *art.*1. *ad* 1. *Quanto enim aliquid eſt*

(a) Nec errorem amovet quod cor illud ſecus ac cætera, ſit unitum divinitati Chriſti. In eo quippe ſolitario ſtatu non poteſt ſimul haberi tamquam unitum animæ, unde vita erat Hominis Dei ſicut & cæterorum hominum, quorum naturam ſibi copulavit Verbum in unitate perſonæ, ut probe animadvertit S. Thomas 3. *p. q.* 50. *art.* 2. *ad* 3., ait enim *quod anima habet vim vivificandi formaliter: & ideo ea præſente, & unita formaliter, neceſſe eſt Corpus eſſe vivum: Divinitas autem non habet vim vivificandi formaliter, ſed effective: non enim poteſt eſſe corporis forma. Et ideo non eſt neceſſe, quod manente unione divinitatis ad carnem, caro ſit viva: quia Deus non ex neceſſitate agit ſed ex voluntate.* Conſtat autem, ex voluntate Dei mortem, & vitam carnis Chriſti, perinde ac in nobis, ab ejus anima dependere debuiſſe, quod & ipſe teſtatus fuit *Joan.*10. ubi *Nemo*, inquit, *tollit animam meam a me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.*

(b) Cor autem ſine motu, etiam corpori junctum, conſiſtere nequit cum vita totius. Sicut enim *motus cordis totius corporis vita quædam eſt*, ut ait S. Thomas *ſupplem. q.*78. *art.*1. *corp.* ſic etiam, ut inde

eſt perfectius, tanto eſt Deo ſimilius: ſicut etiam cor, cujus vitæ perfectio in motu conſiſtit, eſt Deo ſimilius, quando movetur, quam quando quieſcit, quamvis Deus nunquam moveatur. His itaque de cauſis, quæ circumferuntur imagines Cordis Jeſu, in cenſuram incidunt Tridentini *ſeſſ.25. Decret. de invocat. venerat., & reliq. Sanct., & ſac. Imagin.* Trahuntur enim extra orbitam hujus moderatæ permiſſionis, locoque juvandi offendicula parant religioni fidelium: quod ſacro tradente Concilio cavendum ſummopere eſt. *In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri S. Synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur.* Et S. Carolus *in Concil. Provincial. 1. par. 1. Tit. Quæ ſervanda ſunt in ſacris Imaginibus effingendis. Illud*, inquit, *in primis caveant Epiſcopi, ne quid pingatur, aut ſculpatur, quod veritati ſcripturarum, traditionum, aut Eccleſiaſticarum hiſtoriarum adverſetur. Ne cujus lectio probibetur, ejus imago populo proponatur.*

de mox infert, *ceſſante motu cordis omnia membra mortificantur.* Tam ergo repugnat, ut cujus proponitur cor quaſi ſecretum a toto, corpus ejus ſtatui queat nihilominus vivum cum ipſo, quam quod agi motu poſſit cor, quum expers ſupponitur corporis; quod ejus diviſione interimitur, interemptum corrumpitur, corruptum putreſcit.

CAPUT XLVI.

Ad tollendam ſignificativam diviſionem cordis a corpore in illius imagine carnaliter intellecta nil juvat confugere ad circumſeſſionem aliarum partium. Id convincitur exemplo petito ex imagine Deiparæ Trinitatem gerentis in utero. Erroris monſtrum, quod & in hac ſimiliter cubat, non tollitur per circuminſeſſionem divinarum Perſonarum.

NEC vero periculum abeſt eorum, de quibus antea diximus, errorum, & ſi Cor Jeſu frequentiori uſu non exprimatur ſeorſum a corpore ſub nuda cordis ſpecie, ſed ſub ſpecie totius, quemadmodum fit, dum cor pictum repræſentatur in medio pectoris utraque Chriſti manu hinc inde patefacti. Id enim non aufert ab idea corporis defectum integritatis, nec ab idea cordis conſectarium defectum motus vitalis. Non primum, quia cor eſt objectum formale, & quaſi centrum imaginis, reliquæ vero partes ad objectum pertinent materiale, & mera funguntur circumſeſſione centrifuga, dum ſecedunt a corde per apertum pectoris oſtium. Non vero ſecundum, quia cunctis repugnat naturæ principiis, ut dilaniato pectore non illico ceſſet cum vita motus cordis.

Sed ut melius objectæ circumſeſſionis ineptitudo detegatur, producamus in medium aliam ſimilem imaginem, quam olim in Belgio frequentem jure damnant Joan. Gerſon. *tom.* 3. *ipſius operum Antuerpiæ editorum anno* 1706., & Molanus *Hiſtoriæ ſac. Imaginum lib.* 2. *cap.* 4. & poſt eos Benedictus XIV. *Conſtit.* 141. *§.* 27. *Bullar. Tom.*1. ubi nimirum repræſentabatur Deipara Virgo Trinitatem in utero gerens. Porro ſi præfata circumſeſſio partium removere poſſet ab idea Cordis Jeſu perniciosam ſignificationem diviſionis a corpore,

re, ſimili plane modo valeret etiam ineffabilis circuminſeſſio divinarum Perſonarum ad tuendam imaginem Virginis Trinitatem gerentis in utero ab eo, quem fovet manifeſto errore: *quaſi vero tota Trinitas humanam carnem ex Virgine aſſumpſiſſet*, ut ait Benedictus XIV. loco citato. Virgo namque vera fuit Mater Filii Dei, in quo Pater inhabitat & Spiritûs Sanctus, ut ipſe perhibet *Joan.* 10. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Et iterum *cap.*14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt = Et eadem ratio eſt de Spiritu Sancto*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.*42. *art.*1. *corp.* Ideoque canit S. Ambroſius in hymno ad laudes Feriæ ſecundæ. *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Et *lib.*1. *de Spiritu Sancto cap.*3. *Si Chriſtum dicas: & Patrem, a quo unctus eſt; & ipſum qui unctus eſt Filium; & Spiritum Sanctum, quo unctus eſt, deſignaſti = quia ſcilicet in nomine Chriſti tota Trinitas intelligitur*, ut ad hunc locum inquit S. Thomas 3. *p. q.*66. *art.*6. *ad* 2. Unde Zeno Veronenſis apto ad rem noſtram vocabulo Filium appellat *nobilem cordis Patris inquilinum.*

At cur non valet ad eluendum prædictum errorem hæc ipſa circuminſeſſio in Divinis? Ratio in promptu eſt, quia *cum dicitur Beata Virgo eſt Mater Dei, hoc nomen, Deus, ſupponit pro ſola perſona Filii incarnata*, ut ait S. Thomas 3. *p. q.*35. *art.*4. *ad* 3. Contra vero Trinitatis expreſſio, quam dicta præſefert imago, *ſignificat determinatum numerum Perſonarum*, ut inquit S. Doctor 1. *p. q.*31. *art.*1. *corp. Et propter hoc non poſſumus dicere, quod Pater ſit Trinitas, quia non eſt tres Perſonæ*, ut apte ſubjungit *ad* 1. Idemque valet de Filio prout de Patre, & de Spiritu Sancto. *Neque enim Pater eſt Trinitas, neque Filius, neque Spiritus Sanctus*, ut repetit infra *q.*39. *art.*6. *in* 1. *arg.* Circuminſeſſio igitur extranea eſt a propoſito. Neque enim imago ſolum exprimit Filium, qui ſolus naturam aſſumpſit humanam in gremio Deiparæ, ſed alias etiam Perſonas, quæ Filium pro nobis hominem factum indiviſibili unione concomitantur ob identitatem naturæ divinæ, quæ communis eſt tribus

Per-

Perſonis. Et propterea nullo uſui eſſe poteſt dicta circuminſeſſio divinarum Perſonarum ad arcendum errorem in eo ſitum, quôd tota Trinitas incarnata videatur; , quia nempe juxta typum imaginis, quæ Trinitatem ipſam repræſentat in gremio Virginis, æque ac Filius, expreſſe ac directe ſignificatur etiam Pater & Spiritus Sanctus. Nam ut ait S. Thomas loco citato *ad* 3. *Trinitas abſolute dicitur. Significat enim numerum ternarium Perſonarum*; & præmittit *ad* 1. *quod hoc nomen Trinitas ſecundum etymologiam vocabuli videtur ſignificare unam eſſentiam trium perſonarum, ſecundum quod dicitur Trinitas quaſi trium unitas. Sed ſecundum proprietatem vocabuli ſignificat magis numerum perſonarum unius eſſentiæ*, additque *ad* 4. *quod in Trinitate divina intelligitur & numerus, & perſonæ numeratæ*: quod reſtrictionem fieri non ſinit vel in utero Virginis ad ſolum Verbum incarnatum. Unde ad rem noſtram arguere licet, quamvis ex oppoſito, quod etiam Cor Jeſu, (in quo vice verſa non intelliguntur aliæ corporis partes,) ne in pectore quidem Chriſti dilatari ſe patitur ad interpretativam comprehenſionem totius.

CAPUT XLVII.

Tabula picta, quæ cor Chriſti introrſum conſpiciendum exhibeat per apertum pectoris ejus oſtium, non infert in habitudine partis diviſionem a toto, ſed eam infert in habitudine objecti. Hæc una habitudo objecti ſpectanda eſt in Imagine, quæ cor Chriſti repræſentet ſive a corpore avulſum, ſive in propria corporis ſede collocatum. Quod intelligitur ſub propria ſpecie, non intelligitur ſimul cum alio.

NIL refert quôd totum Chriſti corpus in ea jam deſcripta imagine circumundique ambiat cor Chriſti, ut inde Adverſarii noſtri evincant, picturam hanc nullum fovere poſſe erro-

rem

rem contra integritatem ejuſdem corporis. Objecta namque circumſeſſio corporis, totuſque ille ambitus, non facit, nec facere poteſt, quin imago tendat in cor, illudque repræſentet ut quid diſtinctum a toto, ſin minus in habitudine partis, utpote circumdatum corpore, ſaltem in habitudine objecti, quod in materia cultus diſtinctam exigit cognitionem & ſegregationem ſui. Ac proinde cor expreſſum intra corpus non in alio differt ab expreſſo extra corpus, niſi quod præviam ſui cognitionem admittit ſub confuſa ſpecie totius; quam tamen alia mox excipit peculiaris, & diſtincta, quæ ſolum reſpicit abſolute cor, ad quod nempe terminatur imago tamquam ad proprium objectum, ut probe diſtinguit S. Thomas 1. *p. q.* 85. *art.* 3. *ad* 3. ubi ait, *quod pars aliqua dupliciter poteſt cognoſci. Uno modo abſolute ſecundum quod in ſe eſt. Et ſic nihil prohibet prius cognoſcere partem, quam totum, ut lapides, quam domum. Alio modo ſecundum quod ſunt partes hujus totius. Et ſic neceſſe eſt, quod prius cognoſcamus totum, quam partes. Prius enim cognoſcimus domum quadam confuſa cognitione, quam diſtinguamus ſingulas partes ejus*. Semel ac autem huc ventum eſt, diſtincta cognitio partis (*a*) præviam abjicit, & ſimultaneam excludit intel-

(a) Si quis autem fieri poſſe neget, diſtincta cognitione partis præviam abjici, & ſimultaneam excludi cognitionem totius, quia cognitio partis in toto non poteſt eſſe ſine toto, firmum teneat oportet, quod non loquimur de confuſa cognitione partis per ſpeciem totius, ſed de diſtincta per ſpeciem propriam, ut ſtatim explicat S. Thomas. Prima quidem cognitio partis ſimul eſt in toto, & per modum totius, altera vero licet ſit in toto, non eſt tamen in eo per modum totius, ſed potius ad ſpeculi modum, in quo quæ reſultant, videntur quidem in ſpeculo, nec ſine ſpeculo videri poſſunt; ſed quia videntur in eo per propriam ſpeciem, non autem per ſpeciem illius, non ſunt ideo magis conjuncta cum ſpeculo quam inter ſe; licet ab invicem ſejungi nequeant ſub ea ſpeculari viſione, quia non pervenit ad proprias repræſentatorum ſpecies niſi uno, & eodem communi medio, quod vocatur medium *in quo*, ut declarat S. Doctor *Suppl. q.* 92. *art.* 1. *ad* 15. *Tertium*, inquit, *eſt medium in quo videtur, & hoc eſt id per cujus inſpectionem ducitur viſus in aliam rem: ſicut inſpiciendo ſpeculum ducitur in ea, quæ in ſpeculo repræſentantur*. Et clarius etiam *art.* 3. *ad* 6. ubi ait, *quod in ſpeculo materiali tam res quam ſpeculum videntur ſub propria forma: quamvis ſpeculum illud videatur per formam a re acceptam. Lapis vero per propriam formam reſultantem in re alia. Et ideo propter quam rationem cognoſcitur unum, & aliud*. Hoc eſt propter rationem, ut ita dicam, illius reſultantiæ, quæ ſingulas cogit inſpectorum ſpecies in idem ſpeculi medium, non propter ullam identitatis rationem cum ſpeculi ſpecie, quæ ſola facere poſſet objectum unum aut de viſis cum ſpeculo, aut de viſis inter ſe. Qui cor itaque ſpectat velut

intelligentiam totius, ut ſubjungit S. Doctor *art.* 4. *ad* 3., & pluries viſum eſt ſupra; ſed hic iterum opportune repetere juvat. Ait enim *quod partes poſſunt intelligi dupliciter. Uno modo ſub quadam confuſione, prout ſunt in toto: & ſic cognoſcuntur per unam formam totius; & ſic ſimul cognoſcuntur. Alio modo cognitione diſtincta, ſecundum quod qualibet cognoſcitur per ſuam ſpeciem: & ſic non ſimul intelliguntur.*

Intereſt autem, magnique noſtra intereſt, ut præter auctoritatem S. Thomæ rationem quoque producamus, unde conſtat hæc capitalis diſtinctio: ea vero palmaris eſt, & a S. Doctore ita præficitur loco citato *in corp. Nam modus cujuſque actionis conſequitur formam, quæ eſt actionis principium. Quæcumque ergo intellectus poteſt intelligere ſub una ſpecie, ſimul intelligere poteſt. Et inde eſt, quod Deus omnia ſimul videt per unum, quod eſt eſſentia ſua. Quæcumque vero intellectus per diverſas ſpecies intelligit, non ſimul intelligit. Et hujus ratio eſt: quia impoſſibile eſt idem ſubjectum perfici ſimul pluribus formis unius generis, & diverſarum ſpecierum: ſicut impoſſibile eſt, quod idem corpus ſecundum idem ſimul coloretur diverſis coloribus, vel figuretur diverſis figuris.* Eſto igitur, quod imago cordis cum circumſeſſione corporis, ſecus ac altera ſimplicis cordis, præviam ingerat intuentibus ſpeciem totius, hoc tamen qualecumque ceſſat diſcrimen, ſtatim ac ſub apparatu totius, æqua lege deducit oculos ad ſolum cor. Ita namque etſi pictum cum toto, non ſinit ultra reputari ſe tamquam partem, ſed petit haberi ut quid unum per ſe; quemadmodum nec partis ideam retineri ſinit imago, quæ cor repræſentet avulſum a corpore, & ut tale Fidelium vene-

velut in ſpeculo corporis ſub ingeſta cordis ſpecie, in eamque mentis aciem defigit tamquam in objectum cultus, *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*, ut dicitur *Eccleſiaſt.* 38. Non enim ſimul intendet in totum, non in cæteras partes, ſed unam delibans, quæ dominatur imagini, partem corporis, & ſuo quaſi vultu ſuoque charactere picturam omnem conſignat in ſpeciem, & ſimilitudinem cordis, abjiciet præviam, & ſimultaneam excludet cognitionem totius. Nam quod attinet ad corpus, & ad reliquas corporis partes, quas obiter in toto videt, ſed inſuper habet cum toto, *comparabitur Viro contemplanti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit*, ut habetur in Catholica *Jacob.* 1.

Digitized by Google

veneratiioni expoſitum. Utrobique enim ob oculos ponitur ſub propria ſpecie. Propria vero cujuſque ſpecies hoc ipſo quod propria eſt, non admittit conſortium communis quantumvis non oppoſitæ, taciteque cohærentis vel expreſſe cum propria, ut per idem probat exemplum S. Doctor *ad* 2. ubi ſolvens objectum, quod *nihil prohibet diverſas formas non oppoſitas ſimul eidem actu ineſſe, ſicut odorem & colorem pomo* præclare ad rem inquit, *quod non ſolum oppoſitæ formæ non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto: ſed nec quæcumque formæ ejuſdem generis, licet non ſint oppoſitæ: ſicut patet per exemplum inductum de coloribus, & figuris*. Et plenius docet etiam ſupra *q*.58. *art*.2. *corp*. ubi ait, *quod ſicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti. Contingit autem aliqua accipi ut plura, & ut unum: ſicut partes alicujus continui. Si enim unaquæque per ſe accipiatur, plures ſunt. Unde & non una operatione, nec ſimul accipiuntur per ſenſum & intellectum. Alio modo accipiuntur ſecundum quod ſunt unum in toto. Et ſic ſimul una operatione cognoſcuntur tam per ſenſum, quam per intellectum, dum totum continuum conſideratur*.

CAPUT XLVIII.

Ea tantum ſimul intelligi poſſunt, quæ poſſunt convenire ſimul in unam ſpeciem. Quod ſpecies cordis ſpeciem complectatur totius corporis, directam contradictionem involuit. Ratio cultus in ſententia Adverſariorum fertur in cor, ut in objectum proximum; in corpus autem, ut in remotum. Præpoſterum eſt, ut a parte ſumatur objectum, vel motivum cultus.

MOmenti nec eſt, quod imago cordis intra corpus, conſiderandum offerat, adſpectandum que totum continuum. Quicquid enim ſit de primo oculorum obtutu, quem in toto continuo præoccupari neceſſe eſt confuſa quadam ſpecie totius, ſuccedit tamen, & exiſtit e veſtigio quæ dominatur imagini, ſpecies propria, viſumque diſgregat a toto, & conjicit in ſolum cor. *Ex quo patet*, ut pergit S. Thomas loco citato 1. *p. q.*58. *art.*2. *corp. Quod multa ſecundum quod ſunt diſtincta, non poſſunt ſimul intelligi, ſed ſecundum quod uniuntur in uno intelligibili, ſic ſimul intelliguntur. Unumquodque autem eſt intelligibile in actu, ſecundum quod ejus ſimilitudo eſt in intellectu. Quæcumque igitur per unam ſpeciem intelligibilem cognoſci poſſunt, cognoſcuntur ut unum intelligibile. Et ideo ſimul cognoſcuntur. Quæ vero per diverſas ſpecies intelligibiles cognoſcuntur, ut diverſa intelligibilia capiuntur*. Implicat autem, ut ſimilitudo cordis per propriam ſpeciem objecta ſenſui, & per ſenſum delata ad intellectum, qui ſuam exerit operationem per converſionem ad phantaſmata, & ad propria quæque rerum ſingularium idola, ut late probat S. Thomas 1. *p. q.*84. *art.*7. *corp.* ubi inter alia ad rem profert, *quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format ſibi aliqua phantaſmata per modum exemplorum: in quibus*

quaſi

quaſi inſpicias quod intelligere ſtudet, additque ſimul, *quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus ſibi phantaſmata formare poſſit ad intelligendum*: implicat, inquam, & implicat in terminis, ut ſimilitudo cordis per propriam ſpeciem perinde imprimat in ſenſum, & convertat intellectum ad ſe, quaſi unum exprimeret, & in unum verteretur intelligibile cum toto corpore. Neque enim coire valent in unum idea cordis, & idea corporis. *Scito enim quid eſt totum, & quid pars, ſtatim ſcitur, quod omne totum majus eſt ſua parte*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.*2. *art.*1. *in* 2. *arg.* Imo ſi quis vel invita natura ſenſum ac mentem avertat ab ipſa notione terminorum concretionem illam abſolute prohibente, velitque per chimericam imaginationem tale monſtrum effingere, adverſantem haberet figmento ſuo paſſivam omnem potentiam rerum tum naturalem,tum obedientialem. Quandoquidem ut apte monet S. Doctor *ſupplem. q.*83. *art.*3. *in* 2. *arg. contra communes animi conceptiones non poteſt aliquid miraculoſe fieri, ut ſcilicet pars non ſit minor toto: quia contraria communibus conceptionibus directe contradictionem includunt*. Et hujuſmodi contradictionem ad rem urget Apoſtolus, dum inquit 1. *ad Corinth.*2. *quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?*

Neque vero contradictionem hanc aufert, ſed & novam ſimul addit, quod cor accipi dicatur ut unum cum corpore ratione cultus, ad quem utraque ordinatur imago, quique jure ſuo ferri poſtulat in totum Chriſtum. Non aufert quidem contradictionem, de qua proxime dictum eſt. Corpus enim in Adverſariorum ſententia cultum ſuſcipit ut objectum remotum, cor autem ut objectum proximum. Eoque fit, ut ratio cultus nihil demat de propria ſpecie cordis, quæ non patitur hoc ipſo ſimultaneam intelligentiam corporis. *Non enim tollitur ſpecies habitus per hoc, quod ejus objectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem*, ut ait S. Thomas 22. *q.*19. *art.*4. *corp. Unde & ſimiliter in propoſito finis proximus .... eſt adhærere falſæ ſententiæ propriæ, & ex hoc ſpeciem habet, ſed ex fine remoto oſtenditur*

cauſa ejus, prout explicat ſupra *q.*11. *art.*1. *ad* 2. Deinde vero quod objicitur, novam addit contradictionem. Abhorret enim a ratione cultus, qui fertur in totum Chriſtum, ut ejus conſtituatur objectum in ſolo corde. Nam ut ait S. Thomas *ſupplem. q.*75. *art.*1. *ad* 4. *Omnis pars integralis materialis eſt reſpectu totius = Quia omnis pars imperfecta eſt, & completur in ſuo toto. Unde & totum ſe habet ad partem, ut forma ad materiam*, ut addit infra *q.*93. *art.*1. *corp.*, & rurſus 1. *p. q.*65. *art.*2. *corp. Omnes partes ſunt propter perfectionem totius, ſicut & materia propter formam. Partes enim ſunt quaſi materia totius*. Sed nec effigies unius cordis, quod directe, & per ſe colendum proponitur, conjungi poſtulat cultum ipſius cordis cum cultu totius, etſi fingere velint Adverſarii, quôd Cor influere aliquo pacto poſſit in cauſam cultus. Nihil enim habet extrinſecus, quod ſit proprium ejus, non ſpinas, ut caput, non crucem, ut humeri, non lanceam, ut latus, non vulnera, ut pedes, & manus. Nihil etiam habet intrinſecus, quod jure proprio vendicare ſibi queat cauſam cultus; neque enim habet, aut amorem, ut dicatur & ſit amor cordis, aut dolorem, ut dicatur & ſit cordis dolor, uti probe ad rem monet S.Th.*ſupplem.q.*79.*art.*3.*ad* 3.ubi ait,*quod operatio proprie loquendo non eſt partis, ſed totius. Unde præmium non debetur parti, ſed toti* : & *q.*80. *art.*1. *ad* 3. ubi *quod actus, quibus meremur, non ſunt proprie loquendo manus, vel pedis, ſed totius hominis, ſicut & operatio artis non attribuitur ſcientiæ* (*a*), *ſed artifici* & paucis comprobat 1. *p. q* 3. *art.*8. *corp. Non enim manus agit, ſed homo per manum*, & *in* 7. *Phyſic. lect.*9. rem altius repetit, ejuſque cauſam ſumit ab axiomate, quod operari ſequitur ad eſſe; *Sic enim*, inquit, *aliquid eſt ens, ſicut & unum. Unum autem eſt, quod eſt in ſe indiviſum, & ab aliis diviſum: Pars autem prout eſt in toto, non eſt diviſa in actu, ſed potentia tantum; unde non eſt actu ens, neque una, ſed in potenita tantum; & propter hoc non agit pars, ſed totum*. Quum itaque in imagine noſtra, quæ ſolum exhibet Chriſti Cor pro objecto

(a) Al. *Inſtrumento* ut indicat Codex meus Coloniæ Agrippinæ.

Digitized by Google

jecto & cauſa cultus, aliæ corporis partes non veniant in recto, ſed ſolum in obliquo, ſenſu ſuo quiſque percipit, illarum omnium partium circumſeſſionem nullo eſſe in numero habendam, nihilque omnino valere ad tegendam ſignificativam illam diviſionem cordis a corpore, quæ ex hujuſmodi effigie neceſſario ſequitur.

CAPUT XLIX.

Præter Imaginem Virginis cum Trinitate in utero; damnata fuit etiam illius imago cum parvulo Jeſu in medio ventris. Ob eaſdem cauſas proſcribi mereretur Imago, quæ cor Chriſti inteſtinum per ſciſſi pectoris hiatum viſendum ſatis immodeſte, & contra rei ipſius veritatem exhibet.

REdeo nunc ad imaginem Deiparæ cum Trinitate in utero; & quum ejus objectum & cauſa ſola ſit incarnatio Verbi, non autem circuminſeſſio divinarum Perſonarum, nihil hæc confert, aut conferre valet ad innoxiam demonſtrandam illius imaginis ſignificationem. Cur igitur innoxia ſit imago cordis ex circumſeſſione adjacentium partium corporis, ad quam non reſpicit, ſed ad ſolum cor? Aſt fingas etiam in gremio Virginis non fuiſſe Trinitatem depictam, ſed unum ipſum parvulum Jeſum; non eo tamen minus damnanda fuiſſet imago illa, prout alibi invectam, & *ſinus Mariæ* nuncupatam, a Nuntio Apoſtolico proſcriptam fuiſſe Viennæ in Auſtria teſtatur Fontaninus in ſæpe laudatis Notis ad Feſtum Cordis Jeſu. Quod eo præcipue factum puto, *quod Puer quandiu eſt in materno utero, non totaliter eſt a Matre ſeparatus, ſed per quandam colligationem eſt quodammodo adhuc aliquid ejus: Sicut & fructus pendens in arbore eſt aliquid arboris*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.* 113. *art.* 5. *ad* 3. Ac proinde ejuſmodi Imago uti terminata ad parvulum Jeſum, dictam colligationem exſcin-

ſcindere videbatur, & ſub nativitate in utero nativitatem prævertere ex utero. An non ergo exſcindet ac labefactabit unitatem corporis imago, de qua agitur, terminata ad cor? An non videbitur naturæ ordinem ſubvertere, quo vivum cor exemptum prorſus ſubductumque eſt ab oculis hominum? Idque adeo verum eſt, ut etiam in uſu Scripturarum ſub typo cordis exprimi ſoleant, tamquam omnibus ignotæ ac imperviæ, & ut notæ ac perviæ ſoli Deo occultæ cogitationes hominum. *Pravum eſt cor hominum & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor. Jerem.* 17. *Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. *Reg.* 16. *Major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.* 1. *Joan.* 3. Quod itaque per naturam non licet in cordibus hominum, ut ea nempe videantur & vivant, id arbitrio hominum tentare ac fingere liceat in uno corde Hominis Dei? quod tamen, ut ſupra jam vidimus, præter naturalem etiam divina lege diſtricte vetitum eſt ſub figura Paſchalis Agni *Nec efferetis de carnibus ejus foras Exod.* 12. Quo certe loco nihil aptius deſiderari poteſt, ut ab oculis Fidelium omnino ſubducantur imagines, quibus aut Cor Jeſu effertur foras, aut e ſcrinio pectoris utraque manu reſerati conſpicuum fit, quod a nemine viſum, quod a nemine inveſtigatum eſt, Dominici Cordis arcanum. Quid quod ut omne cor pateat, ſimul adhærentia removentur viſcera, & quod magis eſt, ſcinduntur etiam pectoris oſſa? quod nefas eſſe contextim edictum fuit *Exod.* 12. *Nec os illius confrigetis*. (a)

Verum enim vero haud propterea negaverim, imo lubens admiſerim, Nuntii Apoſtolici zelum jure merito exarſiſſe in affinem illam Mariani ſinus imaginem ea quoque de re, quod ma-

(a) Imaginem Judæ proditoris, dum ſe laqueo ſuſpendit, his delineat coloribus S. Petrus *Act.* 1. *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus*. Si oculos hinc referas ad imaginem, quam Patroni cordis effingunt, & cum inferiori Judæ ſuperiorem conferas ventrem Jeſu, miſereberis, opinor, Chriſti Servatoris tui, tactuſque dolore cordis intrinſecus, intorquebis in eos cum Propheta amaram illam exprobrationem, *Iſai.* 40.: *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum?* Hinc merito id genus imagines eorum nonnullis diſplicere cœperunt, ut ipſemet audivi: & aliquas inſuper vidi, quæ ne pectus dilaniatum appareat, cor exhibent in manu Chriſti; quod utique tolerabilius videtur, & Eccleſiæ menti conformius, quæ non cor carnis iis repræſentari ſinit, ſed mere ſymbolicum.

Digitized by Google

magnum faceſſeret Chriſtianæ pudicitiæ negocium. Nec fortaſſe falleretur, ſi quis crederet, vigilantiſſimo viro in mentem veniſſe, nuda ad ventrem Puerperæ effigie pari quadantenus affici injuria Deiparam Virginem, intemeratum puritatis Sacrarium, atque olim Templum Dei ſtatis in eo imaginibus Cæſarum, ad quas refert S. Thomas *in Catena*, teſte Hieronymo, abominationem illam *ſtantem in loco ſancto*, quam Chriſtus appellat *Matth.* 24. *Abominatio enim ſecundum veterem Scripturam idolum nuncupatur*. Et vero ſi (ut Maro cecinit *eclog.* 2. *v.* 65. & *Æneid. lib.* 9. *v.* 185.) *trahit ſua quemque voluptas, & ſua cuique Deus ſit dira cupido*; vix eſt, ut ad eam non Virginis dicam, ſed quaſi Veneris imaginem, non turpi concupiſcentiæ ſeſe dederent, qui ſunt bene multi flagitioſæ voluptati devoti. Contemplantes enim non quod colerent, ſed quod cuperent, non quod lateret in prototypo Virgineum decus, ſed quod pateret in imagine immodeſtum objectum, quid ni vel a ſpeculo puritatis abirent, quod horrificum dictu eſt, *oculos habentes plenos adulterii & inceſſabilis delicti*, ut legitur 2. *Petr.* 2.? Sed ea tamen imago rurſus, ut opinor, apparebit & deterior, & noxior ſub blandum cordis aſpectum, ſi Feſtum Cordis Jeſu excipiat aliquando quod erumpere geſtit, affine Feſtum Cordis Mariæ. Habet enim exemplum, & exemplar in imagine Cordis Jeſu, quippe quæ, ſi ſexum excipias ac diſpar objectum, una eſt, atque eadem cum proſcripta Mariani ſinus (*a*). Repræſen-

(a) Eam ita deſcribit Cl. Fontaninus in Notis ad Feſtum Cordis Jeſu. *Non è mal fatto di ſoggiungere in queſto luogo, come in tempo, che il Cardinal Tanara era Nunzio Apoſtolico in Vienna, fu introdotta in quelle parti una certa nuova divozione, chiamata del* SENO DI MARIA, *per accender la quale ne i Popoli, ſi rappreſentava una Donna ignuda fino al ventre, la quale ſi apriva il ſeno colle mani, e dentro nell'utero ſi vedeva il* BAMBINO GESU'. *Cercò il zelo fondato del Nunzio Apoſtolico di eſtirpare una divozione sì ſtrana, e riuſcigli felicemente, mediante ancora il braccio della Corte Imperiale. Il proceſſo allora fatto ſopra queſta pietà ſtravagante è facile a ritrovarſi in Segretaria di Stato tra le Scritture della Nunziatura di Vienna, ed ivi ancora ſi può vedere di qual Religione fu l'Inventore di sì fatta divozione, la quale ha qualche aria di queſta del* CUOR DI GESU'.

Quamquam nec opus eſt provocare ad ſimilia, dum præſto eſt identitas rei. Interim enim, quum hæc noſtra Diſſertatio jam eſſet ſub prælo, inter frequentes Beatæ Virginis Imagines, quæ tota Urbe circumſpiciuntur, Chriſtianorum oculis adſpectabilis recenti pennicillo depicta

ſentat enim Juvenem decora facie fulgentem, mollique collo, ac ſinu denudatum,& ſuavi manuum officio exhibentem venale cor. Huc ſane provehimur, dum veritate deſerta, quæ Chriſtum proponi & prædicari vult crucifixum,falſa ac noxia delectamur imagine Jeſu profano more, non jam ex vulnere lateris, ſed ex hiatu ſciſſi pectoris cor ſuum carnale porrigentis,quod exprobraſſe videtur Apoſtolus *ad Galat.*3. dum exclamavit. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt in vobis crucifixus*?Quod hinc vero malum, quod hinc immineret periculum, ſequentia verba demonſtrant *ſic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cæperitis, nunc carne conſummemini*? Unde vel hoc nomine præter alias notas, imagines hæ, quas ita concinnare nonnulli etiam detrectarunt pictores, ut ex locupletiſſimis teſtibus accepi, in cenſuram recidunt Tridentini *ſeſſ.*25. *Decr. de Invocat. venerat. & Reliq. Sanctor.*, *& ſacr. Imagin. Omnis denique laſcivia vitetur, ita ut procaci venuſtate nec pingantur, nec ornentur .... nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat* = *Atque ex Imaginis inſpectione pietas excitetur, nulla vero turpis cogitationis detur occaſio*, ut ad rem commentatur S. Carolus *Concil. Provincial. I. par.*1. *Tit. Quæ ſervanda ſunt in ſacris Imaginibus effingendis*.

CA-

picta eſt in loco patente claro atque ſublimi Effigies Virginem repræſentans, quæ parvulum Jeſum læva manu geſtat. Mater nudato ſinu per ſciſſum ac feneſtratum pectus inteſtinum cor patefacit Filio,ſuumque Filius per feneſtellam pariter aperti pectoris patefacit Matri. Sed utrumque & Matris & Filii cor reciproca flammantium radiorum evibratione ſe mutuo illuminant, & incendunt. Pictæ Tabulæ inſcriptio hæc eſt: *La Madonna del Sac. Cuor di Gesù*. Deque ipſo Jeſu in læva Matris quaſi ſoporato, legitur in calce: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Nonne mihi fas erit ad hæc nefaria religionis noſtræ ſpectacula, quæ immodeſtiæ fomenta ſacrare quodammodo videntur in ipſo juſtitiæ fonte Chriſto Jeſu; & in ſpeculo juſtitiæ Matre ejus integerrima, ſicut cœca ſuperſtitio præſtabat in Diis gentium; nonne, inquam, fas mihi erit Tullianum illud uſurpare cum lacrymis: *o tempora, o mores*!

Præter hanc, quam ipſemet vidi, aliam quoque deteriorem, & ſcandalo plenam B. Virginis effigiem cor ejus exprimentem, ſitam eſſe reſcivi in Sacrario unius ex Romanis Paræciis; quod Jeſu, & Matri ejus, Chriſtianæ pudicitiæ exemplaribus, quam maxime diſconvenire, recte monet Horant. *in locis Cathol. lib.*2. *cap.*27. & poſt eum de Ayala in opere, cui titulus: *Pictor Chriſtianus lib.*1. *cap.*4. *n.*3. *Imagines Chriſti meminerimus completæ honeſtatis, ac religionis, non perditi luxus exemplaria eſſe. Quare omni pudore, ac verecundia aſperſas eſſe magnopere convenit. Quid commune Virgini ſanctiſſimæ pudicitiæ numeris omnibus perfectæ, atque expletæ cum ornatu illo pene dixerim meretricio?*

CAPUT L.

Periculum quod injicit ſacrarum Imaginum immodeſtia, non imminuitur ex ſanctitate prototypi, neque ex bona fide colentium. Maximum remedium ad vitandam concupiſcentiæ vim, eſt abſtinere a ſingularium conſideratione. Imagini Cordis Jeſu præferenda cum Apoſtolo Imago crucifixi. Integritati, & unitati Corporis Christi naturalis, ac myſtici minus congruunt vocabula partium.

ATque ex his, quæ mox obſervavimus, præfocata remanet inanis illa excuſatio, *quod mente in ſpiritualia ſuſpenſa, atque ibi fixa & manente: conſuetudinis, ſcilicet carnalis concupiſcentiæ impetus frangitur, & paulatim repreſſus extinguitur*, ut poſt S. Auguſtinum *in 6. Muſicæ cap.* 11. innuit S. Thomas 22. *q.*142. *art.*2. *corp.* Id namque tunc obtinet, quum ſacræ imagines ad pietatem compoſitæ ſunt, & ad modeſtiæ leges exactæ. Alliciunt enim aſpectu ſuo ad ea, quæ ſunt Spiritus Dei, eoque ſenſim defervelſcere faciunt affectum carnis; *major enim is erat, cum ſequeremur, non tamen omnino nullus, ſed certe minor, cum refrænamus*, ut rem explicando proſequitur S. Auguſtinus loco citato. Non ita tamen res ſe habet, ſed ex oppoſito, ſi profana immodeſtia ſacræ proſtituantur imagines. Fovent enim incitamento ſuo corruptelam humani cordis, & occultiſſimo quodam blandientis auctoritatis lenocinio, inopinatam inſinuant ad concupiſcendum illecebram. Non eſt igitur, cur ſanctitas urgeatur prototypi, aut ipſa etiam bona fides, & intentio colentium. Magis enim urget ac longe magis, quæ ſiſtitur ante oculos ab his devians imago, *per cujus inſpectionem ducitur viſus in aliam rem: ſicut inſpiciendo ſpeculum ducitur in ea, quæ in ſpeculo repræſentantur,*

 & vi-

& videndo imaginem ducitur in imaginatum, ut ait S. Thomas *ſupplem. q.92. art.1. ad* 15. Neque enim fieri poteſt, ut imaginatum vividiores imprimat ſenſus in colentium animis ſecundum latentem prototypi ſanctitatem, quæ ex uno auditu concepta ſub fidei velamine retineatur in mente, quam ſecundum ipſam imaginis formam, quæ in viſum repente irruit, & ad ſe hominis imaginationem vehementiori fortaſſe blandimento rapit. Niſi ergo miracula tentes, quod vetitum eſt, hic etiam valere debet, quod valet in cæteris, monitum illud, ſeu vaticinium veridicum

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus:

Propter quod ad vitandum intemperantiam maximum remedium eſt, ut non immoretur homo circa ſingularium conſiderationem, ut optime monet S. Thomas 22. *dicta q.*142. *art.*3. *corp.* (*a*). Et notatu dignum eſt, quod huc refert *in Catena* cum S.Auguſtino, quod Dominus ait *Joan.*16. *Expedit vobis ut ego vadam. Quid eſt ergo. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos? Niſi non poteſtis capere Spiritum, quandiu ſecundum carnem noſſe perſiſtitis Chriſtum.* Quod repetit etiam 3. *p. q.*57. *art.*1. *ad* 3., & eam ſimul rationem præmittit. *Ut enim dicitur Matth.6. Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Et quia Spiritus Sanctus eſt amor nos in cæleſtia rapiens: ideo Dominus dicit Diſcipulis Joan.* 16. *Ex-*

(a) Solemnis eſt apud Morales, & Aſceticos Theologos diſtinctio, quod faſtidium boni ſpiritualis vincendum eſt per intimam illius conſiderationem; at concupiſcentia boni corporalis per abſtractionem mentis ab eo, ut præclare docet S.Th. 22.*q.*35. *art.* 1. *ad* 4. ait enim *quod peccatum ſemper eſt fugiendum. Sed impugnatio peccati quandoque eſt vincenda fugiendo, quandoque reſiſtendo. Fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentivum; ſicut eſt in luxuria, unde dicitur* 1. *ad Corinth.* 6. *Fugite fornicationem. Reſiſtendo autem, quando cogitatio perſeverans tollit incentivum peccati, quod provenit ex aliqua levi apprehenſione. Et hoc contingit in acedia: quia quanto magis cogitamus de bonis ſpiritualibus; tanto magis nobis placentia redduntur: ex quo ceſſat acedia.* Ad rem itaque ſic infra ſtatuit *q.* 93. *art.* 2. *corp. Si autem aliquid ſit quod quantum eſt de ſe; non pertineat ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentiæ inordinatæ refrenentur..... totum hoc reputandum eſt ſuperfluum & ſuperſtitioſum.* Et facit etiam ſupra 1. 2. *q* 102. *art.*3 *ad* 14. ubi *quod mel non offerebatur in ſacrificiis Dei, tum quia conſueverat offerri in ſacrificiis idolorum, tum etiam ad excludendam omnem carnalem dulcedinem & voluptatem ab his, qui Deo ſacrificare intendunt.*

Digitized by Google

16. *Expedit vobis ut ego vadam &c.* Confer hanc Domini ſententiam cum nova cordis imagine, nil minus inſpirante, quam amorem cæleſtium, & rurſum audi S. Auguſtinum exponentem quæ ſequuntur *Joan.16. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*. Configens enim turpia, & obſcena hæreticorum (*a*) inventa: *Audacias*, inquit, *figmentorum ſuorum, quas maxime exhorret ſenſus humanus, hac occaſione evangelicæ ſententiæ colorare conantur: quaſi hæc ipſa ſint, quæ tunc Diſcipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palam docere atque prædicare ſpiritus erubeſcit immundus. Sed alia ſunt mala, quæ portare non poteſt qualiſcumque pudor humanus; Et alia ſunt bona, quæ portare non poteſt parvus ſenſus humanus. Iſta ſunt in corporibus impudicis, illa remota ſunt a corporibus univerſis. Quis autem noſtrum audeat eorum ſe dicere jam capacem, quæ illi capere non valebant?*

Ed id ſane, de quo agimus, ne ipſe quidem capere potuit Doctor Gentium, ut videre eſt 1. *ad Corinth.2. Non enim,* inquit, *judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*. In Chriſto igitur nullum ſcivit myſterium Cordis, ſed unum ſcivit myſterium crucis. Unde & merito præmittit *cap.1. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum*: ubi notandum, quod *non dixit lanceatum, ſed crucifixum*, ut ad locum ſimilem *Matth.24. Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum* opportune commonet S. Thomas 3. *p. q.25. art.4. ad* 3. (*b*).

 Quod

(a) Imagines Cordis Jeſu, quæ quadra forma proſtant, & carnale cor exprimunt, nec Eccleſiaſticæ Unitatis typum, nec ideam in Chriſto ſervant integerrimæ puritatis, cujus eſt Auctor, haud ingratæ videbuntur Catholici nominis hoſtibus. Nam quæ duo in Eccleſia maxime oderunt, omnis ſcilicet eam expertem eſſe diviſionis, ſeſeque uni Viro Virginem caſtam exhibere Chriſto, ea nos peſſundare circumſpectant vaniloquiis illuſos, & novis abreptos piarum mentium inventis; quæ dum proſequi nitimur ultra limites juſtæ veniæ, intra quos ab Eccleſia concluſa ſunt, & ad ſenſum ſanum redacta, non ſolum deſumus Catholicorum hominum officiis, ſed ſavemus etiam tacitis, ac ſubdolis hæreticorum ſtudiis contra vigilans & aptum Apoſtoli monitum 1. *ad Corinth.* 12. *De ſpiritualibus autem nolo vos ignorare Fratres: Ideo notum vobis facio, quod nemo loquens in Spiritu Dei, dicit anathema Jeſu.*

(b) Et antea alio etiam addito teſtimonio, luculentiſſime ponderavit S. Joannes Damaſcenus *lib. 4. Orth. Fid. cap.* 12. *Adoramus etiam figuram pretioſæ, & vivificæ Crucis, tametſi ex alia materia facta eſt, non materiam venerantes; abſit enim, ſed figuram, tamquam Chriſti ſymbolum. Dixit enim Diſcipulis ſuis conteſtans: Tunc apparebit*

Quod ſi rationem ignotam tam noti diſcriminis fas ſit indagare, ea mihi præ cæteris placet, quod inſolens *lanceati* nomen, etſi poteſtate compar, non eamdem tamen habet vim ſignificandi Verbum enim crucis, unde frequens appellatio *Crucifixi*, paſſionem exprimit totius corporis; ſed vox *lanceati* unius tantum partis, hoc eſt lateris, quod lancea militis apertum fuit, paſſionem deſignat. In Chriſto autem Domino noſtro non re modo, ſed & ſignificatione ſervare præſtat integerrimam utriuſque corporis unitatem, tam nempe naturalis, quod mira & ſingulari prærogativa fuit prorſus indiviſum in ſe, quam etiam, & maxime corporis myſtici, quod Chriſti operatione, & influxu, hoc eſt operatione, & influxu capitis, ita nectitur in unum, ut nulla diſſolvatur interjectione locorum, nullaque interrumpatur ſucceſſione temporum. Hinc *Petavius* nil dubitat Chriſtum *Caput* phyſicum Corporis ſui myſtici appellare. In hac vero conjiciendi via, congrua tamen, ut arbitror, & ad rem aptiſſima, quam ineundam puto, auctorem etiam habere mihi videor S. Thomam *ſupplem. q.95. art.3. ad* 4. ubi exponens verba illa tum 1. *ad Corinth.*12. *Vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro*, tum & Gloſſæ interlinearis: *ideſt de Chriſto*: primo quidem reſpondet S. Doctor, *quod nomen Eccleſiæ dupliciter accipitur. Quandoque enim nominat tantummodo corpus, quod Chriſto conjungitur, ſicut capiti .... Sic vero Chriſtus non eſt Eccleſiæ membrum, ſed eſt caput influens omnibus Eccleſiæ membris. Alio modo accipitur Eccleſia ſecundum quod nominat caput, & membra conjuncta: Et ſic Chriſtus dicitur membrum Eccleſiæ, in quantum habet diſtinctum officium ab omnibus aliis, ſcilicet influere aliis vitam*: ſed & hinc argumento meo quaſi facem præferens ita mox addidit: *Quamvis non multum proprie dicatur membrum, quia membrum importat particularitatem* (*a*) *quamdam. In Chriſto*

bit ſignum Filii Hominis in cælo, Crucem dicens. Et ideo mulieribus dixit reſurrectionis Angelus. Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum. Et Apoſtolus: Nos autem prædicamus Jeſum Chriſtum, & ipſum crucifixum. Multi enim Chriſti & Jeſu nomine inſignes, ſed unus crucifixus. Non dixit LANCEA PERFOSSUM: *ſed* CRUCIFIXUM. *Adorandum eſt igitur ſignum Chriſti. Ubi enim fuerit ſignum ejus, illic ipſe erit.*

(a) Al. *partialitatem*, ut in nota marginali Editionis meæ Colonienſis.

ſto autem bonum ſpirituale non eſt particulatum (a), *ſed eſt totaliter & integrum. Unde ipſum eſt totum Eccleſiæ bonum, nec eſt aliquid majus ipſo, & alius quam ipſe ſolus*. Quæ quidem ſi tu aptes ad peculiare membrum, nempe ad Cor Chriſti; quod de latere lancea militis aperto negatum perhibet S. Doctor ab Angelo, qui Mulieribus adſtitit ad ſepulchrum Domini: *Non dixit*, inquit, *lanceatum*, *ſed crucifixum*, id tu pari modo cum Angelico Præceptore negabis de corde, *quia membrum*, inquies, *importat particularitatem quamdam*. Atque adeo hinc recte concludes, neminem eorum, qui convertuntur ad cor carneum, tamquam ad proprium & formale objectum cultus, ſignificatione ſua Chriſtum ſumere *totaliter*, *& integrum*, prout a ſæculis religioſiſſime cuſtoditum eſt ſub imagine vera, & fideli Servatoris noſtri pendentis e cruce, ſed quaſi *particulatum*, aut *partitum*; quod profana novitate nunc præſumitur ſub imagine ficta, & ideali cordis carnalis ipſum exhibente non jam crucifixum, ſed cordi, hoc eſt parti corporis, peculiariter fixum.

(a) Al. *partitum*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LI.

Reprobatur, quæ alicubi viſitur imago, cor cruci affixum repræſentans. Alia item ejuſdem formæ, ſeriem exhibens XII. myſteriorum Incarnationis, & Paſſionis Chriſti: Eaque monſtroſa effigies eſt, in qua non Perſona, ſed unum Cor Chriſti incarnatur, patitur, crucifigitur, & ſingula illa myſteria perficit. Cordis incarnati figmentum ex imaginatione, & ore Margaritæ Alacoque tegit ſub melle venenum. Si cor incarnatum pro charitate ſtat eſſentiali, incarnationem refert ad totam Trinitatem, ſi pro perſonali, ad Spiritum Sanctum.

VExillum Crucis, cui loco Chriſti patientis *Cor* ejus affixum oſtenditur, tum in tabulis pictum, tum ex ligno eſculptum viſitur alicubi, & publicis etiam in ſupplicationibus circumfertur. Quod ſane monſtri genus inſolens eſt humanæ *phantaſiæ* inventum; eo enim verbum Crucis quod teſte Apoſtolo 1. *ad Cor.* 1. *Scandalum Judæis, & gentibus ſtultitia fuit*, novo exponit ludibrio, novæque offenſioni. De hac enim præſumptione audaciſſima Chriſti corpus abſcindente, & de medio ventris ejus evellente cor, ut hoc carnis fruſtum commune nobis cum brutis, & nil diſpar habens a corde brutorum, det amodo nomen venerabili ſigno Filii Hominis, inimici Crucis Chriſti riſu, & felle pleni, dicere fortaſſe poterunt, quod alio licet plane diverſo ſenſu, dixit idem Apoſtolus *ad Coloſ.* 2., *& ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci*. Sed quod magis grave, & pernicioſum eſt, quam infidelium deriſio, novum iſtud inventum ſeſe ipſo demonſtrat, myſterium Crucis non dici de toto Chriſto, ejuſque corpore, niſi ratione partis, ſive unius cordis. Nec opponere juverit ſpecimen illud cordis in

cruce,

cruce, non ad extimam pertinere, ſed ad intimam crucifixionem Chriſti. Hæc etenim ad animam ſpectat, non ad carnem, ſicut externa. Dum itaque cruci Domini cor carnis affigitur, ejuſque corpori ſubſtituitur, falſa ingeritur ſignificatio, qua fit, ut crucifixio Chriſti, peracta demonſtretur in corde, non in corpore; quo nihil execrabilius. Peſſundaret enim redemptionis humanæ veritatem, labefactaretque articulum fidei, quo fatemur in ſymbolo non muſculum cordis, ſed Filium Dei crucifixum; & quidem ſecundum corpus totamque aſſumptam humanitatem, non ſecundum vel cor, vel jecur, vel pulmones, vel medullam cerebri, vel aliam quamvis ex inteſtinis partibus ipſius corporis. *Ex verbis* autem, quibus accenſentur etiam alia ſigna, qualis eſt exercitatio religioſi cultus, & expreſſio ſacrarum Imaginum venerationi Fidelium expoſitarum, *ex verbis*, inquam, *inordinate prolatis incurritur hæreſis*, ut cum S.Hieronymo teſtatur S.Thomas loco citato, & prius *in* 4. *ſent. diſt.* 13. *in fin.*, & rurſus 3. *p. q.* 31. *art.* 2. *corp.*, *&* *q* 39. *art.* 7. *in* 1. *arg.*

Et vero nihil aut certe parum abeſſe videntur ab hæreſi, quæ in alia quadam tabula ære inciſa, & typis, ut ſuſpicor, furtivis impreſſa de *corde* Chriſti *carnali* traduntur. Eſt ea orbis quidam major ex XII. minoribus orbiculis conſtans. In his XII. ſunt expreſſa myſteria *cordis* carnem induentis, naſcentis, patientis, atque morientis, ut ſingulis anni menſibus a piis illius adoratoribus recolantur. Apicem tenet inter has orbiculares imagunculas. I. Incarnatio Verbi, expreſſumque viſitur pendulum *Cor*, quaſi de Cælo deſcendens, quod Angelus adſtans venerabundus intuetur cum epigraphe, *Verbum caro factum eſt*. II. Incarnationem Nativitas excipit, & loco Pueri in præſepe reclinati *Cor* exhibet jacens aſinum inter & bovem. III. Sequitur ex ordine *Cor* Virgini, ac S. Joſepho ſubditum. IV. *Cor* dein in ſublime poſitum, & geminis inſtructum alis, quaſi dux viæ, præceptor veritatis, & auctor vitæ. V. Quintum tenet locum inſtitutio Euchariſtica, cor nempe ſanguinem fundens

in

in ſubjectum calicem. VI. Sextum occupat ſudor *Cordis* ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. VII. Septimum *Cor* ad columnam ligatum. VIII. Octavum *Cor* ſpinis coronatum. IX. Nonum *Cor* ligno Crucis oneratum, eoque fatiſcens. X. Decimum *Cor* ſicut ſupra, cruci ſuffixum. XI. Undecimum *Cor* in ſepulcro repoſitum. XII. Et duodecimum tandem *Cor* triumphali pompa reſurgens. Has ſane *duodecim* imagunculas, quæ rotam efformant, & coronam cordi maximo, quod eminet in medio, quaſi centrum imaginis, ad duo referunt quæ geſſit in carne Filius Dei, ad Verbum ſcilicet, & ad cor. Id autem ſponte ſua deſtruit in Chriſto naturam aſſumptam, quippe quæ non corde conſtat, ſed anima, & corpore toto, ut poſt S. Auguſtinum recte arguit S. Thomas 3.*p.* *q*.5. *art*.3. *corp*. Ait enim, *quod ſicut dicit Auguſt. in lib. de Hæreſibus, opinio fuit primo quidem Arii, & poſtea Apollinaris, quod Filius Dei ſolam carnem aſſumpſit abſque anima, ponentes, quod Verbum fuerit carni loco animæ. Ex quo ſequebatur, quod in Chriſto non fuerint duæ naturæ, ſed una tantum; ex anima enim, & carne una natura humana conſtituitur*.

Nec eſt cur regeratur, per hæc myſteria *Cor* excurrere, non ut terminum, ſed ut principium. Ita namque ſtaret in ſymboli morem pro Verbo Dei, de quo myſteria illa prædicantur, atque adeo ſicut Verbum incarnatum dicitur, ſic etiam dici poſſet, & *cor incarnatum*, prout ad litteram expreſſit Ven. Margarita Alacoque, ut legitur in ejus vita *lib*. 7. *cap*. 102. *p*. 187. *La noſtra sfida per l'Avvento ſarà di unirci collo ſpirito, e col cuore alla SSma Vergine, qualunque volta porremo, per preſtare omaggio al CUORE INCARNATO, amando, e adorando in ſilenzio con eſſa quel Dio fatto Bambino dentro il ſuo ſeno*. Hoc autem de Verbo Dei dici nequit, ut mihi videtur, citra notam hæreſeos (*a*). Sicut enim Incarnatio

(a) Ab hac equidem hæreſis nota facile ac libenter abſolvimus Ven. Margaritam ob ejus fœmineam ſimplicitatem, qua pio imaginationis æſtu primam poſuit *Cordis* vocem pro perſona Filii Dei, eique conſequenter appoſuit & alteram *incarnati*, quia

natio non recte dicitur de ſapientia communi, ſed ſolum de ſapientia genita; nam ſi referretur ad ſapientiam communem, terminaret Incarnationem tota Trinitas; ita nullo modo dici poteſt de corde. Nam ſi referatur ad charitatem communem, eundem recudit errorem, quod non una, ſed totæ tres Perſonæ fuiſſent incarnatæ. Si vero referatur ad charitatem perſonalem, procedentem, & ſpiratam, Incarnationem transferret a perſona Filii ad perſonam Spiritus Sancti. Peſtiferum itaque latet venenum ſub mellita voce *cordis incarnati*, totoſque imbuit, ac inficit orbes dictæ recentis Imaginis, circa quos in gyrum vertitur impenſa cura propagandi cultum *cordis carnalis*. Cuncta namque myſteria Hominis Dei deſcripta per cor, eo redeunt, unde, digrediuntur, ad illud ſcilicet, quod eſt: *Verbum caro factum eſt*, atque adeo ad *cor incarnatum* (a).

quia carnem ſumpſit ex Virgine in unitatem perſonæ ab ea deſignatæ per cor. Atque ita quam inordinate protulit complexam vocem *Cordis incarnati*, catholice ſtatim expoſuit, addens nimirum. *Amando e adorando in ſilenzio con eſſa quel Dio fatto Bambino dentro al ſuo ſeno*. Habet igitur pro ſe non injuſtam excuſationis cauſam, quam probaſſe videtur S. Auguſtinus *ſerm 28. de verb. Apoſt. Jacobi*. *Intereſt*, inquit, *quemadmodum verbum procedat ex animo: quia ream linguam non facit niſi rea mens*. Quod tamen non impedit, quin verbi vitium opportune detegamus, ne fidem inſidioſe corrumpat. Nam ut docet S. Thomas 22. *q.* 11. *art.*2. *ad* 2. *Si ſit inordinata locutio circa ea, quæ ſunt fidei, ſequi poteſt ex hoc corruptio fidei*. Et S. Auguſtinus *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.*23. *Nobis*, inquit, *ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem*.

(a) Mirabitur fortaſſe quis, tot inter myſteria Filii Dei, non fuiſſe factum ſpectabile cor ſub ea quoque proſopopœia, qua Romanus Præſes Pilatus eum in ſpectaculum coram Populo protulit exclamans *Joan.* 19. *Ecce Homo*. Sed ne id quidem jam deeſſe videtur. Nuper enim labente anno 1770. cuſum eſt Romæ, imo vero recuſum, numiſma Cordis, quod inſcribitur *S. Chor Jeſus*. Hoc autem venerabile nomen expreſſum in caſu *recto*, perinde ſonat ac: *ecce Jeſus*. Quod hic equidem mendo, prout aſpirationis notam Cordi adjectam, adſcribi vetat, ut arbitror, averſa numiſmatis pars, quum imaginem præferat delineatam, & deſcriptam *S. IGN. D. LOY. S. I.* Quis autem S. Ignatium appellando, non ipſo linguæ uſu, quæ adjuncto occalluit *Societatis Jeſu* ab eo fundatæ, non fuiſſet revocandus ab *us* ad *u* ſi quod adhibuit, appoſitum cordi nomen *Jeſus*, non eo deſignare voluiſſet caſum rectum, ſed obliquum? Patet igitur quod tanti valet inſcriptio illa (ſtudioſa ſit vel fortuita) *S. Chor Jeſus*, quanti valuiſſet hæc alia *ecce Jeſus*, quæ in idem redit cum præjacta *ecce Homo*. Nomen enim Jeſu æque exprimit in Chriſto Domino *ſolum naturam humanam*, *ſicut hoc nomen Homo*: ut ait S. Thomas 3. *p q.* 16. *art.*5. *corp.*, & *q.*16. *art.* 1. *corp.* Ad hoc itaque numiſma, quod Jeſum redigit ad unum Cor, dicere queas, nec injuria: *En Cordicolarum Hominem*! Sicut olim Philoſopho ſummo, qui deſcripſerat Hominem *animal bipes, & implume*: gallum ſiſtens nudum, ac deplumem: exprobravit alius: *En hominem Platonis*. Aliud ſimile recentius

CAPUT LII.

Charitas eſſentialis ſupponens pro perſona Verbi in duodecim cordis Chriſti imagunculis recens confictis, non ſe habet ad incarnationem, ut terminus, ſed ut principium. Sapientia eſſentialis, quum ſit appropriatum *Verbi, quod eſt ſapientia genita, invenit in eo præter principium etiam terminum incarnationis. Recte dicitur ſapientia incarnata; non recte dicitur cor incarnatum, ſive ſumatur pro charitate increata, quæ non appropriatur Filio, ſed Spiritui Sancto, ſive pro charitate creata, quæ non eſt ſubſiſtens, nec unionem patitur phyſicam, & ſubſtantialem cum carne. Duodecim illa cordis myſteria, duodecies dividunt corpus Chriſti, aut ad unum redigunt membrum.*

AT quis forſan ad purgandum ab errore effatum illud Alacoquianum de *corde incarnato*, quod orbicularis Imago recens conficta, non per aures, ſed per oculos immiſſum, altius ingerit, imprimitque in deluſis intuentium animis, in medium proferet, charitatem communem, hoc eſt eſſentialiter dictam, ſupponere poſſe etiam pro perſona certa, ut pro perſona Patris cum dicitur *Joan.* 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*, & pro perſona Filii cum dicitur *Rom.* 5. *Commendat autem Deus ſuam charitatem in nobis, quia cum inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & 1. Joan.* 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit*: & pro perſona Spiritus Sancti cum dicitur *Rom.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

tius prodiit numiſma Cordis, quod habet poſtica parte non ut ſuperius, effigiem S. Ignatii de Loyola, ſed S. Aloyſii Gonzagæ. Prior error cor aſpirans, in eo non eſt; manet tamen, & repetitus eſt alter, qui quaſi cor perſonans, totum Jeſum abire facit in cor. *S. Cor Jeſus.*

bis. Unde quum charitas ſub typo cordis expreſſa, ſupponere poſſit pro perſona Verbi juxta id quod habetur *Joan.*1. *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris*; ſinus enim eſt cordis clauſtrum, & clarius *Job.*7.; *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* æque recte *cor incarnatum* dici poſſe videtur pro charitate incarnata, ac recte dicitur *ſapientia incarnata*; Utrobique enim ſubſtantivum commune determinatur ab adjectivo ad ſupponendum pro perſona (*a*) Verbi, ſicut cum dicimus Deum incarnatum, aut naturam divinam incarnatam. Facile tamen ad hæc reſpondetur. Charitas enim eſſentialiter dicta, & typo cordis expreſſa, pro quavis perſona (*b*) ſupponat, non ſe habet ad Incarnationem, ut terminus ejus, ſed ut principium, ut clare liquet ex præmiſſa auctoritate, ubi dicitur *Joan.*3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*, & rurſum 1.*Joan.*4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum*; quod idem ſonat, ac amorem Dei cauſam fuiſſe, ut Verbum caro fieret. Tam autem inepte cor ita poſitum, & pro charitate ſumptum, incarnatum diceretur eo ſenſu, quatenus Incarnationi cauſam præbuit, quam abſurde quis diceret, ſolem factum nigrum, quia nigros facit

 Æthio-

(a) Reque ipſa pro perſona Verbi ſicut ſupra *cor incarnatum*, ita & alibi Ven. Margarita uſurpaſſe deprehenditur *cor divinum*, ut liquet ex his, quæ ſcripſit in epiſtola, quam refert Auctor ejus vitæ *lib.*10.*pag.*258. In ea quippe divinum locat, & interjicit cor inter primam, & tertiam perſonam auguſtiſſimæ Triadis. En ipſa verba Ven. Margaritæ N. N. *vi ſaluta, e m'incarica d'accertarvi della ſua più ſincera amicizia. Sentiva pene di morte trovandoſi inutile* AL DIVIN CUORE; *ma le ha dato il ſuo impiego, deſtinandola ad implorare dall'*ETERNO PADRE *di far conoſcere* IL CUOR DIVINO,*dallo* SPIRITO SANTO *di farlo amare, e dalla Santa Vergine d'impiegar il ſuo credito, affinchè* EGLI *goder faccia gli effetti del poter ſuo a chiunque* GLI FA RICORSO. Et hinc, credo, fit, cur Hymnos ad Matutinum, Laudes, & Horas Officii de ſacro Corde Jeſu eo verſiculo abſolvant Alacoquitani: *Jeſu Patris* COR *unicum*; ut eorum ſententia idem eſſe videatur *cor unicum Patris*, ac *cor incarnatum*, & idem ipſe Jeſus *Filius unicus* Patris.

(b) Suppoſitio pro certa perſona vel una, vel pluribus, aut etiam pro natura communi ex adjuncto deſumitur, ut docet S. Thomas 1.*p.* *q* 39. *art* 4. *corp.* ubi *quod hoc nomen, Deus, ex modo ſignificandi habet, ut proprie poſſit ſupponere pro perſona ſicut & hoc nomen homo. Quandoque ergo hoc nomen, Deus, ſupponit pro eſſentia, ut cum dicitur Deus creat: quia hoc prædicatum competit ſubjecto ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt Deitas. Quandoque vero ſupponit perſonam, vel unam tantum, ut cum dicitur, Deus generat; Vel duas ut cum dicitur Deus ſpirat: vel tres ut cum dicitur Regi ſæculorum immortali & inviſibili ſoli Deo &c.* 1.*Thimoth.*1

Digitized by Google

Æthiopes. Τὸ nanque *incarnatum*, ſicut & nigrefactum, unionem dicit cordis ad carnem, & ſolis ad nigredinem, etſi neutrum vertatur in alterutram formam. Unde ait S. Thomas *3. p. q. 16. art. 5. ad 2.*, *quod incarnatio magis importat unionem ad carnem, quam carnis proprietatem. Utraque autem natura in Chriſto eſt unita alteri in perſona, ratione cujus unionis, & divina natura dicitur incarnata, & humana natura deificata* (a).

Retento itaque eo principio, quod cor in hoc themate non tenetur ut terminus, ſed ut principium, (quia Deus qui charitas eſt, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, univit propriæ naturam noſtram in perſona Verbi,) tam repugnat cor pro charitate acceptum, & ſupponens pro perſona Filii, ea de re prædicationem admittere cordis incarnati, quam ſi quis ex eadem communi dilectione, quæ Incarnationis myſterium operata eſt, blaſphemaret incarnatum cum corde Filii, etiam cor Patris, & Spiritus Sancti. Erroris autem huc redit caput, & radix quia τὸ *incarnatum* conjungit terminum cum principio, atque adeo aſſumptionem carnis ſoli Filio congruentem, communem facit tribus perſonis, ut probe diſtinguit S. Thomas *3. p. q. 3. art. 2. ad 1.*, ubi explicans vim vocis, quod *aſſumere dicitur, quaſi ad ſe aliquid ſumere*, præclare reſpondet, *quod ly ſe, eſt reciprocum, & refert idem ſuppoſitum. Natura autem divina non differt ſuppoſito a perſona Verbi; & ideo in quantum natura divina ſumit naturam humanam ad perſonam Verbi, dicitur eam ad ſe ſumere. Sed quamvis Pater ſumat naturam humanam ad perſonam Verbi, non tamen propter hoc ſumit eam ad ſe, quia non eſt idem ſuppoſitum Patris, & Verbi. Et ideo non poteſt dici proprie, quod Pater aſſumat naturam humanam*. Et plenius declarat *art. 4. corp. Aſſumptio*, inquit, *duo importat, ſcilicet actum aſſumentis, & terminum aſſumptionis. Actus autem aſſumen-*

(a) Quod poſt Damaſcenum *lib. 3. Orth. Fid. cap 6.* ſic interpretatur, & plenius dilucidat ſupra *q 2. art. 1. ad 3. Natura divina dicitur incarnata, quia eſt unita carni perſonaliter. non quod ſit in naturam carnis converſa; ſimiliter & caro dicitur deificata (ut ipſe dicit) non per converſionem, ſed per unionem ad verbum, ſalvis ſuis proprietatibus naturalibus, ut intelligatur caro deificata: quia facta eſt Dei Verbi caro, non quia facta ſit Deus.*

mentis procedit ex divina virtute, quæ communis eſt tribus perſonis, ſed terminus aſsumptionis eſt perſona ſicut dictum eſt. Et ideo id, quod eſt actionis in aſsumptione, commune eſt tribus perſonis, ſed id quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni perſonæ, quod non alii. Tres enim perſonæ fecerunt, ut humana natura uniretur uni perſonæ Filii. Additque *ad 2. quod natura dicitur incarnata ſicut & aſsumens, ratione perſonæ, ad quam terminata eſt unio, ſicut dictum eſt, non autem prout eſt communis tribus perſonis.*

Atque hinc ſtatim evincitur nullius eſſe momenti, quod recte dicatur *Sapientia incarnata*. Sapientia enim vel abſolute dicta, convenit cum eo, quod per *appropriationem* attribuitur proprio Filii, qui eſt Sapientia genita, ſicut charitas cum eo convenit, quod per *appropriationem* tribuitur Spiritui Sancto, qui eſt amor procedens, ut expendit S. Th. 1. *p. q. 39. art. 8 corp. Sapientia vero ſimilitudinem habet cum Filio cæleſti, in quantum eſt Verbum, quod nihil aliud eſt, quam conceptus ſapientiæ: .... Bonitas autem cum ſit ratio, & objectum amoris, habet ſimilitudinem cum Spiritu divino, qui eſt Amor.* Unde Incarnatio de Sapientia dicta, non invenit in ea ſolum principium dirigens, ſicut in chacitate ſolum invenit principium movens; (*Hoc enim ipſum quod Filius datur, eſt ex Patris amore ſecundum illud Joan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* ſicut ait S. Thomas 1. *p. q. 38. art. 2. ad* 1.); ſed invenit etiam proprium terminum propter ejus appropriationem ad perſonam Filii, quæ ſola carnem ſuſcepit. Et quamvis attributa abſoluta, inter quæ numerantur cum cæteris ſapientia, & charitas eſſentialiter dictæ, præintelligantur proprietatibus relativis, quales ſunt ſapientia genita, & charitas ſpirata, his tamen poſteriora fiunt ex ſuppoſitione dictæ appropriationis, ut opportune notat, & exemplo declarat S. Thomas 1. *p. q. 39. art. 7. ad* 3. Ait enim, *quod licet eſſentiale attributum ſecundum rationem propriam ſit prius quam perſona, ſecundum modum intelligendi: tamen in quantum habet rationem appropriati, nihil prohibet pro-*

prium

prium perſonæ eſſe prius quam appropriatum. Sicut color poſterior eſt corpore, in quantum eſt corpus, prior tamen eſt corpore albo, in quantum eſt album. Sapientia igitur per utrumque modum, & proprietatis, & appropriationis, convenit cum Verbo, quod eſt ſapientia genita, & procedit a Patre per æternum Sapientiæ conceptum. Charitas autem per neutrum modum cum eo convenit, quia nec eſt charitas procedens, nec a voluntate prodit per amorem. Unde cor incarnatum pro charitate incarnata, non poteſt dici de Filio Dei, ſicut Sapientia incarnata. Hoc enim adjectivum terminum infert Incarnationis, ideſt perſonam incarnatam, non ſolum Incarnationis principium, quod unum tamen invenitur in charitate Filii, non utrumque, prout in attributo Sapientiæ (*a*).

At enim *cor incarnatum* ita ſaltem dici poterit, ut idem intelligatur, ac *caritas creata*? Veruntamen ne ita quidem. Nam charitas creata non eſt ſubſiſtens prout increata, eoque tam reſpuit prædicatum cordis incarnati, quam formæ ſubſiſtentis. Præterea charitas creata non unit Chriſtum effective naturæ humanæ, quod proprie ſonat Incarnationis vocabulum, ſed unit affective animam ejus naturæ

(a) Mihi quidem de his cogitanti venit in mentem, quod Filio Dei præter appropriatum Sapientiæ congruit etiam appropriatum virtutis; habemus enim 1. *Cor.* 1. *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*: Cor autem non tantum exprimit amorem, ſed & animi virtutem deſignat. *Cujus cor eſt quaſi leonis.* 2. *Reg.* 17. *Et mihi eſt cor ſicut & vobis. Iob.* 12. Facile tamen, ſtatimque deprehendi, nihil hæc valere ad ſanandam vocem *Cordis incarnati*. Virtus enim ſi ſumatur, ut principium agendi, non appropriatur Filio, ſed adſcribitur Patri, *nam virtus ad potentiam pertinet*, ut ait S. Thomas 1. *p. q.* 39. *art.* 8. *in* 3. *arg.* Si vero ſumatur quaſi quid emanans a potentia, non eſt peculiare appriatum Filii, ſed commune etiam Spiritui Sancto, ut *ibidem* probat S. Doctor, & plenius explicat *in ſolut. ad* 3. *Virtus autem appropriatur Filio, & Spiritui Sancto: non ſecundum quod virtus dicitur ipſa potentia rei, ſed ſecundum quod interdum virtus dicitur id, quod a potentia rei procedit, prout dicimus aliquod virtuoſum factum eſſe virtutem alicujus agentis.* Hinc etſi paſſim Filius dicatur, ultra proprium Sapientiæ genitæ, etiam per appropriatum eſſentialis, *Sapientia incarnata*, nuſquam tamen in hunc modum dictus legitur: *Virtus incarnata.* Sed & animi virtus, quæ ad ardua hominem excitat, & aggredi facit alacritate ſua grandiora quæque ac ſplendidiora, aliena videtur a ſignificatu *Cordis incarnati*; quod in ſenſu Ven. Margaritæ de Incarnatione loquentis, prout ea Filius Dei *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens ad Philip.* 2. characteres habet non animoſi, ſed quieti & modeſti ſpiritus, ad quem Dominus tamquam ad regulam exegit cunctorum corda fidelium, illud nimirum omnibus indicens: *Matth.* 11. *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde.*

ræ divinæ. *In myſterio autem Incarnationis magis conſideratus deſcenſus divinæ plenitudinis in naturam humanam, quam profectus humanæ naturæ quaſi præexiſtentis in Deum*, ut apte diſtinguit S. Thomas 3. *p. q.*34. *art.*1. *ad* 1. His accedit, quod expreſſio *cordis incarnati* pro charitate Chriſti creata, ingenio ſuo nata eſt fallere, decipereque fideles (*a*). Quis enim hoc audiens de Chriſto, non id æſtimet dictum de corde, quod caro eſt, & venit in partem carnis, non autem de charitate Chriſti, quæ nil commune habet cum carne, utpote quid pure, & ſimpliciter ſpirituale? Unde hanc falſitatis notam cuncta ſubeunt, quæ cordi addicuntur in ea multiformi cordis imagine, Præſepe ſcilicet, Cœnaculum, Prætorium, Calvarium, & id genus alia, queis Cor Chriſti effingitur inter muta animalia recumbens, ad columnam vinctum, de Cruce ſuſpenſum, in Sepulchro jacens, & extra alibi vagans. Quis quæſo, ſi cor habet bene poſitum, non videt his duodecim cordis imagunculis duodecies diviſum in Chriſto Domino cor ejus a corpore, totumque corpus duodecies redactum ad unum membrum? Quod tamen, ut vidimus, *non multum proprie* diceretur de Chriſto etiam comparate ad corpus myſticum, quod non habet, ut naturale, membra ſua ſimul compacta, ſed loco, & tempore inter ſe disjuncta, & quoad individua reipſa quoque diverſa, ut obſervat S. Thomas 3. *p. q.* 8. *art.*3. *corp. Hæc eſt*, inquit, *differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Eccleſiæ myſticum, quod membra corporis naturalis ſunt omnia*

(a) *Cor incarnatum* pro caritate Chriſti, de qua Cordicola quidam gallice ſcripſerat *Amour qui par ſon union hypoſtatique avec ce cœur de chair, le rend digne d'être honoré du culte ſuprême*: hac cenſura notatum deprehendi apud Auctorem anonymum. *Mais qu'éntend on par l'union hypoſtatique de l'amour de J. C. avec ſon cœur de chair? Eſt-ce que l'amour de J. C. eſt une hypoſtaſe?* Sed & alio ducere poteſt inſidioſa expreſſio *cordis incarnati*, ut ſcilicet inſenſibili vi latenter abripiat a ſemita Fidei. Nam ſi theologice, imo vero catholice loquendo, non poteſt ſupponere, ut viſum eſt, pro Perſona *æterna* Filii Dei, pronum eſt, ut ſupponere faciat pro perſona *temporali*. Hoc autem ſponta ſua *Neſtorianiſmo* viam ſternit ſub recenti *Berruyeriano* commento, quod totum ſubvertit Incarnationis myſterium, & humanæ Redemptionis opus; dum præter Verbum, & *Filium Patris æternum*, ſacratiſſimam ipſam Humanitatem tanquam *Filium Dei temporalem* obtrudit, ut latius ac ſæpius obſervatum eſt in ſuperioribus *Notis*.

Digitized by Google

omnia ſimul, membra autem corporis myſtici non ſunt omnia ſimul: neque quantum ad eſse naturæ, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi, uſque ad finem ipſius; neque etiam quantum ad eſse gratiæ. Et ſubdit paullo poſt, *quod accipiendo generaliter ſecundum totum tempus mundi, Chriſtus eſt caput omnium hominum, ſed ſecundum diverſos gradus.*

CAPUT LIII.

Quo ſenſu recte dicatur Chriſtus membrum Eccleſiæ. Totum Eccleſiæ bonum perfecte repetitur in ſolo Chriſto. Ratio membri non aufert a capite quas habet prærogativas in corpore naturali.

SI quis forte ex Adverſariis noſtris ad verba captanda, quibus tegere valeat ſignificativam diviſionem corporis Chriſti, quam cultus infert cordis carnalis, prætextum, ac latebram quæreret in præfato Apoſtoli loco 1. *ad Corinth.* 12. ubi Paulus Chriſtum partiali deſignat *membri* nomine, negaretque recipere poſſe teſtimonium hoc eam S. Thomæ interpretationem, quod ſcilicet *non multum proprie* Chriſtus *dicatur membrum*; is animadvertere debet, nec ſibi ſonum prodeſſe, nec poteſta tem dictæ vocis. Eo namque loci de Chriſto loquitur Apoſtolus tamquam de *membro* comparate ad corpus myſticum Eccleſiæ non ſeorſum ſumptum a capite, ſed cum ipſo capite Chriſto. *Sicut enim corpus unum eſt, & multa habet membra, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus*, ut ibidem præmittit Apoſtolus. Et concinit S. Thomas 3. *p. q.* 49. *art.* 1. *corp. Sicut enim naturale corpus eſt unum ex membrorum diverſitate conſiſtens, ita tota Eccleſia, quæ eſt myſticum Corpus Chriſti, computatur quaſi una perſona cum ſuo capite, quod eſt Chriſtus.* Corporis autem

tem ſic accepti unitatem altius repetit Apoſtolus ab uno Spiritu Dei. Unde ſtatim ita proſequitur *dict. cap.12. Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus*. Eoque ſenſu etiam homini Chriſto, qui Caput noſtrum eſt, partiale nomen membri convenire poteſt citra ullam improprietatis notam; habet enim hoc ſenſu ſuperius Caput & Ipſe. *Caput vero Chriſti Deus*, ut ſupra diſerte teſtatur Apoſtolus *cap.11.*, & apte connotat S. Thomas *3.p. q.8. art.1. ad 2.* ubi ait *quod in methaphoricis locutionibus non oportet attendi ſimilitudinem quantum ad omnia. Sic enim non eſſet ſimilitudo, ſed rei veritas. Capitis igitur naturalis non eſt caput aliud, quia corpus humanum non eſt pars alterius corporis, ſed corpus ſimilitudinarie dictum, ideſt aliqua multitudo ordinata, eſt pars alterius multitudinis, ſicut multitudo domeſtica eſt pars multitudinis civilis: & ideo Paterfamilias, qui eſt caput multitudinis domeſticæ, habet ſupra ſe caput, Rectorem Civitatis. Et per hunc modum nihil prohibet Caput Chriſti eſſe Deum, cum tamen ipſe Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ*. Et propterea ratio membri appropriata Chriſto, non ei convenit ſecundum nos, niſi ſub Deo, cui uno conjungimur ſpiritu cum Chriſto Jeſu, ut obſervat S. Doctor *ſupplem. q.95. art.3. ad 4. Sic autem loquendo de Eccleſia, Eccleſia non ſolum nominat ſponſam, ſed ſponſum, & ſponſam, prout per conjunctionem ſpiritualem eſt ex eis unum effectum. Unde licet Chriſtus aliquo modo dicatur membrum Eccleſiæ, nullo tamen modo poteſt dici membrum ſponſæ*. Nam ut ibi præmittit, & ſupra jam vidimus, *Ipſe eſt totum Eccleſiæ bonum, nec eſt aliquid majus ipſo, & alius quam ipſe ſolus*.

Idque proprium eſt ejus, qua Caput eſt; In Caput enim nulla cadit minorationis imperfectio, quod & ipſum ſit unum de corporis membris. Sic S. Thomas, qui ſoluturus argumentum hoc plane ſyllogiſmo comprehenſum: *Caput eſt corporis membrum; ſed Chriſtus ut videtur, non eſt membrum Eccleſiæ, quia membrum partialitatem quamdam importat, & per conſequens im-*

Digitized by Google

perfectionem, reſpondet S. Doctor *q.29. de verit. art.4. ad 6. quod Chriſtus ab Apoſtolo expreſſe dicitur Eccleſiæ membrum* 1. *Cor.* 12. *Vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro. Dicitur autem membrum ratione diſtinctionis ab aliis Eccleſiæ membris. Diſtinguitur autem ab aliis membris ratione ſuæ perfectionis, quia in Chriſto eſt univerſaliter gratia, non autem in aliquo aliorum, ſicut & caput corporis naturalis ab aliis membris diſtinguitur. Unde non oportet, quod Chriſto attribuatur aliqua imperfectio.* Idque luculentius declarat *in corp.* ducta comparatione a capite naturali: *Invenitur enim caput*, inquit, *ad alia membra eſſe in duplici habitudine, ſcilicet diſtinctionis, & conformitatis. Diſtinctionis quidem* (primo) *quantum ad dignitatem: quia Caput plene poſſidet omnes ſenſus, non autem alia membra. Secundo ratione gubernationis: quia caput omnia alia membra in ſuis actibus gubernat, & regulat tam per ſenſus exteriores, quam per interiores, qui in capite ſedem habent. Tertio ratione cauſalitatis: nam caput influit omnibus membris ſenſum, & motum. Unde & Medici dicunt nervos a capite originem ducere, & quicquid pertinet ad vires animales apprehenſivas, & motivas.* Et idem repetit etiam *art.* 5. *corp. In capite enim naturali non ſolum eſt vis ſenſitiva ad hoc quod ſentiat per viſum, auditum, & tactum, & hujuſmodi ſenſus; ſed etiam eſt in eo, ut in radice, a qua in alia membra ſenſus effluunt.*

CA-

CAPUT LIV.

Spiritus Sanctus dicitur Cor Eccleſiæ, & ſic etiam Chriſtus ſecundum divinitatem ratione influentiæ occultæ, ſed ejus Caput dicitur Chriſtus ſecundum humanitatem ratione influentiæ manifeſtæ. Humanitas Chriſti, ut organum divinitatis, eſt inſtrumentalis cauſa gratiæ. Nomen membri, capitis, & cordis dictum de Chriſto, non dicitur proprie, ſed figurate, ſeu ſymbolice. Quælibet pars naturaliter plus amat bonum totius, quam bonum ſui ipſius.

SAtis jam, ut ego arbitror, liquet Apoſtoli verbum de Domino loquentis tamquam de *membro*, nullius eſſe momenti, ut Corpus Chriſti naturale *ſuſceptivum* eſſe queat *ſignificativæ diviſionis* in ſe. Nam ſi membrum illud, & totum in ſe habet, & totum influit bonum, quod eſt ſparſum in alia membra, & collectum reperitur in toto ejus corpore myſtico (*a*), manifeſta res eſt, quod non dicitur tale reſpectu ad corpus Eccleſiæ, ſed reſpectu ad ſolum Deum. Sub Deo autem, qui propterea nedum Caput Chriſti, ſed & Cor dici poteſt Eccleſiæ, homo Chriſtus nominatur, & eſt Eccleſiæ Caput, ut bene notat S. Thomas *q.*29. *de verit. art.*4. *ad* 7. ubi diluens objectum, quod *ſecundum Philoſoph. in* 13. *de animalibus cor eſt principium ſenſuum, & motus, & vitæ; ſi igitur ratione ſpiritualis influentiæ Chriſto aliquod nomen debetur, magis debetur ei nomen cordis, quam capitis; præcipue cum caput a corde recipiat, Chriſtus autem a nullo Eccleſiæ membro*, cohærenter ad hanc *antiquo-*

(a) Quod hoc illuſtri confirmat exemplo S. Thomas 22. *q.* 483. *art.* 2. *corp. Sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, quæ in Deo ſimpliciter, & uniformiter invenitur, in univerſitate creaturarum inveniri non potuit, niſi difformiter & multipliciter; ita etiam plenitudo gratiæ, quæ in Chriſto ſicut in capite adunatur, ad membra ejus diverſimode redundat ad hoc quod corpus Eccleſiæ ſit perfectum.*

tiquorum de corde ſententiam appoſite dixit, *quod cor eſt membrum latens, caput autem apparens. Unde per cor poteſt ſignificari divinitas Chriſti, vel Spiritus Sancti. Per Caput autem ipſe Chriſtus ſecundum naturam viſibilem, cui natura divinitatis inviſibilis influit*. Et conſonat etiam 3.*p.q.*8.*art.*1.*ad* 3. ubi docet *quod caput habet manifeſtam eminentiam reſpectu cæterorum exteriorum membrorum: ſed cor habet quamdam influentiam* (a) *occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui inviſibiliter Eccleſiam vivificat, & unit. Capiti autem comparatur ipſe Chriſtus ſecundum viſibilem naturam, ſecundum quam homo hominibus præfertur*. Non quod ejus actio ſit tantum exterior, nec pertingat ad collationem intimam gratiæ, ſed quia non eam influit virtute propria, ſed virtute divinitatis unitæ, ut explicat idem S. Thomas 1.2.*q.*112. *art.*1. *ad* 1. ubi ait: *quod humanitas Chriſti eſt ſicut quoddam organum divinitatis ejus, ut Damaſc. dicit in* 3. *lib. Inſtrumentum autem non agit actionem agentis principalis propria virtute, ſed virtute principalis agentis. Et ideo humanitas Chriſti non cauſat gratiam propria virtute, ſed virtute divinitatis adjunctæ, ex qua actiones humanitatis Chriſti ſunt ſalutares. Et* 3. *p. q.*8. *art.*6. *corp. Interior autem influxus gratiæ non eſt ab aliquo, niſi a ſolo Chriſto: cujus humanitas ex hoc quod eſt divinitati conjuncta, habet virtutem juſtificandi*: Et melius declarat ſupra *art.*1.*ad* 1. inquiens *quod dare gratiam, aut Spiritum Sanctum convenit Chriſto ſecundum quod Deus auctoritative. Sed inſtrumentaliter convenit etiam ei ſecundum quod homo, in quantum ſcilicet ejus humanitas inſtrumentum fuit divinitatis ejus. Et ita actiones ipſius ex virtute divinitatis fuerunt nobis*

(a) Quam tamen S. Doctor diſerte tribuit etiam Capiti ut videre eſt 3 *p q* 8.*art.*6. *corp.* ubi *quod caput in alia membra influit dupliciter. Uno modo quodam* INTRINSECO INFLUXU: *prout ſcilicet virtus motiva, & ſenſitiva a capite derivatur ad cætera membra. Alio modo ſecundum quamdam exteriorem gubernationem: prout ſcilicet ſecundum viſum, & alios ſenſus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus*. Idque mox repetit *art.* 7. *pariter corp. Sicut ſupra dictum eſt, caput non ſolum* INTERIUS *influit membris, ſed etiam exterius gubernat, eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Sic ergo poteſt dici aliquis caput alicujus multitudinis: vel ſecundum utrumque, ſcilicet* SECUNDUM INTERIOREM INFLUXUM, *& exteriorem gubernationem: & ſic eſt Chriſtus Caput Eccleſiæ, ut dictum eſt; vel ſecundum ſolam exteriorem gubernationem; & ſic quilibet Princeps, vel Prælatus eſt Caput multitudinis ſibi ſubjectæ*.

Digitized by Google

bis ſalutiferæ, utpote gratiam in nobis cauſantes, & per meritum, & per efficientiam quamdam. Et infra *q.62. art.6. corp. & ad* 1. ubi *quod Verbum, prout erat in principio apud Deum, vivificat animas ſicut agens principale; caro tamen ejus, & myſteria in ea perpetrata, operantur inſtrumentaliter ad animæ vitam*.

Quidvis autem ex laudatis nominibus membri, Capitis, & Cordis, quæ varie de Chriſto ſub variis dicuntur aſpectibus; membrum ſcilicet, prout Eccleſiam unit ſub Deo; Caput vero, prout illi præficitur ut homo; Cor autem, prout eam vivificat ut Deus; quodvis, inquam, ex laudatis nominibus non eſt poſitum, nec acceptum proprie, ſed myſtice; atque adeo ſub iſtorum nominum ſymbolis nulla fit a toto phyſicarum partium diſcretio. Quum enim dicitur Eccleſiæ membrum, prout eam unit ſub Deo, nulla fit diviſio Chriſti partium inter ſe, & illius tantum ſignificatur diſtinctio a cæteris membris. Quum dicitur Eccleſiæ Caput, prout illi præficitur ut homo, nihil apponitur quod ad diviſionem pertinere poſſit, ſed univocum datur, & multiplex quidem unionis indicium, ut explicat S. Thomas *q.29. de verit. art.4. corp. Invenitur etiam triplex conformitas capitis ad membra. Prima quidem ſecundum naturam; nam caput & cætera membra partes ſunt unius naturæ. Secunda ratione ordinis; Eſt enim quædam unio ordinis inter caput, & membra, in quantum membra ſubſerviunt ſibi invicem, ſecundum quod dicitur* 1.*Cor.*12. *Tertia eſt ratione continuitatis; nam caput cæteris membris in corpore naturali continuatur*. Quum demum dicitur Eccleſiæ Cor prout ipſam vivificat ut Deus, tantum abeſt, ut per id aliqua diviſionis ſpecies referatur, quin potius admirandæ unionis vinculum ſignificetur. Fit enim ita, ut homines veluti *concorporati* Chriſto divinæ efficiantur conſortes unitatis, ut ipſe Patrem orans teſtificatus eſt *Joann.*17. *Omnes*, inquit, *unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*. Quare ſi Chriſtus ſub myſtica voce membri, ſub typo Capitis, ſub ſymbolo Cordis deſignatur ut organum, ut gluten, ut auctor unitatis Eccleſiaſticæ, *quia mem-*

Digitized by Google

membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus, ut ait Apoſtolus *ad Epheſ.*5. fieri neceſſario debet, ut hæc ſymbola ad myſtici Corporis Chriſti unitatem ſignificandam deſtinata, perfectam etiam ſupponant in illius phyſico, ac naturali corpore tum carnis, tum oſſium, tum denique partium omnium unionem, & integritatem, ex qua tota oritur vis, & energia, illius myſticæ ſignificationis, quam ſymbola iſta habent.

Unde conſequens eſt, ut quodvis Chriſti membrum plus eam amet quam ſe, plus amet cor cohærere toti, quam honorari, quam coli ſecundum ſe, *quia unaquæque pars naturaliter plus amat commune bonum totius, quam particulare bonum proprium*, ut ait S. Thomas 2 2.*q.*26.*art.*3.*corp.* Et rurſus *art.*4. *ad* 3. *Semper autem commune bonum eſt magis amabile unicuique, quam proprium bonum. Sicut etiam ipſi parti eſt magis amabile bonum totius, quam bonum partiale ſui ipſius.*

CAPUT LV.

In generatione viventium S. Thomæ, & veterum opinione primum inter membra formatur cor; & ideo operatur ad generationem aliorum membrorum, rationemque ſortitur cujuſdam totius; non illud tamen eſt totum rei, ſed virtutis tantum.

ET quidem unionis amor naturaliter inditus unicuique parti reſpectu totius, & conſequenter etiam cordi reſpectu corporis, a fortiori vigere debet in ſacro Corde Jeſu, tum quia Corpus ejus ex divino plane conſilio ſua illa perfectiſſima, & admirabili integritate ordinatum eſt ad ſignificandam unitatem indiſſolubilem ſui etiam corporis myſtici, tum quia nulla unquam in eo fuit nec directa, nec incidens diviſio cordis a reliquis partibus. De priori quidem prærogativa nonnulla hîc tacta ſunt, & plura ſuperius tradidimus. Et certe quod *non Caput*

Digitized by Google

put Chriſto amputatur ut Joanni, neque ſectus eſt ut Iſaias ad hoc myſterium refert S.Thomas cum Chryſoſtomo *3.p. q.46. art.4. ad 1. ut corpus integrum, & indiviſibile morti ſervet, & non fiat occaſio volentibus Eccleſiam dividere.* Additque *q.64.art.4.ad 3.quod ad hoc inconveniens evitandum, ne ſcilicet multa capita in Eccleſia eſſent, noluit poteſtatem ſuæ excellentiæ miniſtris communicare; ex quibus diviſio in Eccleſia oriretur*, ut ibi præmittit *ad 1.* De poſteriori vero prærogativa nemo unquam dubitavit, eique locuples reddit inter alia teſtimonium illud ipſum lateris vulnus, quo paſſim, ac perperam abutuntur Adverſarii, quippe quod fractioni crurium ſuffectum fuit in perenne monumentum, quod corpus ejus prægustaverat mortem, ne quam pateretur, ſi ſuperſtes fuiſſet, integritatis jacturam. Abfuit igitur a Corpore Chriſti quævis diviſio directa, hoc eſt per violentiam, aut paſſionem illata. Sed quævis abfuit etiam incidens, quam ſcilicet non vis infert aliena, repugnante natura, ſed propria ſecum conditio fert corporis ſecundum ipſas naturæ leges. In generatione ſiquidem viventium non omnes partes ſimul exiſtunt, ſed eas omnes antevertit cor, ut obſervat S. Thomas 22.*q.*122. *art.*2. *corp. In ordine autem generationis duo ſunt attendenda. Quorum primum eſt, quod prima pars primo conſtituitur: Sicut in generatione animalis primo generatur cor.* Ex quo ſimul fit, ut cor ipſum operetur ad generationem aliorum membrorum, ut connotat S. Doctor *q.3. de potent. art.18. ad 10.*, ubi poſtquam ait *quod licet cor ante alia membra formetur, tamen totius corporis animalis eſt una continua generatio, non quod ſeorſum una generatione formetur cor, & poſtmodum ſucceſſive aliis generationibus alia membra aliquibus temporibus interjectis* appoſite ſubjicit. *Et præterea cor neceſſe eſt in animali prius formari, quia virtus cordis operatur ad formationem aliorum membrorum.*

Ac proinde ſi cor generatur ante cætera membra, conſequens eſt, ut ſit aliquando ab iis diviſum, ſin minus poſitive, ſaltem negative, ſeu ut exiſtens ſit a parte rei, dum alia membra non ſunt adhuc in rerum natura; ac ſi ſuam præterea habet cau-

Digitized by Google

cauſalitatem in formatione aliorum membrorum, ſequitur etiam, ut ſpeciem præſeferre debeat cujuſdam totius, non rei tamen, prout exigitur ad compoſitum animalis perfecti, ſed virtutis tantum. Atque id equidem cordi congruit uti corporis membro primum generato, ſicuti & vitalis motus ei congruit tanquam inſtrumento; verum & hoc convenit alteri illi organo, quod generationi famulatur active, ut comparando inter ſe naturales illorum motus obſervat S. Thomas 1. 2. *q.* 17. *art.*9. *ad* 3. *Specialiter autem hoc accidit in his duobus membris: quia utrumque iſtorum membrorum eſt quaſi quoddam animal ſeparatum, in quantum eſt principium vitæ. Principium autem eſt virtute totum. Cor enim eſt principium ſenſuum: & ex membro genitali virtus exit ſeminalis, quæ eſt virtute totum animal*. Addidimus autem cor non eſſe totum rei, ſed virtutis tantum, prout exprimit etiam S. Doctor; Nam quod influat in cætera membra, & ad illorum formationem operetur, id non aufert a corde rationem, & naturam partis, ſeu ſimplicis membri, ut de principio geneſeos, quod prodit ex altero, dixit S. Thomas 1. *p. q.*119. *art.*2. *corp.* ubi pro inconvenienti habens ſi cui forte videretur *quod eſſet reſolutum ab omnibus partibus corporis, & quod retineat naturam omnium partium; & ſic ſemen eſſet quaſi quoddam parvum animal in actu*, hinc ſtatim ad rem noſtram ſic infert ex oppoſito: *relinquitur ergo quod ſemen non ſit deciſum ab eo quod erat actu totum, ſed magis in potentia totum, habens virtutem ad productionem totius corporis derivatam ab anima generantis*. Et quod nec ſuam adſciſcat ſibi cor niſi pariter mutuatam ab anima generati, æque patens eſt, & ſimul ipſe docet loco præcitato 1. 2. *q.*17. *art.*9. *ad* 2. *Principium autem corporalis motus eſt a motu cordis .... conſequitur enim ſicut per ſe accidens vitam, quæ eſt ex unione corporis, & animæ* (*a*). Eodemque redit, ad parem nempe ſubordinatam connexio-

(a) Cor autem uti conſtans trina dimenſione, non ſolum eſt corporis pars, ſed ſuppari ratione corpus eſt & ipſum; cui quidem corpuſculo æque congruit, quod apte monet S. Thomas 1. *p. q.* 3. *art.*1. *corp. Corpus autem vivum non vivit in quantum* cor-

nexionem cum anima, quod urgeri ſolet, celebre dictum S. Doctoris ita teſtantis, & concludentis *opuſc. de diligen. Deo cap.* 19. *Cor ergo quod eſt originale domicilium vitæ naturalis, excitatur præcepto, ut ſuo modo* (*a*) *cooperetur ad eliciendum actum vitæ gratuitæ*.

CAPUT LVI.

Cor Jeſu non præceſſit alia membra, nec ad illorum formationem cooperatum eſt, quia conceptio Chriſti non fuit ſucceſſiva, ſed inſtantanea.

NON hæc erunt fortaſſe omnino ingrata Adverſariis noſtris. Decerpentes enim ex iis quod facere putarint ad rem ſuam, reſpirabunt primum aliquantulum, animiſque recreati, quid nos arguis, inquient, cultus falſi, ſi Cor Jeſu fuit aliquando ſine cæteris membris, fuitque ſi non rei, totum tamen aliquando virtutis? Sed eos ſtatim pœnitebit hæc jactabundos intendiſſe, faterique cogentur vel inviti, noviſſimum errorem pejorem eſſe priore. Prior enim virtutem lædit veritatis, noviſſimus fidei. Nam ſi Cordis Jeſu præexiſtentiam ſupponerent relate ad cætera membra, ejuſque actionem in illorum formatione, quod commune diximus aliorum hominum cordibus, omniumque viventium, conceptionem Chriſti non inſtantaneam agnoſcerent, ſed ſucceſſivam, quod fidei repugnat,

corpus, quia ſic omne corpus viveret: oportet igitur quod vivat per aliquod aliud ſicut corpus noſtrum vivit per animam. Et infra *q.* 76. *art.* 4. *ad* 1. ubi *quod in eo, cujus anima dicitur actus, etiam anima includitur: eo modo loquendi quo calor eſt actus calidi, & lumen eſt actus lucidi: non quod ſeorſum ſit lucidum ſine luce, ſed quia eſt lucidum per lucem, & ſimiliter dicitur quod anima eſt actus corporis &c. quia per animam & eſt corpus, & eſt organicum, & eſt potentia vitam habens.*

(a) Cooperandi modus qualis ſit, explicat S. Doctor 1. 2. *q.* 56. *art.* 4. *ad* 2. ait enim *quod ſicut caro hominis ex ſe quidem non habet bonum virtutis, fit tamen inſtrumentum virtuoſi actus, in quantum movente ratione membra noſtra exhibemus ad ſerviendum juſtitiæ; ita etiam iraſcibilis, & concupiſcibilis* (ad quas pertinet excitatio & cooperatio cordis hic poſita) *ex ſe quidem non habent bonum virtutis, ſed magis infectionem fomitis. In quantum vero conformantur rationi, ſic in eis aggeneratur bonum virtutis moralis.* Eoque ſpectat inter cætera quod cecinit S. David *Pſal.* 62 *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

gnat, & articulum ſubruit, quo conceptum profitemur Filium Dei, ut plene monſtrat S. Thomas 3.*p.* *q.*33. *art.*1. *corp.* ubi *quod in conceptione Corporis Chriſti tria eſt conſiderare. Primo quidem motum localem ſanguinis ad locum generationis. Secundo formationem corporis ex tali materia. Tertio autem augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam: In quorum medio ratio conceptionis conſiſtit. Nam primum eſt conceptioni præambulum, tertium autem conceptionem conſequitur. Primum autem non potuit eſſe in inſtanti, quia hoc eſt contra ipſam rationem motus localis corporis cujuſcumque, cujus partes ſucceſſive ſubintrant locum. Similiter & tertium oportuit eſse ſucceſſivum: tum quia augmentum non eſt ſine motu locali, tum quia procedit ex virtute animæ jam in corpore formato operantis, quæ non operatur niſi in tempore. Sed ipſa formatio corporis, in qua principaliter ratio conceptionis conſiſtit, fuit in inſtanti duplici ratione. Primo quidem propter virtutem agentis infinitam, ſcilicet Spiritus Sancti, per quam Corpus Chriſti eſt formatum, ut ſupra dictum eſt. Tanto enim aliquod agens citius poteſt materiam diſponere, quanto majoris virtutis eſt. Unde agens infinitæ virtutis poteſt in inſtanti materiam diſponere ad debitam formam. Secundo ex parte perſonæ Filii, cujus corpus formabatur: non enim erat congruum, ut corpus humanum aſſumeret niſi formatum. Si autem ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis præceſſiſſet, non poſſet tota conceptio attribui Filio Dei, quæ non attribuitur ei niſi ratione aſſumptionis. Et ideo in primo inſtanti, quo materia adunata pervenit ad locum generationis, fuit perfecte formatum Corpus Chriſti, & aſſumptum. Et per hoc dicitur ipſe Filius Dei conceptus, quod aliter dici non poſſet.* Et ſubdit *art.* 3. *ad* 1. *quod ſi caro Chriſti non fuiſſet in inſtanti formata, ſeu concepta, ſed per temporis ſucceſſionem, oporteret alterum duorum ſequi, vel quod aſſumptum nondum eſſet caro, vel quod prius eſſet conceptio carnis, quam ejus aſſumptio. Sed quia ponimus conceptionem in inſtanti eſſe perfectam, conſequens eſt, quod in illa carne ſimul fuit concipi, & conceptum eſſe. Et ſicut Auguſt. dicit in lib. de Fid.*

ad

ad Petr. Dicimus ipſum Dei Verbum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamque carnem Verbi incarnatione conceptam.

Non præceſſit itaque cor Chriſti, ſicut in nobis (*a*), formationem aliorum membrorum, nec eam, ſicut in nobis, operatum eſt, ſed omnia membra ſimul extiterunt ſecundum ordinem temporis. *Conceptum namque illico perfectum fuit, non per intervalla paulatim formatum*, ut ait S. Baſilius Magnus *Homil.* 25. At nec etiam ſecundum alium, quem naturæ vocant, ordinem, ullam præ cæteris membris prærogativam habuit Cor in illa mirabili conceptione, ut oſtendit S. Thomas 3. *p. q.* 6. *art.* 5. *corp. In incarnatione autem oportet maxime attendere ordinem, qui eſt ex parte agentis: quia ut Auguſt. dicit in Epiſt. ad Voluſianum in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis. Manifeſtum autem eſt, quod ſecundum intentionem facientis prius eſt completum, quam incompletum, & per conſequens totum quam partes. Et ideo dicendum eſt, quod Verbum Dei aſſumpſit partes humanæ naturæ mediante toto.* Unde fides conſtare nequit conceptionis ejus, niſi cor intelligatur cum corpore, & cum anima rationali, quod eſt totum humani compoſiti, ut rurſus evincit S. Doctor 3. *p. q.* 33. *art.* 2. *corp. Ad hoc*, inquit, *quod conceptio ipſi Filio Dei attribuatur* (*ut in Symbolo confitemur, dicentes: Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto*) *neceſſe eſt dicere, quod ipſum Corpus Chriſti, dum conciperetur, eſſet a Verbo Dei aſſumptum. Oſtenſum eſt autem ſupra, quod Verbum Dei aſſumpſit corpus mediante anima, & animam mediante ſpiritu, ideſt intellectu. Unde oportuit, quod in primo inſtanti conceptionis Corpus Chriſti eſſet animatum anima rationali*; adjicitque *ad* 3. *quod in generatione aliorum hominum locum habet quod dicit Philoſophus* (de triplici animarum ordine, vegetativæ, ſenſitivæ, ratio-

(a) Sic equidem cum Angelico Præceptore de *cordis* efformvtione in ſuperioribus tradidimus. Eam enim S. Doctor ſententiam amplectebatur, qua veteres Phyſici putabant Cor primum, tamquam aliorum omnium membrorum, viſcerumque principium, in humano fœtu efformari. Sed ante *cor* partes alias corporis exordium accipere recentiores Philoſophi arbitrantur; veriuſque fortaſſe eſt rudimenta cerebri præcedere initia cordis. Cæterum de tempore, quo in fœtu forma cordis apparere incipit videſis *Boerhaave Prælect. Accad. tom. 4. par. 2.*

nalis) *propter hoc quod ſucceſſive corpus formatur & diſponitur ad animam. Unde primo tamquam imperfecte diſpoſitum recipit animam imperfectam, & poſtmodum quando perfecte eſt diſpoſitum, recipit animam perfectam; ſed Corpus Chriſti propter infinitam virtutem agentis fuit perfecte diſpoſitum in inſtanti. Unde ſtatim in primo inſtanti recepit formam perfectam, ideſt animam rationalem.*

CAPUT LVII.

Ob inſtantaneam conceptionem Corporis Chriſti non fuit unquam Cor ejus ſine cæteris membris, nec ad illorum formationem quicquam contulit. Cultus, & imagines Cordis falſitate laborant dum hanc unam partem deſignant. Iterum illuſtratur inſtantanea conceptio Chriſti. Cordi ejus tribui non poteſt totalitas *illa virtualis, quæ tribuitur aliorum hominum cordibus.*

QUum itaque Cordi Chriſti proprium ſit, ac præcipuum, ut nuſquam fuerit quovis modo diviſum a corpore, non poſſunt in nos Adverſarii retorquere quod uſu venit in generatione corporum aliorum viventium, ut ea ſcilicet incipiat a corde, & perficiatur per cor. Conveniunt enim, & convenire debent nobiſcum, rem aliter plane ſe habere in corde, & corpore Jeſu. Unde reſtat, ut cultus Cordis, ejuſque Imagines nulla ratione ſubduci queant ab inhærente nota culrus falſi. Hoc enim ipſo, quod cultus, & imagines illæ feruntur in cor, & unam ſapiunt, unamque redolent ſpeciem cordis, non poteſt ſive intellectus colentis, ſive intuentis ſenſus, non ſignificatam indicatamque agnoſcere, imo non poteſt non aſpectare interciſionem cordis a corpore, ut pleniſſime viſum eſt ſupra, & rurſus docet S. Thomas *q.* 8. *de Verit. art.* 14. *corp. Sciendum tamen eſt, quod aliquid eſt unum quodam modo, & alio modo multa. Sicut con-*

continuum eſt unum in actu, & multa in potentia. Et in hujuſmodi ſi intellectus, vel ſenſus feratur ut eſt unum, ſimul videtur. Si autem ut eſt multa, quod eſt conſiderare unamquamque partem ſecundum ſe, non ſic poteſt totum ſimul videri (a).

Ad hæc autem eludenda nefas eſt in medium proponere præexiſtentem in corde virtutem totius. Id enim non habet locum in Corde Jeſu, quod nec fuit ante formatum, nec formationem operatum aliorum membrorum, ut mox viſum eſt, & incolumi fide negari non poteſt, ut iterum, ac tertio docet S. Th. *3.p. q.33. art.3. corp. Proprie*, inquit, *dicimus Deum factum eſſe hominem, non proprie dicimus, quod homo factus ſit Deus: quia ſcilicet Deus aſſumpſit ſibi id, quod eſt hominis; non autem præextitit id quod eſt hominis, quaſi per ſe ſubſiſtens, antequam ſuſciperetur a Verbo. Si autem caro Chriſti fuiſſet concepta antequam ſuſciperetur a Verbo; habuiſſet aliquando aliquam hypoſtaſim præter hypoſtaſim Verbi Deo, quod eſt contra rationem incarnationis; ſecundum quod ponimus Verbum Dei eſſe unitum humanæ naturæ & omnibus partibus ejus in unitate hypoſtaſis. Nec fuit conveniens, quod hypoſtaſim præexiſtentem humanæ naturæ, vel alicujus partis ejus, Verbum Dei ſua aſſumptione deſtrueret. Et ideo contra fidem eſt dicere, quod caro Chriſti prius fuerit concepta, & poſtmodum aſſumpta a Verbo Dei*. Et conſonant SS. Patres, præſertim Auguſtinus, Gregorius, & Damaſcenus ab eo prolati. Primus in *lib. de Fid. ad Petrum cap.* 18., quamvis liber iſte Auctorem revera habeat S. Fulgentium Auguſti-

(a) Ratio autem diſcriminis eſt, quia in priore caſu dominatur forma totius, in altero cujuſque partis, ut hic ſpecies, & forma cordis; quod non in uno hoc loco mox citato, aliiſque pluribus antea adductis, ſed & 1.*p. q.* 12. *art.*10. *corp.* perpendit iterum S. Thumas, ubi *Conſiderandum eſt*, inquit, *quod ideo nos ſimul non poſſumus multa intelligere, quia multa per diverſas ſpecies intelligimus. Diverſis autem ſpeciebus non poteſt intellectus unius ſimul actu informari ad intelligendum per eas: ſicut nec unum corpus poteſt ſimul diverſis figuris figurari. Unde contingit quod quando aliqua multa una ſpecie intelligi poſſunt, ſimul intelliguntur. Sicut diverſæ partes alicujus totius, ſi ſingulæ propriis ſpeciebus intelligantur, ſucceſſive intelliguntur, & non ſimul. Si autem omnes intelligantur una ſpecie totius, ſimul intelliguntur*. Meminerimus tamen ſuccedaneæ ſimultati totius tamdiu fore præcluſum aditum, quandiu manet ſpecies partis. Species autem partis, hoc eſt cordis, perpetuo maneat oportet juxta conſtantem Adverſariorum opinionem, quam tenent de objecto cordis carnalis.

guſtini diſcipulum. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, carnem Chriſti non fuiſſe conceptam in utero Virginis, priuſquam ſuſciperetur a Verbo*. Secundus in *lib.*18. *Moral. cap.*35. *Angelo nuntiante, & Spiritu Sancto adveniente mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro*. Et tertius *lib.* 3. *Orthodox. Fid. cap.*2. *Simul caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata anima rationali, & intellectuali*. Et infra *cap.* 6. *Totus toti unitus eſt, ut toti mihi ſalutem largiretur*.

Ex his autem plane conſequitur, nullum in Chriſto locum habere poſſe eam totalitatem virtutis, quæ vigere videtur in corde, quatenus ab eo formatio corporis incipit, eoque operante compleri dicitur, & ad perfectum adduci. Horum quippe neutrum, ſalva fide, fingi poteſt de Corde Jeſu. Et quidem ſemel poſito, quod cor illud non anteceſſerit alia membra, nihilque contulerit ad illorum formationem, non poteſt ei commune fieri cum cordibus hominum, virtualis illa totalitas, quæ illis tribuitur. Non ſolum enim deſunt Cordi Jeſu duæ illæ res, quæ in generatione dictam cordi totalitatem adſciſcunt, anteceſſio nimirum in generatione ſua, ejuſque cooperatio in ſucceſſiva generatione aliorum membrorum; verum etiam plus inde deperiret dignitati Chriſti, quam quod cordi ejus accedere poſſet ex *totalitate* illa virtutis, quam parem haberet cum cæterorum hominum cordibus. Secum enim æque ferret *totalitas* iſthæc, quod & Chriſtus ea donatus virtute cordis, caruiſſet in ſua conceptione cæteris membris, & integritate corporis; ut inde par nobis ratio ſupputat denegandi, tum cordi ejus totalitatem hanc cum imperfectione conjunctam, tum & ipſius animæ, quod ſibi promeruerit æternam ſui gloriam, & id genus alia, quæ non poterant unquam convenienter abeſſe ab homine Deo, ſicut optime ponderat S. Thomas 3. *p. q.* 19. *art.* 3. *corp. Quia cum meritum non ſit niſi ejus, quod nondum habetur, oporteret quod Chriſtus aliquando iſtis caruiſſet; quibus carere magis diminuit dignitatem Chriſti, quam augeat meritum*. Unde ei regulæ, quam ibi præficit, *quod ipſe per*

per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent; ſolemnem hanc limitationem ſimul adnectit, *niſi ſit tale quid, cujus carentia magis dignitati Chriſti, & perfectioni præjudicet, quam per meritum accreſcat*. Atque ita res ſe habet in propoſita ſpecie. *Non enim erat congruum, ut corpus humanum aſſumeret niſi formatum*, ut ait S. Doctor 3 *p. q.* 33. *art.* 1. *corp.*, & probat etiam ſupra *q.* 5. *art.* 4. *corp. Cum enim corpus proportionetur animæ, ſicut materia propriæ formæ, non eſt vere caro humana, quæ non eſt perfecta anima humana. Et q.* 6. *art.* 4. *corp.* ubi *quod caro humana eſt aſſumptibilis a Verbo ſecundum ordinem, quem habet ad animam rationalem ſicut ad propriam formam. Hunc autem ordinem non habet antequam anima rationalis ei adveniat: quia ſimul dum aliqua materia ſit propria alicujus formæ, recipit illam formam*, additque *art.* 5. *ad* 2. *quod Deus ita eſt ſimplex, quod etiam eſt perfectiſſimus, & ideo totum eſt magis ſimile Deo, quam partes, in quantum eſt perfectius.*

CAPUT LVIII.

Virtualis totalitas *cordis, cateroquin aliena a Corde Jeſu, nihil facit ad ſervandam ſive integritatem corporis ejus, ſive etiam veritatem cultus ipſius cordis. Quod Cor Jeſu non-niſi ſymbolice ſumptum erectum fuerit in objectum cultus, teſtatur etiam Officium proprium novi Feſti. Opportune diſtinguitur inter ſymbolum ſimplex, & compoſitum, & utriuſque declaratur diſcrimen ac vis.*

QUod antea jure dixi, non injuria nunc repetam, impune miſſam fieri poſſe velut extraneam, & alienam prorſus a Corde Jeſu commemoratam *totalitatem* virtualem cordis; nihilominus tamen ut veritas in pretio ſit, neve cordi vel in communi ac præter rem, plus æquo tribuatur, juverit hic ulterius adjice-

adjicere, ſeu potius iterum commonere, nihil eam jure ſuo valituram fuiſſe ad ſervandam veritatem cultus, utut æque potuiſſet cadere,(quod omnino non potuit),in ipſum Chriſti Cor. Quantalibet enim totalitas illa ſit, non eſt utique totalitas rei, ſed virtutis tantum. Unde cor ſub ea ſumptum proprie, non eſt actu totum, quod tamen integritas exigit, & *indiviſio* Corporis Chriſti, ut explicat S. Thomas locis præcitatis, & rurſus 3. *p. q.*90. *art.* 3. *ad* 2. ubi *quod una pars integralis poteſt continere totum: licet non ſecundum eſſentiam: fundamentum enim* (*a*) *quodammodo virtute continet totum ædificium*. An quia fundamentum domus eſt virtute quaſi tota domus, non erit ideo diſcretum re ipſa ab injectis parietibus, vel a ſuperimpoſito tecto? *Carnes autem, & oſſa* (ut optime ſumit S. Doctor 3. *p. q.* 31. *art.* 5. *ad* 1.) *ſunt actuales corporis partes, ex quibus conſtituitur integritas corporis; & ideo ſubtrahi non poſſunt ſine corruptione corporis, vel diminutione*. Et infra *q.* 54. *art.* 2. *corp. Manifeſtum eſt autem, quod ad naturam corporis humaui pertinent carnes, & oſſa, & ſanguis, & alia hujuſmodi. Et ideo omnia iſta in Corpore Chriſti reſurgentis fuerunt, & etiam integraliter abſque omni diminutione*. Patens ergo vanitas eſt, veritatem cultus tueri velle virtuali illa totalitate cordis, quæ quantacumque ſit, aut eſſe fingatur, non illud tamen eſſe fecerit unum, & idem cum corpore, ni tota repugnante natura, pars non ſit amodo minor toto, nec ſit de ratione corporis, tamquam adæquate completi per unum cor, varietas, & multitudo membrorum; quod ſimul aperte pugnat cum Sacra Scriptura 1. *Corinth.* 12. *Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa*.

Unde ne cultus, de quo agitur, abſit a veritate, neve falſam ingerat diviſionis ſpeciem, pars illa corporis non eſt accipienda ſecundum ſe, ſed ad ſymboli modum, (non compoſiti tamen

(a) Merito autem addit S. Thomas dictionem illam *quodammodo*, quia nulla pars integralis eſt per ſe totum virtutis. ut apte declarat 1. *p q* 77. *art.* 1. *ad* 1. *Totum vero integrale non eſt in qualibet parte neque ſecundum totam eſſentiam, neque ſecundum totam virtutem, & ideo nullo modo de ſingulis partibus prædicatur. Sed aliquo modo licet improprie, de omnibus ſimul: ut ſi dicamus, quod paries, tectum, & fundamentum ſunt domus*.

tamen ſeu reflexi, ſed ſimplicis, ac directi,) quod ipſa ſui vi, nec re, nec ſignificatione cor ſeparet a corpore. Significat enim charitatem Chriſti, quæ totius Chriſti eſt, quæque urget nos, ut amore & cultu feramur in totum Chriſtum.

Hactenus vero, & non ultra permiſſio proceſſit Eccleſiæ, quam tranſilire non licet in uſu novi Feſti, quod ut a corde nomen habeat, non habet tamen objectum cultus in corde, ut conſtat ex Decreto Sac.Cong.Rituum, unde fideliter exceptum eſt, quod ultima præfert Officii lectio in ſecundo Nocturno hiſcemet notabilibus verbis. *Quam CHARITATEM Chriſti patientis, & pro generis humani redemptione morientis, atque in ſuæ mortis commemorationem inſtituentis Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui, ut Fideles ſub Sanctiſſimi Cordis SYMBOLO devotius, ac ferventius recolant, ejuſdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII. Pont. Max. ejuſdem Sanctiſſimi Cordis* (a) *Feſtum quibuſdam petentibus Eccleſiis celebrare permiſit*.

Ratio autem ſymboli ut omne tollat diviſionis indicium partem inter ac totum, opus eſt ut abſtrahat a proprietate partis in univerſum. Nam ſi contra ſymbolum ſtatuatur, prout Adverſarii faciunt, ſuper ipſa parte concreta, nihil valet ad removendum, ſed ad confirmandum potius, ſubdoleque obtegendum ſub innoxia ſui ſpecie, ſignificativum ſchiſma, quod cultus infert cordis carnalis inter partem, ac totum, contra geminam integritatem, naturalem, & myſticam Corporis Chriſti. Et propterea dum monui, partem corporis huic Feſto nomen dantem, non eſſe accipiendam ſecundum ſe, ſed in ſymboli modum, notabiliter addidi, me fuiſſe loquutum de ſymbolo non compoſito, ſed ſimplici, quod non ſupponit proprium Chri-

(a) In collectione ſermonum de Corde Jeſu materiali edita Romæ anno 1768. a Ludovico Preti ipſa vis veritatis vel extorſit ab invito, vel ſurripuit incauto, quod de ſymbolico fidele incidit teſtimonium part. 1. pag. 104. *Quella carità infinita, per cui Criſto Signore a patir ſi conduſſe, e a morire per l'uman genere, per cui anco a ricordarne la ſalutevol ſua morte ſe ſteſſo donò a tutti nell'Eucariſtica Iſtituzione, quella, dice il ſantiſſimo Padre Clemente XIII. veneri ogni Fedele, e rivolga a ſuo prò maggiore ſotto il bel ſimbolo del Cuor Santiſſimo di Gesù. Intendeſte Uditori? Penetraſte Voi l'alto ammirabile Oggetto, che in sì lieta Feſtività gli umili oſſequj voſtri ne ripete?*

ſti Cor, ſed illud ſeponit, nec ulla prorſus ratione realiter conſiderat. Sicut ergo nemo unus ita deſipit, ut cor carnis aſſurgere putet in cognitionem Dei, & actum charitatis elicere, quæ rationalium tantum ſunt virium in homine, ita nec in animum ſibi inducere poterit unquam, ut jure exiſtimet vocem *cordis* figurate uſurpatam, cor quidem improprie deſignare, ſed ipſum tamen materialiter etiam & phyſice ſignificare; quo certe nil abſurdius fingi poteſt. Ita namque fieret, ut quum v. g. dicit Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 2.: *Nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*, ineptiſſime ſignificare voluiſſet, viſionem, ac fruitionem Patriæ tantam fore, quantam capere nequit cor hominis, prout cor mentem quidem ibi innuit, ſed ſimul tamen membrum corporis eſt materiale. Quum itaque charitas Chriſti, quam Cordi ejus proprie ſumpto, per metaphoram tantum tribui poſſe fatentur Adverſarii, non ſit cauſa cultus prout in ſymboli modum repræſentatur in corde materiali, ſed ut eſt a parte rei; fateantur ſimul neceſſe eſt, rationem ſymboli producendam eſſe ad Cor Jeſu, ut ad objectum cultus. Atqui objectum cultus totus ipſe Chriſtus Jeſus eſt, non aliqua pars ejus; Reſtat igitur, ut Cor accipi non debeat, neque vero poſſit *carnaliter*, ſed ſpiritualiter tantum, quemadmodum recte cogitanti patet. Huc ſpectat quod vigilanter animadvertit S. Thomas dum 22. *q.*44. *in* 1. *arg.* ait: *non accipitur hic cor pro membro corporali, quia diligere Deum non eſt corporis actus. Oportet ergo, quod cor accipiatur ſpiritualiter.* Atque adeo ne Cor Chriſti *materialiter* ullatenus teneatur, ſed in nudi ſymboli morem conſideretur neceſſe eſt; ita ut dum Cor Jeſu dicimus, non carnale organum, ſed caritatem ipſam ſub iſtius vocis ſignificatione *figurate*, atque ſymbolice intelligamus, ut iterum diſerte notat S. Doctor ibidem *in corp. Eſt ergo conſiderandum, quod dilectio eſt actus voluntatis, quæ hic ſignificatur per cor*.

CA-

CAPUT LIX.

Symbolum cordis ipſa ſui vi abſtrahit a corde carnis, & ad unum cor ſpirituale contrahitur. Cor carnale, & cor ſpirituale non poſſunt ambo coire in unum objectum. Cor carnis aut totum facit objectum cultus, aut nullum. Cor figurate poſitum pro Corde ſpirituali, non tranſit in ſymbolum compoſitum cum corde carnali. Symboli vis in una ſola ſtat imagine rerum, unde ducitur. Metaphora non transfert omnia, ſed ea tantum, quæ rem ſignificatam aſſimilant ſigno. Compoſitio cordis carnalis cum ſymbolo quam ſit abſurda, declaratur ex myſterio Corporis Chriſti.

UT ea, quæ ante tradidimus, altius imprimantur animis, in mentem veniat, oro, familiaris illa, & *irenica* diſceptatio, quam alias me habuiſſe retuli cum viro apprime docto de *ſymbolo compoſito*. Ad hoc novum ſymboli genus excludendum, quum proponerem, quæ ſæpe in Scripturis occurrunt de corde Dei, ut quum dicitur 1. *Reg.*13. *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum. Eccleſ.*48. *Conciliare cor Patris ad Filium.* 2. *Paralip.*7. *Cor meum ibi cunctis diebus. Cantic.*4. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum,* repoſuit ille diſparem eſſe rationem propter humanitatem Chriſti, cujus cauſa Chriſto ipſi aptant, quod legitur *Job.*12. *Et mihi eſt cor ſicut & vobis*; (quamquam verba hæc Jobi ſint amicos ſuos alloquentis; nec niſi myſtice Chriſto accomodari queant). Sed illud urſi quod nunc ago, planeque oſtendi, cor de hominibus ſymbolice dictum, impermixtum eſſe carni, hoc eſt dici de eis, etſi carne conſtent, in modum puri, & *ſimplicis* ſymboli, non *compoſiti*. Locum in id attuli cap. ſuperiori *ex* 1. *ad Cor.*2.; eoque etiam,

quod proxime ſequitur, alium proferam *ex Act.2.*; quin & plura, ſi opus eſſet, congeri poſſent; ſed in præſentia ſufficit unum, aut alterum appellare *Jerem.4.*, *& Act.2.*; ubi *Auferte*, dicitur, *præputia cordium veſtrorum = dura cervice*, *& incircumciſis cordibus*. Ad quod accedit etiam intrinſeca ratio, quæ tunc ex tempore non mihi venit in mentem. Simul enim ac cordi Jeſu forma ſymboli adjicitur, abſtrahitur ſtatim idea a corde carnis, & ad cor ſpirituale contrahitur. Unde cor carnis, aut totum facit objectum cultus, aut nullum. Si totum: tum adjecti ſymboli forma relinquit cor, ut in ſe eſt, nudum ſcilicet purumque corporis inteſtinum. Sin vero nullum: inepte ergo ſupponitur cor carnis ſub ſymbolo latens, quando nihil illud influat in objectum cultus, ac multo etiam ineptius cum eo ſymbolo componitur. Quoties enim cor in ſymboli morem acceptum, ſpirituale ſignat objectum, ipſa vi ſymboli, ita præſcindit a proprietate carnis, ut nullam ejus ſinat haberi rationem, licet agatur de corde hominis; & quod magis eſt, licet inſuper expreſſum habeatur non *ſimplici* voce cordis, ſed etiam *compoſita*, juncta nempe cum carne, ut *Ezech:11. v.19. Dabo eis cor unum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis COR CARNEUM*. Quod rurſum infra repetitur *cap. 36. v. 26. Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis COR CARNEUM*. His accedit Apoſtoli teſtimonium 2. *ad Corinth.* 3. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis CORDIS CARNALIBUS*.

Et ratio in promptu eſt. Cor enim & caro proprie ſumpta, ſi cum ſymbolo ab eis petito coeant, formam ſymboli evacuant, quæ tota ſtat in imagine rerum, unde ducitur, non in earum natura, atque ſubſtantia phyſica, ut optime declarat S. Thomas *q.7. de verit. art.2. corp. In his autem, quæ tranſlative dicuntur, non accipitur metaphora ſecundum quamcumque ſimi-*

ſimilitudinem, ſed ſecundum convenientiam in illo, quod eſt de propria ratione rei, cujus nomen transfertur: ſicut nomen leonis in Deo non transfertur propter convenientiam, quæ eſt in ſenſibilitate, ſed propter convenientiam in aliqua proprietate leonis. Et melius ac dilucidius explanat 1. *p. q.* 13. *art.* 6. *corp. Sicut enim ridere dictum de prato, nihil aliud ſignificat, quam quod pratum ſimiliter ſe habet in decore cum floret, ſicut homo cum ridet, ſecundum ſimilitudinem proportionis: ſic nomen leonis dictum de Deo, nihil aliud ſignificat, quam quod Deus ſimiliter ſe habet, ut fortiter operetur in ſuis operibus, ſicut leo in ſuis.* Nam ſi forte vel invitam congeras in ſymbolum proprietatem, & ſubſtantiam rei, atque adeo in ſymbolum amoris trahas Cor ipſum Jeſu, quum ita non corpus integrum, totumque Chriſtum, ſed veram, atque phyſicam ſupponas *cordis ejus particulam*, ut dicitur *Tobiæ* 6. *v.* 8.; neceſſe eſt ut impingas in ea, quæ inde ſequuntur (*a*) abſurda, quæque videre præ cæteris queas, vel in ipſo Chriſti Corpore, quod ſymbolum etiam eſt corporis myſtici. Si enim compoſueris ſub hoc ſymbolo utrumque corpus, & legens porro quod de myſtico ſcripſit Apoſtolus *ad Coloſ.* 1. *v.* 24. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*: trahere velis ad phyſicum Chriſti Corpus, *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*, non ſine horrore deprehendes, opinor, per ſummam injuriam iſta transferri in illud idem verum Chriſti Corpus, quod eo ſymbolo conſignificatum fingis cum myſtico; quaſi vero non fuiſſet ad ſufficientiam paſſum, nec plene ſatisfeciſſet pro peccatis omnium ad reconciliandos homines Deo; quod erroris monſtrum ibidem præfocavit Apoſtolus *v.* 22.: *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo*. Sicut itaque Corpus Chriſti non fit unum cum myſtico ſecun-

(a) Plura ex his paſſim indicata ſunt juxta ſubjectam materiam; ſed communem omnium detegit cauſam, eamque præcidit in radice S. Thomas *q.* 7. *de Verit. art.* 2. *ad* 5. ubi agens de libro Vitæ ſic ait; *In his autem, quæ metaphorice dicuntur, ſicut liber, non oportet quod conveniat eidem ſecundum omnia prædicta, quæ ei conveniunt proprie, alias oporteret quod Deus, qui dicitur Leo metaphorice, haberet ungulas, & pilos.*

ſecundum proprietatem (*a*) naturæ, ſed tantum ſecundum myſterii rationem, qua fit, ut integritate ſua Eccleſiaſticam repræſentet unitatem: ſic & cor ejus non fit unum cum ſpirituali ſecundum (*b*) ſubſtantiam carnis, ſed ad nudi ſymboli modum, prout ex hominum & Scripturarum uſu, adhiberi ſolet ad repræſentandum amorem: de quo ſcilicet hic agitur, quoque uno Filius Dei noſtram ſuſcepit naturam, & redamari cupit a nobis, unde dicitur. *Quid eſt homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Job.7. Præbe, Fili mi, cor tuum mihi. Prov.23.*

CAPUT LX.

Nihil intereſſe, utrum colatur Chriſti cor, ut res ſignificata & ſignificans, an ut ſignificata tantum. Par ſubeſt diviſionis Corporis Chriſti argumentum in utroque caſu excogitata. Sub ſymbolorum compoſitione nudum latitat cor carnis.

COR itaque in Feſto Cordis Jeſu non venit, ut res ſignificata & ſignificans, ſed ut ſignum tantum. Semel autem ac venire ponatur, prout Adverſarii volunt, ut res ſignificata,

(a) Niſi quatenus venit in *globo* (quod quid ſit, explicatum eſt in Nota *cap.XVIII.* & plenius explicabitur Nota ſeq.) cum corporibus aliorum membrorum Eccleſiæ, quæ pertinent ad corpus myſticum, prout utraque conſtant ſubſtantia ſpirituali, & corporea. Eſt enim caput hominum Chriſtus non ſolum quoad animas, ſed etiam quoad corpora. *Unde tota Chriſti humanitas ſecundum ſcilicet animam, & corpus, influit in homines & quantum ad animam, & quantum ad corpus*, ut ait S. Thomas *3.p. q.8. art.2. corp.* Et utrumque ſimul nectit etiam ſupra 22.*q.*154.*art.*3. *ad* 3. ubi ait *Sicut enim membra corporis noſtri ſunt membra Chriſti: ita etiam & ſpiritus noſter eſt unum cum Chriſto ſecundum illud 1. ad Corinth. 6. Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt.*

(b) Cor item venit in *globo* cum cæteris membris ad ſervandam integritatem Dominici Corporis ſub objecto Cordis ſpiritualis. Venire autem in *globo* non eſt aliud, quam partem venire ſub toto; *ne* Corpus Chriſti myſticum ſit acephalum, ſi deſit caput, quod eſt ipſe ſecundum humanam naturam, ad quam pertinet corpus: neve verum corpus ejus ſit excors, ſi non veniat etiam cor ſub objecto cultus ad totum Chriſtum terminati; qui tribus conſtat, Verbo nimirum, anima rationali, & corpore toto. Cor autem, quod in novo Feſto Cordis Jeſu ſymbolicum dicitur, non eſt pars ipſa phyſica corporis ejus; ſic enim cor abiret in ſymbolum compoſitum, & ſupponeretur id quod eſt in quæſtione, quatenus nempe, ſupponeretur pertinere ad objectum dicti Feſti Cor Chriſti proprie ſumptum, quod falſum omnino eſt.

ſicata, non eſt cur ſimul venire dicatur etiam ut ſignificans, ad avertendam ab hoc Feſto notam cultus falſi. Quod hæc inſit nota in caſu ſimplici, quum nempe proprium Chriſti cor accipitur ut nudum corporis membrum, nec ab eorum quibuſdam negari videtur, nec ullo pacto negari poteſt. Ita namque poſitum, ſpeciem ingerit, quæ Cor Chriſti, ut ſignificative diviſum a corpore, repræſentat. Quod enim præfers ſolitarium cor ut objectum cultus, non id colere prætefeſras uti ſecretum a toto? Toti ſiquidem quæque pars ineſt, ſed nulli totum parti, at omnibus ſimul, ut eſt cuique notiſſimum, & admonet S. Thom. *3.p.q.90. art.3. corp.* Cultus ergo Cordis Jeſu, ut nudum membrum eſt, non poteſt eſſe ſine nota cultus falſi, quippe quod a parte rei non fuit unquam ſectum, aut ſejunctum a Corpore Chriſti. Sed is error æque incidit etiam in caſu mixto, ad quem provocant Adverſarii. Neque enim cujuſvis ſymboli additamentum falſam illam ſignificationem cordis a Corpore Chriſti diviſi eluere valet; Nuda enim pars eſt conſiderata ſemper ut a toto ſejuncta qualicumque ſymboli veſte ſuperinduta repræſentetur.

Quod etſi ſatis pateat, ut fiat tamen magis in promptu, rem totam illuſtremus exemplo. Sicut enim Adverſarii quod colendum proponunt Chriſti Cor, ſymbolum eſſe volunt divini ejus erga nos flagrantiſſimi amoris, ita & cor hominum ſumi poteſt, ut ſymbolum mutuæ inter eos dilectionis, quemadmodum ſumitur *Act. 2. Multitudinis autem credentium erat cor unum*. Accipitur hic cor *figurate*, ſignatque perfectiſſimam charitatem, qua mutuo nexu inter ſe conjuncti erant primitivæ Eccleſiæ Fideles. Eoque ſenſu cohæret optime cum multitudine credentium prolata cordis unitas. Fac tamen hoc ſymbolum non eſſe purum, ſed compoſitum, ut ſcilicet ſuperaddatur cordi proprie ſumpto, & materialiter intellecto; nil certe juverit additamentum illud, quantumvis mere ſymbolicum, ad avertendam notam falſæ ſignificationis, quæ ſubeſt huic verbo *cor*. Cor enim proprie ſumptum, nonniſi falſo proponi poteſt, ut unum in multitudine credentium; quilibet enim eorum habere ſuum debet, nec cha-

Digitized by Google

charitatis unio facere poteſt, ut peculiaria multorum corda in unum quaſi coeant commune cor tota repugnante natura. Et propterea ſymbolum charitatis unionem animorum operantis, totam abſorbet poteſtatem verbi, omnemque abjicit proprietatem, & mixturam cordis ad eam ſignificandam adhibiti (*a*). Atque ita veram facit, omniſque falſitatis expertem in tanta licet multiplicitate cordium, adductam Scripturæ ſententiam; *multitudinis credentium erat cor unum*.

Hinc ergo condiſcant Adverſarii, nihil ſe agere, quum Cordi Jeſu naturaliter ſumpto, cor aliud ſymbolicum, ſeu metaphoricum ſuperaddunt. Niſi enim tropicus ſenſus intelligentiam cordis a naturalibus abſtrahat in univerſum, nuſquam tollere poterit inſitam cordi proprietatem partis, nec efficiet unquam, quin pars coli ſignificetur abſque toto; quod mendacem infert diviſionem in Corpus Chriſti. Atque ita fit, ut inepte prorſus, æquivoce, ac ſubdole obtrudant ſub ementita imagine ſymboli, ſolitarium, ac nudum Domini Cor. Inepte ajebam, quia ſymbolum junctum rei nihil agit in rem ſubſtratam, nec eam deſciſcere facit a propria natura, ut cogitanti patet, & recte probat S. Thomas 3.*p.q.*63. *art.*2. *ad* 1. *Non autem ponitur aliquid in genere, vel ſpecie, niſi per id quod de eo proprie prædicatur*. Ac proinde hic ſymboli nexus cum re, quum nullo modo efficiat, ut natura partis tranſeat in naturam totius, efficere neque poterit, ut natura cordis Chriſti tranſeat in totum Chriſtum: quod hic tamen exigitur pro conditione cultus rati, quippequi jure ſuo non partem ſpectat, ſed totum. Æquivoce deinde;

(a) Titulus itaque Cordis Jeſu, qui Feſto præficitur, erit titulus ſine re, ſi rem ſtatuas in corde proprie ſumpto, vel etiam admixto. Non enim ſignificat, quod exprimit, ſed exprimit, quod ſignificat, ut recte declarat S Thomas 1.*p.q.* 1. *art.* 10. *ad* 3., *& q.* 3. *art.* 1 *ad* 3. *&* 4.. *& art.* 2. *ad* 1. *&* 2. Et ſane non minus abſtrahit a corde carnis, expreſſio Cordis Jeſu, quæ dat Feſto nomen, quam abſtrahat ab Agni natura vel Leonis tam proprie ſumpta, quam admixta, Chriſtus ipſe, dum nuncupatur in Scripturis Agnus Dei, & Leo de Tribu Juda. Nam ut probe monet S Doctor 3 *p.* *q.* 33. *art.* 2. *in* 3 *arg.* *Nihil quod ſecundum metaphoram dicitur, poteſt eſſe nomen proprium alicujus*. Nec refert quod Chriſto inſit cor carnis, non autem Leonis natura vel Agni. Cor enim carnis æque inerat primitivæ multitudini credentium, nec tamen de eo dictum intelligi poteſt, quod in Actibus Apoſtolorum habetur: *Multitudinis credentium erat cor unum*.

Digitized by Google

inde; quia, quæ prædicantur de corde Chriſti in vim ſymboli appoſiti, cujuſmodi ſunt, quod nos amet divinitus, quod occulta hominum cognoſcat, quod doleat de offenſa Dei, noſtra deleat peccata, contra omnem naturæ capacitatem communia fiunt etiam cordi carnis, ad quod tamen magis ambigue, & *æquivoce* iſthæc omnia referuntur, quam ſi quis ſub varia voce canis latratum ipſum, qui proprius eſt animali bruto, canique terreſtri, traducere vellet ad canem inanimatum, analogice, & abuſive dictum de ſidere cæli. Repugnat enim quod ſidus latret inſtar canis, ſed magis repugnat, quod cor carnis Deum norit, & amet inſtar ſpiritus, *quia motus ſenſualitatis non poteſt ſenſibilia tranſcendere, & ideo non poteſt in Deum aſcendere*, ut ait S. Thomas 3. *p. q.*21. *art.*2. *corp.* ubi loquitur de parte inferiori ipſiuſmet Hominis Dei, *quia ejus ſenſualitas ejuſdem naturæ, & ſpeciei fuit in Chriſto, & in nobis*, ut ibi contextim præmittit; & ſolvens objectum quod *magis eſt uniri Deo in perſona, quam aſcendere in Deum per orationem*, opportune ſubjungit *ad* 3. *quod unio in perſona eſt ſecundum eſſe perſonale: quod pertinet ad quamlibet partem humanæ naturæ, ſed aſcenſio orationis eſt per actum, qui non convenit niſi rationi.*

Subdole demum; quia quæ duo præcipue obſtant affectato cultui cordis carnalis, auctoritas ſcilicet Eccleſiæ ſtatuentis objectum cultus in corde ſymbolice ſumpto, & cenſura cultus falſi ob inditam illi ſignificativam diviſionem cordis a corpore, quod nefarium eſſet opinari de Corde Dominico, ea ſe tamen ambo nullo negocio declinare poſſe, vel eludere perſuaſum eſt dicti cultus Patronis. Ita namque comparati ſunt, ut omnibus facile imponant. Incautis enim, aut res novas aventibus, Cor Chriſti carneum tuto, & aperte proponunt; ſi qui vero contra nitantur, & præmiſſas opponant rationes deductus a contraria mente Eccleſiæ, & ab nota cultus falſi; aut eis arbitrantur ſeſe facturos ſatis inſulſis, & obſcuris, quas habent in promptu, cavillationibus; aut ſaltem ab eis ſe tuentur addititiorum ſymbolorum clypeo; & ita, etſi reſiſtant Eccleſiæ,

 & fal-

& falſum cultum retineant, nihilominus, & cum Eccleſia convenire, & nil diſpar a veritate apud ſe geri, quovis ſtudio oſtentant. Sed ſi ſedulo dicti cultus inveſtigemus objectum, & appictum ſeponamus ſymbolorum involucrum, cujus ope verſatile illud fit in quemvis aſpectum cordis cum proprie ſumpti, tum metaphorice; cor nudum apparebit in carne, quod & mentem ſubvertit Eccleſiæ, quæ ſpirituale tantum Cor intuetur, & individuum, quod eſt Corpus Chriſti, falſa diviſionis imagine monſtroſe partitur.

CAPUT LXI.

Commentum ſymboli compoſiti cum corde carnis, non habet Auctores Sanctos Viros, & præſertim S. Bernardum. Probe diſtinguit S. Doctor, imo vero alius quidam Auctor incertus, inter cultum, & contemplationem cordis, eaque non utitur ad miſcendum ſpiritum carni, ſed ad aſcendendum in totum Jeſum. Quid de Adverſariorum ſententia cenſendum ſit, ex verbis S. Bernardi concluditur.

AT jam ſubaudio, quid taciti obmurmurent adverſus hæc, qui cultus objectum detorquere nituntur in cor carnis ſub fallaci quam parant, addititiorum ſymbolorum idea. Indignabundi enim mihi ſuccenſent, quod ut ineptam, ut æquivocam, & ut ſubdolam arguam poſitionem Cordis Jeſu cum mixtura carnis, ac ſpiritus, quam tamen Auctores habere volunt ſanctiſſimos, ac doctiſſimos viros, Bernardum præſertim, Bonaventuram, & Franciſcum Saleſium, qui continuo morari & ipſi conſueverunt, & alios ſæpe commonere ſolebant, ut jugiter morarentur juxta Cor Jeſu. Injuria vero ita mecum agunt; neque etiam de iis, ad quos provocant, ſanctiſſimis, ac doctiſſimis viris ſatis digne ſentiunt. Ut enim late jam alibi oſtendi,

di, non illi ſumunt cor carnis ad colendum, ſed ad contemplandum tantum, eoque non miſcent ſpiritum carni, prout Adverſarii faciunt, ſed carne utuntur quaſi gradu ad aſcendendum, & requieſcendum in ſpiritu. Audi S. Bernardum, imo vero Auctorem alium incertum, pium tamen, & antiquum, inter opera S. Bernardi (*a*) quicum uno ore loquuntur, & alii duo, Seraphicus nempe Doctor, & Saleſianus Præſul. Ait enim *ſerm. de Paſſion. Domini cap. 2.*; unde lectiones Officii delibatæ ſunt. *Me totum trahe in cor tuum. Licet enim tortuoſitas peccatorum meorum impediat me, tamen quia cor illud incomprehenſibili charitate dilatatum eſt, & ampliatum, & tu qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, ut de-*

(a) Editio Maurina Cl. Mabillon. Pariſiis Ann. 1690. hæc præficit laudato ſermoni. *Non eſt S. Bernardi, ſed cujuſdam alterius Auctoris pii, nec indocti, nec inelegantis*. Quod hic notatu digniſſimum puto, ne vulnus Cordis eo *ſermone* fidenter expoſitum, aſſertorem habere credatur Doctorem mellifluum. Plura ſparſim dicta ſunt, & fortaſſis uſque ad nauſeam, pro excluſione ejuſcemodi vulneris. Sed novum iis addit calculum, quod non ſciatur a quo detectum, vel cui revelatum fuerit ſub alto Scripturarum ſilentio; quibus tamen myſteria ſtant Fidei noſtræ, non opinationibus Sacrorum Scriptorum, qui non unanimi Patrum, ſed proprio ſenſu, quid aſtruant, ut cum S. Auguſtino *Epiſt. 19. ad Doctorem Maximum* probat S. Thomas 1. *p. q.* 1. *art* 8. *ad* 2. *Innititur enim Fides noſtra revelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt. Non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus facta. Unde dicit Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum. Solis enim Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum Auctorem eorum in ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſime credam, alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant; non ideo verum putem, quod ipſi ita ſenſerunt, vel ſcripſerunt.*

Et vero ſi quod ſenſit & ſcripſit dicti ſermonis Auctor de vulnere Cordis Jeſu, auditum, vulgatumque fuiſſet ea qua floruit ætate S. Auguſtinus, haud ſane dubitem, improbandum ab eo prorſus fuiſſe. Neque me quis inſimulet, quaſi ad rem meam divinatione utar. Cur enim ita credam, apta mihi præſto eſt demonſtratio potius, quam conjectura. Recolas enim ex Diſſertationis hujus capite 31. S. Auguſtinum ad *verſic.* 15. *Pſal.* 21. *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei*: vix id, ac ne vix quidem aptari poſſe cenſuiſſe vero ac proprio Chriſti Cordi. Hinc autem manifeſte deprehenditur, vulnus Cordis antiqua traditione deſtitui, nullique Patrum in mentem veniſſe. Nam ſi aliquis percrebuiſſet illius rumor, non is certe latere potuiſſet S. Auguſtinum, qui Traditionis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus, & peritiſſimus fuit. Ea vero ſi tunc forte viguiſſet, omnem abegiſſet difficultatis umbram a mente S. Doctoris. Si enim ex lacrymis, quas fudit Chriſtus ad tumulum Lazari, argumentati ſunt qui circumſtabant Judæi: *Ecce quomodo amabat eum*: *Joan.* 11.: quidni S. Auguſtinus perſpicaciſſima ingenii ſui acie, liquefactionem illam cordis, de qua meminit *Pſalm.*, & quam primum ponit amoris effectum S. Th. 1. 2. *q.* 28. *art.* 5. ſecundum illud *Cantic.* 5. *Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt*: verificatam noſſet in aqua & ſanguine, qui profluxiſſent ex vulnere Cordis Jeſu? Jure igitur ſtatuiſſe mihi videor, certam ſtare, firmamque S. Patris ſententiam contra ideale vulnus Dominici Cordis.

Digitized by Google

poſita gibbi ſarcina per foramen acus poſſim tranſire. O omnium pulchritudine ſpecioſiſſime Jeſu, amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me, ut purificatus per te, ad te puriſſimum poſſim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare. Non affectat igitur cor carnis, ſed eo quaſi duce, tranſire cupit in cor ſpirituale, quod & ad verbum exprimit paulo ſupra. *Cor enim illius mecum eſt. Audacter dicam, ſi imo quia caput meum Chriſtus eſt: quomodo quod capitis mei eſt, non meum eſt? Sicut ergo corporalis capitis mei oculi, mei oculi vere ſunt, ita & SPIRITUALE COR, cor meum eſt. Bene ergo mihi, ego vero cum Jeſu cor meum habeo. Et quid mirum? Cum multitudinis credentium fuerit cor unum.* Neque heic miſcet ſpiritum carni, ſed a carne advolat in ſpiritum. *Ad hoc enim perforatum eſt latus tuum, ut nobis pateſcat introitus .... Et propterea vulneratum eſt, ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile videamus. Quomodo hic ardor melius oſtendi poteſt, niſi quod non ſolum corpus, verum etiam ipſum cor* (ideſt *latus*, ut S. Bernard. loquitur *ſerm.* 1. *in die Natalis Domini*: *in oct. Paſc. ſerm.* 1. *&* 2. *de Virg. M. ex verbis Apocal.*, & alibi) *lancea vulnerari permiſit? Carnale ergo vulnus, vulnus ſpirituale oſtendit.*

Quare Auctor ſermonis de Paſſione Domini, aliique ſanctiſſimi viri, inter quos eſto, per me licet, etiam S. Bernardus, non eam fovent poſitionem cordis cum mixtura carnis, ac ſpiritus, unde ſtatui queat objectum cultus in corde carnali, ſed ex oppoſito illud unum perficere ſtudent, ut a corde carnali ad ſpirituale veniatur, quod non eſt ſicut illud, Dominici pars Corporis, ſed charitas ipſa totius Chriſti. Inde fit, ut poſitio illa, quæ pure mentalis eſt, a parte procedat ad totum, non a toto retrocedat ad partem, quemadmodum præpoſtere fit in cultu cordis carnalis cum *externa ſignificatione diviſionis a toto*: quod falſum eſt, & falſi cultus origo. *Ad hoc*, inquit Auctor ille, *vulneratum eſt cor tuum, ut in illo, & in te ab exterioribus perturbationibus abſoluti, habitare poſſimus.* Hæc ſane verba *in illo*, & *in te* non ſegregant habitaculum cordis a toto templo

Cor-

Corporis Chriſti; ſed quod magis eſt, adoratio, laus, & oratio, quæ ſunt cultus munia, & propius accedunt ad rem noſtram, rectaque tendunt in objectum cultus, non ſunt ibi tributa parti, ſed toti, non cordi Jeſu, ſed ipſi Jeſu, ipſique Deo. *Ad hoc templum, ad hæc ſancta ſanctorum, ad hanc arcam teſtamenti adorabo, & laudabo nomen Domini dicens cum David. Inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni cor Regis, Fratris, & Amici benigni Jeſu. Et nunquid non adorabo? Orabo utique.* Et interjectis paucis, quæ ſupra poſui, quæque ſpirituale cor eloquuntur, ita pergit incertus dicti ſermonis auctor: *Hoc igitur corde tuo & meo, dulciſſime Jeſu, invento, orabo te Deum meum.* Unde vim facit apertam illius menti, atque ſententiæ, quiſquis detorquet ad cultum cordis, quæ dicta ab eo ſunt de ſola innoxia illius contemplatione. Et quidem contemplatio cordis innoxia eſt, ut jam alibi demonſtravimus (*a*). Nec ullus dubito, quin huc cætera ſpectent, quæ de corde carnis intermiſcet is Auctor. *Bonus*, inquit, *theſaurus, bona margarita cor tuum, bone Jeſu, quem foſſo agro tui corporis inveniemus. Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum meum in Cor Domini Jeſu, & ſine fallacia illud me enutriet.* Sed fallacia ſtatim accidit, & falſitas, ſi mentis opus internum in opus vertatur cultus (*b*) externum, uti hactenus planiſſime oſtenſum eſt;

(a) Contemplatio cor intuetur ſecundum ſpeciem ejus exiſtentem in mente; cultus autem illud reſpicit, prout eſt in ſe. Unde quum foras erumpit, & externis religionis actibus exprimitur præconceptus cordis aſpectus; velis nolis, cor ipſum neceſſario ſpectari debet, tamquam diviſum, & ſeparatum a corpore. Cultus enim non fertur in ideam, ſub qua verſabatur in mente cum præciſione abſtractiva a reliquis Chriſti; ſed fertur in ipſam cordis ſubſtantiam, ſub qua repugnat omnino, cor haberi quaſi præcipuum ſecundum rem, & non haberi ſimul tamquam diſcretum a cæteris membris ſaltem ſecundum *realem* ſignificationem.

(b) Cultus enim ipſa vi nominis denotare videtur, quod agitur exterius, ut monet S. Thomas 22. *q.*81. *art.*1. *ad* 4., ubi *quod colere dicimur homines quos honorificatione, vel recordatione, vel præſentia frequentamus: Et etiam aliqua, quæ nobis ſubjecta ſunt, coli a nobis dicuntur. Sicut agricolæ dicuntur ex eo quod colunt agros; & Incolæ dicuntur ex eo quod colunt loca, quæ inhabitant*; & melius etiam ad exteriora ſecundum ejus etymologiam cultum exegit *in* 3. *ſent. diſt.*9. *q.*1. *art.*1. *corp.*, & *ſuppl*em.

eſt; tum ab intrinſeco ob ingeſtam realis diviſionis ſpeciem, a qua maxime abhorret ſanctiſſimum Chriſti Corpus; tum ab extrinſeco ob adverſantem Eccleſiæ mentem, quæ concluſit objectum cultus intra totum, excluſo nempe Corde Jeſu carnaliter ſumpto, eoque ſolo recepto, quod ſymbolicum eſt.

Cæterum, ut hoc addam, male quiſpiam, vel ex ſimplici contemplatione cordis carnei, vel ex laudibus ei tributis colligeret, cultum, & adorationem eidem carnis Chriſti particulæ tamquam a cæteris disjunctæ *directe*, & *in ſe* deferri licere. Numquid enim humanitatem Chriſti *in ſe* & *in recto* adorandam cum Berruyerio ſtatues, quia & Apoſtolus Paulus, & Patres Eccleſiæ, & ipſe etiam S. Bernardus eandem Salvatoris noſtri Dei humanitatem tam miris laudibus commendarunt? Nam audi inter cæteros mellifluum Doctorem *ſerm.1. in Epiph. Domini* de illius ſanctiſſima humanitate, quam multa & præclara loquatur; *Apparuit*, cum Apoſtolo inquit, *benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei: Magna plane & manifeſta benignitas, Dei humanitas . . . . Quid enim ſic inſtruit fidem, ſpem roborat, charitatem accendit, quomodo humanitas Dei?* Diſcernendæ ſunt igitur laudes, & contemplatorum cogitationes ab adoratione. Illarum objectum eſſe poteſt ipſum quoque cor phyſicum Chriſti, ſed objectum *in recto* adorationis noſtræ non poteſt eſſe niſi Verbum cum tota aſſumpta humanitate. In illis ſequi tibi liceat laudati ſermonis auctorem, cumque eo, oro te, ut & in latere, ac ſi id etiam velis, in corde, vel in præcordiis Chriſti vulnus ei jam vita functo ex lanceæ ictu inflictum pie ſancteque recogites. Neque id unum, ſed & Cor ipſum Chriſti ſanguine exhauſtum, motuque vitali in Cruce deſtitutum, imo & caput, & oculos, & linguam, & pectus, & humeros, & crura, & manus, & pedes, & membra deni-

que

plem. q.59. art.1. ad 5. Matrimonium, inquit, eſt ſacramentum; & ideo quantum pertinet ad neceſſitatem ſacramenti, requirit paritatem quantum ad ſacramentum fidei, ſcilicet baptiſmum, magis quam quantum ad interiorem fidem. Unde etiam hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed diſparitas cultus. QUI RESPICIT EXTERIUS SERVITIUM, ut in tertio lib. diſt.9. dictum eſt.

que ſingula, quæ noſtri cauſſa tot ac tam immanes ſenſere cruciatus, diu noctuque meditari, ac celebrare te velim; ſic enim & in ſingulis Corporis Chriſti membris novam ſemper, uberemque materiem habebis, ex qua tuus erga Chriſtum amor magis magiſque ſuccendatur & ardeat. Sed in illius cultus, & adorationis objecto ſtatuendo, unam tene Eccleſiæ regulam; Nam, ut inquit, genuino eoque plane eleganti teſtimonio idem ipſe S. Bernardus: *epiſt.* 174. *In officiis Eccleſiaſticis haud facile unquam repentinis viſa eſt novitatibus acquieſcere, nec ſe aliquando juvenili paſſa eſt decolorari levitate Eccleſia plena judicii.* Et infra. *Nulla ei ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta novitas: mater temeritatis: ſoror ſuperſtitionis: filia levitatis.* At vero Eccleſia nullum hactenus ſingulare membrum, quod ad integritatem pertineat ſacratiſſimi Corporis Chriſti, peculiari aliquo Feſto ſeparatim colendum populo Chriſtiano permiſit: ſed neque, uti auguror, permittet unquam; res enim eſt, ut cætera taceam, ingenti periculo plena, & magnis obnoxia abſurditatibus, quas quidem augere, non autem tollere unquam poterit *præſumpta* illa *novitas filia levitatis.*

CAPUT LXII.

Mixtura carnis ac ſpiritus in cultu cordis Chriſti, nullum poteſt mutuari præſidium, neque a S. Bonaventura, neque a S. Franciſco Saleſio.

Dixi quidem, ſed uno verbo, cum Auctore ſermonis de Paſſione Domini, in eumdem convenire ſenſum, qui nihil opitulatur mixturæ carnis, ac ſpiritus, tam S. Bonaventuram, quam S. Franciſcum Saleſium: Id autem nunc latius exponendum eſt, ut ſua ſtet, non mea, quod dixi, fide. En S. Bonaventuræ locum, qui palmaris Adverſariis videtur. *Stim. Div. Amor. Quanta putas animam frui dulcedine, quæ per illa fora-*

foramina conjungitur Cordi Chriſti? Certe exprimere neſcio: ſed experire. Aperta eſt Apotheca omnibus aromatibus plena. Ecce aperta eſt janua Paradiſi. Et per lanceam militis gladius verſatilis amotus eſt. O quam beata lancea! O ſi fuiſſem loco illius lanceæ, exire de Chriſto latere noluiſſem, ſed dixiſſem. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Nihil hæc ſane ſpirant, neque inſinuant, quam purum contemplationis opus. Contemplationi autem non congruit locus ex propria ſui vi; ſed ea tamen applicari loco poteſt ex deſtinatione contemplantis, ut bene diſtinguit S. Thomas 1. *p. q.*112. *art.*1. *ad* 1. ubi *quod aliqua operatio dupliciter dicitur intellectualis. Uno modo quaſi in intellectu conſiſtens, ut contemplatio: Et talis operatio non determinat ſibi locum: imo ut Auguſt. dicit* 4. *de Trinit. etiam nos ſecundum quod aliquid æternum mente ſapimus, non in hoc mundo ſumus. Alio modo dicitur aliqua actio intellectualis, quia eſt ab aliquo intellectu regulata, & imperata. Et ſic manifeſtum eſt, quod operationes intellectuales interdum determinant ſibi loca.* Seraphicus quidem Doctor locum ſibi delegit, & cæteris optat intra Chriſti latus. Sed utrum locum? materialem ne, an pure ſpiritualem? Non alium equidem, quam eum, de quo dicitur *Cant* 2. *Veni, columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*: quo ſane *non acceditur paſſibus corporis, ſed affectibus mentis, & ſic acceſſus ſub ſimilitudine localis motus deſignat ſpiritualem affectum*, ut his fere verbis ait S. Thomas 1. *p. q.*3. *art.*2. *ad* 5. (*a*) Spiritualis autem acceſſus per viam affectus, non poteſt in terminum ducere non ſecretum a carne. Unde non ſiſtit in corde contemplato, ſed inde tranſit in affectum cordis, hoc eſt in amorem Chriſti ſub typo cordis expreſſum, & quem apte dicere queas ſub eodem ſym-

(a) Et perbelle declarat 22. *q.*24. *art.*4. *corp. Ex hoc enim dicimur eſſe viatores, quod in Deum tendimus, qui eſt ultimus finis noſtræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus, cui non appropinquatur paſſibus corporis, ſed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas: quia per ipſam mens Deo unitur. Et ideo de ratione charitatis viæ eſt, ut poſſit augeri. Si enim non poſſet augeri, jam ceſſaret viæ proceſſus. Et ideo Apoſtolus charitatem viam nominat* 1. *ad Cor.*12. *adbuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*

ſymbolo *ſpiritum cordis*, ut belle ait Guerinus Abbas *ſerm.4. in Dom. Palm. Ideo latus ſuum aperuit, ut ſpiritus cordis quaſi patenti, & libero meatu aſpiret*. Quare quod ait S. Bonaventura de mira dulcedine, qua perfunditur anima, *quæ per illa foramina conjungitur Cordi Chriſti* tam longe eſt, ut fovere poſſit mixturam carnis ac ſpiritus in objecto cultus Cordis Chriſti, quam illud abeſt, ut piæ ardentiſque animæ ſpiritus incitatus dicatur ad affectandam conjunctionem ſui cum ea carnis parte, & phyſicis ipſis Chriſti præcordiis, ut recte animadvertit S. Auguſtinus *enarrat. in Pſalm.*127.*num.*8.*p.*144.*tom.*4. *par.*2. *Quam rem amamus in Chriſto? Membra crucifixa, latus perforatum, an charitatem? Quando audimus, quia paſſus eſt pro nobis, quid amamus? Charitas amatur*. Non negaverim tamen S. Bonaventuram loco citato aliquid etiam carni dediſſe: ſed id tantum quod carnis eſt, ut nempe per oblatam cordis ſpeciem, mens elevetur ad impermixtam charitatem Chriſti; quaſi diceret reſpectu cordis oblati, quod legitur *Pſal.*49. *Et illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*. Reſpectu vero charitatis Chriſti, in quam impermixta deducatur intentio mentis, quod adjicitur *Pſal.*75. *Et reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*.

Et huc redeunt etiam loca, quæ proferri multa ſolent ex S. Franciſco Saleſio. Satis ſit unum, ac alterum appellare. Primum *ex epiſt.*64. *lib.*4. *Io non sò, dove voi ſarete col corpo queſta Quareſima, perchè collo ſpirito ſpero, che ſarete nella caverna della Tortorella, nell'apertura del Coſtato del noſtro caro Salvatore .... Jeri mi parve di vedervi, che mirando voi il Coſtato aperto del Signore, volevate prendere il ſuo cuore per collocarlo nel voſtro, come un Re in un picciol Regno*. Alterum *ex epiſt.*101. *ejuſdem lib.*4. *L'altro giorno nell'orazione conſiderando il Coſtato aperto di noſtro Signore, e vedendo il ſuo Cuore, mi pareva, che i noſtri cuori foſſero tutti intorno di Lui, e che gli faceſſero omaggio, come a ſupremo Re de cuori*. Sed & tertium addamus *ex epiſt.*62. *lib.*6. *Oh Dio, mia cariſſima Madre, biſogna*

ben collocare il ſuo cuore in Dio, e non levarnelo giammai .... Non ſiamo noi fortunati, mia cara Madre, di potere inneſtare i noſtri cuori ſopra quello del Salvatore, che è inneſtato ſopra la Divinità? .... Orsù dimorate ſempre in pace FRA LE BRACCIA del Salvatore, che caramente ci ama. At hæc ultima verba paulisper expendamus, quia lucem ſuperioribus afferunt, & germanam explicant S. Præſulis mentem. Jam vero nos hic admonet S. Franciſcus Saleſius ad morandum ſicut in corde, ita & ulnis Chriſti. Cor ejus non eſt utique magis carneum, quam brachia; & tamen, ſi quid ego ſapio, nihil minus in mentem venit S. Præſuli, quam nos adhortari ad commorandum inter carnalia Chriſti brachia. Ecquis enim non intelligat brachia & ulnas *metaphorice* a Sancto Saleſio uſurpari? Cur igitur non de Corde *ſymbolico*, & *metaphorico* ea etiam accipiam, quæ ab eodem ſancto Viro dicuntur de Corde Chriſti? Cæterum quum paullo attentius recitata Saleſii teſtimonia meditor, quicquid ille narrat, ſcribitque de Corde Chriſti, non ad cor ipſum carnale, ſed ad unam illius *ſimilitudinem* in imaginaria viſione acceptam referendum eſt. Sicque non aliud ex his locis extundere licet, quam unius ſymbolici Cordis imaginem; & talem equidem, qualis erat non manipulus ipſe, ſed nuda imago *manipuli*, quam in ſomno prophetico *Gen.* 37. *v.* 7. S. Patriarcha Joſeph a manipulis Fratrum ſuorum adorari vidit. Quid plura? Ineptiſſima hæc omnia ſunt ad demonſtrandum ex Saleſii ſcriptis id quod ſibi ſomniant Adverſarii noſtri de Corde Chriſti carnali in Eccleſia colendo ſejunctim a *toto* Chriſto. Nam & inſigne illud Servatoris noſtri monitum: *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde*, quo tantopere noſtri Cordicolæ abutuntur, ille equidem non de *corde carnali*, ſed de *Perſona* ipſa Chriſti interpretatur *par.* 3. *cap.* 8. *Philoth. Le due care e dilette virtù, che rilucevano nella ſacra Perſona di noſtro Signore, e le quali Egli ci ha ſingolarmente raccomandate, come ſe con quelle il noſtro cuore doveſſe eſſere ſpecialmente conſacrato al ſuo ſervizio .... Imparate da me, dice Egli, che ſono manſueto, ed umile di*

le di cuore; manſuetudinem ſcilicet & humilitatem veram, atque ingenuam refert hic *Saleſius* ad totum Chriſtum, non ad unum illum muſculum inteſtinum corporis, quem cor appellamus.

CAPUT LXIII.

Expenduntur latius quæ ſuis tradidit ſcriptis S. Franciſcus Saleſius, in commendationem Cordis Jeſu, eaque nullo modo ſpectare demonſtrantur ad peculiarem aliquem cultum cordis carnei, ſive nude ſumpti, ſive cum ſymbolo conjuncti.

NOnnulla adhuc reſtant S. Franciſci Saleſii teſtimonia, quibus *Cordicolæ* noſtri ad commenta ſua fovenda paſſim abutuntur. Erunt & hæc paullo accuratius expendenda. *Sappiate, Filotea*, ſcribit S. Præſul *Introd. ad vit. dev. part. 5. cap. 13., eſſer coſa certa, che il Cuor del noſtro Gesù rimirava il cuor voſtro fin dall'albero della Croce, e l'amava teneramente*. Et heic Cor carneum Chriſti a Saleſiano Præſule commemoratum objiciunt Adverſarii. Sed hujus naturæ cor non eſt ullo modo ad reſpiciendum capax. Hinc nemo eſt, qui, quum integrum hoc caput legerit, non ſtatim intelligat *Cor* Chriſti a S. Franciſco nuncupatum, aliud plane non eſſe, quam *amorem*, & caritatem ipſam Filii Dei, imo & ipſum Dei Filium (*a*) per *ανθρωποπαθειαν* metaphorico *cordis* nomine deſignatum. Nam ab exordio capitis in eundem omnino ſenſum ita de Chriſti amore loquitur: *Queſto amore vi riguardava, e con tutte quelle pene, e travagli otteneva da Dio Padre buone riſoluzioni, e proteſtazioni per il voſtro cuore*. Et inde eſt, cur Chriſtum in cruce repræſentet tamquam prægnantem mulierem, quæ antequam foe-

(a) Vide: *Il Direttore ſpirituale delle Religioſe cap. 25.* ubi hæc habet: *Queſto non è quell'amore, che noi abbiamo a contentare, ed eſaudire; anzi ſolamente il ſantiſſimo AMORE delle noſtre anime Gesù*. Ut enim in Scripturis ſanctis legitur: *Deus caritas eſt*, ita & S. Franciſcus Saleſius *amorem* quandoque appellavit *Chriſtum* ipſum.

fœtum enitatur, omnia neceſſaria parat ad filium fovendum, & conſervandum, poſtquam in lucem emiſſus fuerit: *Così noſtro Signore avendo la ſua bontà gravida di voi .... apparecchiò ſull' albero della Croce tutto quello, che biſognava per voi .... Noſtro Signore era in ſtato di gravidanza, e di donna gravida ſopra l'albero della Croce.*

En quid erat ex mente Saleſii Cor Chriſti proſpiciens ex ligno Crucis cor Philotheæ? Erat ſcilicet Chriſtus ipſe, illiuſque bonitas & caritas gravidæ, providæque matris officia gerens. Jam vero ſi ex quo hæc de Chriſti Corde dixerit S. Genevenſis Epiſcopus, idoneum argumentum ſumitur ad colendum ſeparatim *Cor* illius carnale, cur non æque colendum putarint Adverſarii noſtri carnalem illum, atque beatum *uterum*, in quo Salvator noſter, dum e Cruce penderet, Philotheam ſuam, tamquam carum fœtum gravidæ mulieris more conceptum, gerebat? Verum & alia in eo capite ſunt, quæ plane demonſtrent, S. Præſulem de Corde Chriſti loqui improprie & figurate. De eo enim iterum inquit: *l'amabiliſſimo Cuor di Dio* (ideſt Chriſti) *pensò a Filotea, l'amò*. Cogitare vero non eſt carnis, ſed mentis tantum. Is itaque ſolus, aliuſque præterea nemo, ſuadere ſibi poterit, S. Franciſcum Saleſium ea mente ſub typo cordis ſpectandum protuliſſe amorem Chriſti, ut cum typo, atque ſymbolo conjunctum oſtenderet cor carnis, qui de carnali perinde, atque de ſpiritali corde dictum putaverit, quod legitur *Luc.1. Superbos mente cordis ſui, & Pſal.17. Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.*

Sed & duo præterea habenda ſunt præ oculis inter legendum, quæ de Corde Jeſu ſuis inſeruit ſcriptis S. Franciſcus Saleſius. Unum eſt, quod ejus ætate non eruperat Feſtum Cordis; alterum, quod nuſquam affectaſſe legitur illius inſtitutionem. Nam, ſi Vir ſanctiſſimus *Confraternitatem* erexit, quam titulo *Sanctæ Crucis* inſigniri voluit, de Sodalitate tamen *Cordis Chriſti* non modo inſtituenda, ſed ne adumbranda quidem, nihil unquam eum cogitaſſe ſcimus. Quôd, ſi divinare potuiſſet totum

totum id quod modo de cultu *Cordis Chriſti* ab illius ſacratiſſimo Corpore ſeorſim conſiderati, novitatis amatores comminiſcuntur, nullus dubito, quin ita ſe in ſcribendo geſſiſſet, ut nullum eis locum, quo verbis ſuis abuti poſſent, relinqueret. Si quæ igitur liberiori calamo ſcripſit de Corde Jeſu, non ea ſunt habenda quaſi pro Canone S. Præſulis, ſed pie exponenda; & apta interpretatione temperanda, ut bene notat S. Thomas 1. *p. q* 39. *art.* 5. *ad* 1. *Sancti Doctores aliquando expreſſius loquuti ſunt, quam proprietas loquutionis patiatur. Unde hujuſmodi locutiones non ſunt extendendæ, ſed exponendæ.* Et rurſus 3. *p. q.*4. *art.*3. *ad* 1. ubi ſimiliter ait, *quod hujuſmodi locutiones non ſunt extendendæ tamquam propriæ: ſed pie ſunt exponendæ, ubicumque a ſacris Doctoribus ponuntur.* Quod & allata probat efficaciſſima ratione 22. *q.*11. *art.*2. *ad* 2. *Quia ſcilicet non habent electionem contradicentem Eccleſiæ doctrinæ.* Unde mox infert, apteque concludit. *Sic ergo aliqui Doctores videntur diſſenſiſſe vel circa ea, quorum nihil intereſt ad fidem, utrum ſic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibuſdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Eccleſiam determinata.* Quare ſi modo determinatum eſt ab Eccleſia rejiciendum eſſe ab objecto peculiaris, & directi cultus cor carneum, ſive ut purum corporis membrum, ſive ut mixtum cum ſpiritu, nempe cum ſymbolo, quid Adverſarii tergiverſantur in verbis *Saleſii*, aut certe quid ab eo expectant, qui in publicæ Religionis noſtræ officiis recte agendis unam eſſe certam regulam Romanæ Eccleſiæ Magiſterium multis in locis operum ſuorum inculcat? Non urgeo nunc, quod objecto cultus admiſceretur falſitas, vel una illa, compoſitione facta ex carne, & ſpiritu: ſed illud unum animadverto quod, etſi nullum prodiret ex ea diviſionis indicium, uſurparique recte poſſet a colente, perinde atque a meditante, non impune tamen ita coleretur Cor Chriſti propter abuſum arbitrii privati contra ritum ab Eccleſia ſtatutum; ut opportune declarat S. Thomas 1. *p. q.*63. *art.*1. *ad* 4. *Contingit*, inquit, *peccare*

per

per liberum arbitrium, eligendo aliquid, quod ſecundum ſe eſt bonum, ſed non cum ordine debitæ menſuræ, aut regulæ: ita quod defectus inducens peccatum, ſit ſolum ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem, niſi ex parte rei electæ: ſicut ſi aliquis eligeret orare (aliaque munia religionis obire) *non attendens ad ordinem ab Eccleſia inſtitutum.*

Quid multa? ſive cor carnis purum, ſive mixtum, conjunctumque ſpectes cum ſymbolo, eodem quidem nomine, ſed non eodem ſenſu, quo a Cordicolis noſtris accipitur, in Saleſii ſcriptis commemoratum invenies. Semper enim, ut mihi diſcernere licuit, S. Præſul de Corde Chriſti *figurate* accepto loquitur. Sic in *Tract. de Amore Dei p.2. l.6. c.12.* Animam Chriſti Cor per *metonymiam* appellat. *Conſiderate Gesù*, ibi inquit, *noſtro gran Veſcovo, e riſguardatelo dall' iſtante della ſua concezione, conſiderate, che ci porta ſopra le ſpalle, accettando il carico di redimerci con la ſua morte, e la morte della Croce; O Teotimo, queſt'* ANIMA *del Salvatore ci ha conoſciuti tutti per nome, e per ſopranome, ma ſopratutto nel giorno della ſua Paſſione, quando offerì le ſue lagrime, le ſue preghiere, il ſuo ſangue, e la ſua vita per tutti, mandò particolarmente per voi queſti penſieri di dilezione. Ah o mio eterno Padre, io prendo per me, e mi carico di tutti i peccati del povero Teotimo, per ſopportare i tormenti, e la morte, acciocchè egli ne ſia libero ....* Mox exclamat, *o Amor ſovrano del* CUORE *di Gesù. Così il Divin Cuore dentro il* SUO PETTO MATERNO *previdde, diſpoſe, meritò, impetrò tutti i beneficj, che noi abbiamo non ſolo in generale per tutti, ma per ciaſcheduno in particolare, e le* ſue mammelle *di dolcezza ci prepararono il latte de ſuoi moti, de ſuoi tratti .....* Viden' ut Cordi tribuat, quæ antea propria fecerat *Animæ* Chriſti? Cordi deinde ipſi affingit, & *pectus* puerperæ, & *mammillas* lacte turgidas. Quid his clarius, ut inde intelligamus, Saleſium de *Corde* Chriſti non carneo, ſed mere ſymbolico ſub vario figurarum aſpectu loqui? Id fatebuntur, credo, & ipſi Adverſarii, niſi eo inſaniæ devenerint, ut aliquando etiam

ex

ex Saleſianis verbis nobis proponere velint ad adorandum Cor Chriſti fœmineum, & mammoſum. Sic *l.*3. *cap.*12. *Theot.par.*2. *totum Chriſtum* infantem ſibi fingit, ut *Cor* collocatum medio in pectore Virginis Matris, & ut animam in ipſius cordis meditullio ſedentem. Sic etiam animæ tribuit Cor *l.*2. *Theot. p.*2. *c.*11. *l'anima che trapianta il ſuo cuore di diſegno in diſegno*: Itemque voluntatem Dei cor interpretatur, ut ibi *cap.*7. *Quando diſſe il glorioſo S. Luca non era nella moltitudine de' credenti, che un cuore, ed un anima . . . non intende egli di parlar del cuore, che fa vivere i noſtri corpi, e dell'anima, che anima i cuori di una vita humana: ma parla del cuore, che da la vita celeſte all'anime noſtre, e dell'anima, che anima i noſtri cuori d'una vita ſopranaturale, CUORE ED ANIMA uniciſſima de' veri Criſtiani; che non è altra coſa, che la volontà di Dio*. Ibi pariter *Cor Deo* adſcribit ex *c.*28. *Ezechielis* Prophetæ, illudque Dei ipſius voluntatem exponit: *cuore di Dio . . . . volontà di Dio*. Hanc Chriſti Dei voluntatem idem eſſe cum *guſtu*, cum voluptate, cum benevolentia, cum *philanthropia* a Græcis poſt Divum Paulum ſic appellata, cumque ipſo denique Corde Chriſti ſub multiplici ſignorum, & ſymbolorum genere, deliciarum, & amoris ſui argumenta nobis præbente *cap.*4. deſignat. Chriſtum *cap.*3. appellat cor conſiliorum, & totius Eccleſiæ: *Il libro de' Santi Evangelj rappreſentava la Perſona del Salvatore, Redentore, Direttore, ſpirito, ed UNICO CUORE de' conſigli, e di tutta la Chieſa, tanto onoravaſi la ſignificazione della volontà di Dio eſpreſſa in queſto Divino libro*. Lib.6. *par.*1. quæ de Corde Chriſti liquefacto in die Paſſionis ſcribit, ea ad animam ſpectare, vel uno ipſo capitis 12. titulo præclare oſtendit.

Nil vero magis tropicum, quam quod *lib.*5. *c.*11. *p.*1. *de amore & corde Chriſti* Saleſius habet. *Sì certo, Teotimo, l'amor Divino aſſiſo ſopra il Cuor del Salvatore, come ſuo trono reale riſguarda per le fiſſure del ſuo aperto coſtato tutti i cuori de' figli degli uomini; perchè eſſendo queſto cuore il Re de' cuori tiene ſempre i ſuoi occhi ſopra i cuori, come quelli che riſguardano per il tra-*

Digitized by Google

traverſo de' cancelli, vedono, e ſono veduti poco: così il Divino amore di queſto cuore, o piuttoſto queſto cuore del Divino amore vede ſempre chiaramente i noſtri .... ſe noi vedeſſimo queſto cuore Divino, com' Egli canta &c. Mox *Salvatorem ipſum, ipſumque Dei Filium* ſub figura *cordis*, & *amoris* intellexiſſe planiſſime aperit. Huc referenda ſunt, quæ habet in oratione hujus operis nuncupatoria de *corde Jeſu*. Rurſum *lib.*4. *cap.*4. *p.*1. caritatem vocat cor animæ, & animam cordis: *ſiccome il cuore umano non può vivere, & eſſere diviſo, così la carità, che è il cuor dell'anima, e l'anima del cuore*, ut inde ſcias quid ſit ex Saleſii mente Cor Chriſti, quum ei hæc attributa impertitur. *Lib.*3. *cap.*6. *p.*1. cor Chriſto tribuit ante incarnationis diem, eumque ait: *con un cuore puramente filiale* gratiæ muneribus præveniſſe Matrem ſuam ſtato tempore naſcituram. *Lib.*1. *cap.*10. *p.*1. loquens de Chriſto, ait, quod omnium Theologorum conſenſu jam inde a primo conceptionis ſuæ momento in utero Virginis perfecte glorioſus fuit, *e fu nondimeno nell' iſteſſo tempo ſottopoſto alla triſtezza, ai deſiderj, e alle afflizioni del CUORE*; ſed *cor* ibidem intelligit *partem inferiorem animæ*; idque ex eo cumprimis evincit, quod Chriſtus ipſe dixerit: *che era l'anima ſua malinconica fino alla morte*. Sed immenſus eſſem ſi vellem ſingula Saleſii teſtimonia colligere, in quibus quoties *Cor* Chriſti commemorat, toties etiam non ut *carnale*, ſed ut *ſymbolicum*, & *figurate* ſpectatum, ſe illud accepiſſe demonſtrat. Facile interea fuit, ut fervida piarum quarumdam fœminarum imaginatio ex non intellectis figuratis hiſce S. Franciſci locutionibus anſam arripuerit ſibi fingendi Cor Chriſti naturale, & ex carne compoſitum, in his etiam locis, in quibus Vir Sanctus de uno ſymbolico corde ſermonem inſtituerat.

Demus tamen Saleſium alicubi etiam de Corde Chriſti carneo fuiſſe locutum; at certe nihil unquam de eo dixit, quod recentium Cordicolarum inventis ſuffragari ullo modo poſſit. Nec ſane in illius ſcriptis invenient uſquam, aut *ſolam* Chriſti *carnem immediate* coli in Feſto Corporis Domini, aut *partem*

hujus

hujus ſacratiſſimæ carnis, aut *cor* ipſum tamquam ſejunctum a toto, reliquiarum inſtar, *directe*, ac ſolitarie ad adorandum publice in Eccleſia proponi poſſe; ſunt enim hæc *Berruyerianis* portentis non modo ſimilia, ſed & multo etiam turpiora; quippe quæ adorationem in totam ipſam humanitatem Chriſti *directe* & *in ſe* terminatam, ad particulas quaſque, atque adeo ad muſculum quoque cordis peræque extendant. Quæ quidem commenta a S. Franciſci mente longe alieniſſima ubique deprehenduntur.

Et ſane cum iſtiuſmodi *Cordicolarum* figmentis apertiſſime pugnant dogmatica principia, quibus Vir doctus & ſanctus uſus eſt in Tract. de adoratione *Vexilli S. Crucis*. Nam *lib*.4. hæc duo frequenter docet, *latriam* ſcilicet abſolutam, ſupremam, atque perfectam uni Deo, atque adeo Chriſto Jeſu Dei Filio proprie ac directe deberi, relativam vero, ſubalternam & imperfectam eis rebus omnibus deferri, quæ ad Chriſtum quoquo modo ſpectant, atque ab eo dependent. Quæ duo quum ad Crucis adorationem accomodat, Crucem ipſam *veram* conſiderat aut ut disjunctam, & ſeparatam a Chriſto Crucifixo, quemadmodum hodie eſt, aut quemadmodum paſſionis tempore erat, ut conjunctam Chriſto, dum eum clavis ſibi infixum ſuſpenſumque geſtabat. Priori illo modo ſpectata Crux ut ſejuncta, *ſarà prezioſa reliquia del Salvatore, ſuo letto d'onore, trono della ſua realtà, trofeo della ſua vittoria, e glorioſo ſtromento della noſtra Redenzione. Ora eſſendo tutte queſte qualità relative ... così l'onore, che ſi fa alla Croce in virtù di quelle è tutto relativo al medeſimo Signore, e però come appartenente al Salvatore è un onore di latria; ma non gli ap partenendo direttamente, ma relativamente, queſta latria viene ad eſſere imperfetta, e relativa, e la quale non dee eſſere ſemplicemente detta latria, nè adorazione ſecondo S. Bonaventura*. Poſteriori vero modo, quo Crux concipitur ut erat Paſſionis tempore conjuncta Chriſto, *la noſtra anima onora la vera Croce col medeſimo onore, che ella onora il Croceſiſſo non tanto* (a parlar propriamente) *relati-*

lativamente, ma piuttoſto conſeguentemente, e per participazione, o ridondanza . . . . Ma queſto non è ſemplicemente adorare, ma coadorare per accidente, e in conſeguenza . . . . la Croce: noi adoriamo Gesù Crocefiſſo. L'adorazione portata al Crocefiſſo riſaglie, e riflette alla Croce, ai chiodi, alla corona, come coſe, che gli ſono unite, giunte, e attaccate: di ſorte che queſta adorazione, o piuttoſto coadorazione, eſſendo un acceſſorio dell'adorazione fatta al Figlio di Dio, ella porta il nome, e l'appellazione del ſuo principale &c. Hæc *lib.*4. *cap.*11. Age jam, videant Adverſarii, quo demum pacto Saleſiana principia aptari queant cultui *cordis carnalis* Chriſti? Si latriæ honorem *directe*, *&* *in ſe* cordi tribuendum putarint, eundem referant neceſſe eſt *indirecte*, & conſequenter in Perſonam Verbi, ſicque S. Franciſcum Saleſium vel invitum conjiciant oportet in erroris portentum eo longe immanius, quo *Berruyerius*, ut ante ſæpe obſervavimus, *humanitatem Chriſti directe*, *&* *in ſe* adorandam docuit. Si Cor Chriſti ſpectandum putent, ut disjunctum, & ſeparatum a toto Chriſto, quemadmodum reipſa faciunt; in hoc enim ſtatu illud *Cordicolæ* repræſentant; (*a*) tum Cor Chriſti *pretioſæ reliquiæ* locum tene-

(a) Ut id confidentius præſtent *carnem* Chriſti primo exhibent tanquam ab anima, & perſona Verbi ſeparatam in Feſto Corporis Chriſti; deinde cor ut a carne, & corpore toto disjunctum, atque divulſum nobis proponunt in Feſto, & adoratione cordis. Ita inter cæteros auctor operis inſcripti: *Divozione al Cuor di Gesù lib.*2. *c.*1. *Così è evidente benche non tutti vi riflettano, che objetto proprio, e ſolo di queſta Feſta* (ideſt Corporis Domini) *è la carne di G. C. .... ſi deve da ciò inferire, che queſta ſolennità non è ſtata preciſamente iſtituita per* onorare la Perſona di Gesù Criſto, (bone Deus, quid audire cogimur!) *ma bensì la di Lui carne, il corpo, e il ſangue, giacchè nè l'anima, nè la divinità, nè la perſona ſono l'objetto formale di queſta Feſta, entrandovi eſſe indirettamente, e come ſuol dirſi per concomitanza*, (etiamne per concomitantiam divinitas & perſona Verbi? etiam. Si vera hæc ſunt, abſolvatur ab execrabili erroris ſui monſtro Berruyerius, qui totam Chriſti humanitatem directe, & in ſe adorandam docuit tamquam completam in genere ſubſiſtendi a Perſona Verbi in unitatem perſonæ: ſed reliqua proſequamur;) *ma l'objetto diretto, ed immediato è la carne SS. di Gesù nel Sacramento ..... ora dico, che quanto rende la carne di un Uomo Dio meritevole della divozione di tutta la Chieſa, tanto altresì rende il cuore dello ſteſſo degno di tutti gli onori, che dalla Chieſa ſi tributano alla carne SS.* .... Cor ſuum Chriſtus ipſe nobis offert *in qualche forma diviſo dalla umanità, volendo che .... i noſtri penſieri, e gli affetti s'indirizzino al ſolo cuore, e a lui ſi rendano tutti gli onori, e l'amore, come ſe foſſe realmente dal corpo diſgiunto .... ſupponiamo, che Gesù abbia in contraſegno del ſuo amore alla Chieſa laſciato il cuore, e ſiavi un Tempio, in cui ſi conſervi queſta preziosiſſima reliquia &c.*

Idem paucis complectitur P. Niccolai inter

tenebit; atque ita dicere cogentur, Saleſium *parti ſubſtantiali* Chriſti nonniſi *indirectæ*, *relativæ*, *& imperfectæ latriæ* cultum tribuendum exiſtimaſſe; quod indignum & impium eſt cogitare. Quin & Eccleſiæ fidei adverſatur; Ea enim & cor, & corpus, & humanitatem totam uno eodemque cum Filii Dei perſona ſupremo latriæ honore adorandam, licet *ſecundario*, perpetuo tradidit. Si autem ita conjunctum cum toto Chriſto conſideraverint Cor, ut erat in tempore Paſſionis Crux ipſa, adorandum illud quidem dicent cum *Saleſio* eodem cultu latriæ, quo Chriſtus crucifixus; ſed ejus generis cultu, qui ex parte relativus ſit, aut potius ex conſequenti, aut ex participatione, ac redundantia. Cultus autem hoc modo acceptus eſſet coadoratio, ut Saleſius loquitur: *per accidente*: cultus *acceſſorius*, cultus *indirectus*, atque *reflexus* participans quidem de natura ſupremæ latriæ, ſed non omnino unus idemque. At non tam indigne putandum eſt Saleſium cogitaſſe de *Corde* Chriſti hypoſtatice cum Perſona Verbi, & non ex mera *ſuppoſitione*, & accidentario nexu conjuncto. Igitur ex mente Saleſii tenere illud debent, ut partem ſubſtantialem, una cum toto corpore & anima *ſubſtantive* conjunctum ipſi perſonæ Verbi. Atqui hoc modo conſideratum Cor Chriſti non potuit, ſalva doctrina fidei, ſtatui *in ſe*, & *in recto* tamquam objectum abſoluti & ſupremi latriæ cultus; is enim ad corpus totum, ad animam, & ad Perſonam Verbi per varios gradus mere *relativus* eſſet; ergo ne hoc quidem pacto potuit tam pius, ſanctus, & doctus Epiſcopus peculiarem cultum in *cor immediate directum*, aut probare unquam, aut etiam fingere.

Quid, ſi de monſtroſis illis imaginibus Cordis Chriſti loquamur? An eas quoque S. Genevenſis Præſulis pietas, atque

 ſapien-

inter ſermones de Corde Jeſu Romæ editos 1,68. Nam de objecto agens cultus peculiaris Sacramenti Euchariſtici comparandi cum eo, qui Cordi Chriſti conſtitutus putatur, inquit: *quello a tutto il corpo, queſto tanto ſolamente al cuore riſguarda .... così pregiata e amabil parte*. Similia habent quotquot de cultu diſſerunt Cordis Jeſu. Illud enim in hoc Feſto ſpectant, ut partem ſingularem a cæteris omnibus membris Corporis Chriſti ſejunctam, eamque unam directe, in ſe, & immediate coli deprædicant.

ſapientia approbaſſet? Immo vero & rejeciſſet ipſe ſtatim, & votis omnibus ab Eccleſia damnandas poſtulaſſet. Ita ſane conjicere mihi licet ex iis, quæ in eodem *Tract. lib.2. cap.7.* ſcribit. Ibi enim agens de imagine illa, quam S. Epiphanius laceraſſe fertur, ſecundo reſpondet, *che in queſto frammento di epiſtola ſi dice, che la imagine dipinta sù quella bandiera era di un Uomo impiccato, non di Gesù Criſto, o di qualch'altro Santo* contro le ſcritture: *onde potè eſſere, che quella imagine foſſe formata contro la* verità della Paſſione di noſtro Signore, e con qualche indecenza. *Sicche non potendo S. Epifanio chiarirſi di chi foſſe quella immagine, aveſſe ragione di ſtracciarla* .... Et mox *Se un Veſcovo trovando in qualche Chieſa della ſua Dioceſi la immagine di un Crocifiſſo, che rappreſentaſſe noſtro Signore non inchiodato, ma attaccato con delle corde ſulla Croce, (come la ignoranza de' Pittori fa veder le immagini de' ladroni crocifiſſi in queſta guiſa,) non ſarebbe egli il ſuo debito a ſtracciare, e mandare in pezzi ſimili ritratti?* Quanto magis lacerandas Saleſius exiſtimaſſet picta iſta Cordicolarum commenta, quibus & *Cor* Chriſti ab ipſius corpore avulſum, & de cælo deſcendens, & jacens in præſepio, præterea Cruci affixum fingitur, & *pectus* ei ſciſſum repræſentatur contra apertam Paſſionis Chriſti hiſtoriam in Evangeliis ſanctis deſcriptam? Sed de his, quæ S. Franciſcus Saleſius de Corde Chriſti ſcripſit ſatis hactenus diſputavimus.

CAPUT LXIV.

Quæ S. Franciſcus Saleſius pro peculiari cultu Cordis Chriſti geſſiſſe traditur, falſò eidem tribuuntur, nihilque præterea probant.

SUpereſt modo ut de iis, quæ idem ipſe S. Franciſcus Saleſius ad propagandam *devotionem* erga Cor Chriſti geſſiſſe traditur, differamus. Narratur in vita M. Annæ Margaritæ Clementi *par.3. cap.14. p.266. che codeſto S. Legislatore ebbe l'iſpirazione d'iſti-*

d'iſtituire un'Ordine nella Chieſa di Dio, *perchè ſi onoraſſe l'adorabile Cuore di Gesù*, *e le due ſue più care virtù*, verba ſunt ex puris putiſque conjecturis deducta, & excogitata. Nihil enim ex actis ſinceris venerandi Inſtitutoris de hoc divino afflatu, atque conſilio de cælis ei immiſſo colligitur. Commemorat neſcio quid de inſtinctu cæleſti, quo motus Conſtitutiones Sanctimonialium *Viſitationis* compoſuit, in earum præfatione, ubi hæc ſcribit: *Certo è ſtata una ſpecial Provvidenza di Dio*, *che tra tutte le regole quella del glorioſo S. Agoſtino ſia ſtata eletta per ſervir di legge nella voſtra compagnia*, *perchè di già* per ſecreto iſtinto dello Spirito Santo *le voſtre Coſtituzioni furono diſteſe al principio in maniera*, *che elle ſon tutte conformi a queſta ſanta Regola* .... At de inſtinctu, quo impulſus Monialium iſtarum Ordinem eo fine inſtituerit, ut *Cor Chriſti carneum* coleretur, nihil omnino habet. Præterea in *colloquio xiij. num.*8. *&* 9. finem inſtituendæ hujus Congregationis longe ab eo diverſum, quem in Vita M. Margaritæ Clementi legimus, Saleſius ipſe declarat: *Ora*, inquit, *per venire in particolare al fine*, *per cui la noſtra Congregazione della Viſitazione è ſtata eretta*, *e per quello comprendere più facilmente qual ſia lo ſpirito particolare della Viſitazione*, *ho ſempre giudicato*, *che foſſe uno ſpirito di* profonda umiltà verſo Dio, ed una gran dolcezza verſo il proſſimo .... *Biſogna dunque che* l'umiltà verſo Dio, e la dolcezza verſo il proſſimo *ſuppliſca nelle noſtre caſe all'auſterità degl'altri*. Accedit, ut jam antea vidimus, quod loquens de illo Chriſti Domini oraculo: *Diſcite a me quia mitis ſum*, *&* *humilis corde*, duas haſce virtutes, *manſuetudinem* ſcilicet, & *humilitatem*, quæ non in corde, ſed in *ſacra Chriſti Perſona* relucebant, ad imitandum proponit.

Ac ego equidem vehementer ſuſpicor ſuppoſititia eſſe, & aliena manu inſerta, cum alia plura, tum vero maxime ea, quæ leguntur in *conſiderat. iv. par.*3. *ſolitudinis*; ſeu *meditationum*. Hic enim liber tribuitur Venerabili Matri Monialium Viſitationis, & ab interprete, ſeu potius interpolatore ad Italas ejus

ejus Ordinis Sorores dirigitur inter opera S.Franciſci Saleſii Venet. edita an.1710. Sic autem quarta illa conſideratio *p.*744. ſe habet: *Conſiderate, che non ſolamente il noſtro dolce Salvatore ci diede a vedere il ſuo amore nell'opra della Redenzione a tutti i Criſtiani comune, ma con iſpeciale modo aſtringe noi altre figliuole della Viſitazione mercè del dono, e favore fatto al noſtr' Ordine, e a ciaſcuna di noi in particolare del ſuo cuore; o per meglio dire delle virtù, che in eſſo riſiedono; avendo fondato il noſtro amabiliſſimo Iſtituto ſopra queſti due principj; Imparate da me, che ſon dolce, & umile di cuore. Queſta è la parte toccatane de' ſuoi teſori, o per dir meglio, l'epilogo di tutti inſieme, avendo conceſſo .... a noi ſenza dubbio ciò, che ei più apprezzava, avvengachè il ſuo preziosiſſimo cuore n'è il depoſitario. Si che .... potremo pregiarci d'aver l'onore di portare il titolo delle Figliuole del cuore di Gesù, ovvero d'imitatrici del Cuore di Gesù.* Quæ quidem cum aliena ſunt ab ingenio Matris, tum vero maxime adverſantur iis, quæ ſcripſit S. Franciſcus Saleſius. Nuſquam enim, ut paullo ante obſervavimus, meminit *devotionis*, & *cultus cordis carnalis* Chriſti in eo omni ſcriptorum genere, quæ ad *Moniales* abs ſe inſtitutas ſpectant. Imo in *directorio ſpirituali Religioſar. cap.*36. inter myſteria Paſſionis, quorum ſingula ſingulis per hebdomadam diebus contemplanda exhibet, *Cor* prætermittit, & ad *Sabbatum diem*: *Levate*, inquit, *gl'occhi in alto, vedetelo diſteſo per lungo inchiodato, & alzato nell'aria ſopra la Croce*, volens ita non in partes diviſum, ſed totum Chriſtum piis Monialium ſuarum cogitationibus repræſentari. Sed & cur non de *capite* magis, quam de *corde* carneo *Saleſius* cogitaſſe dicendus erit, quum in *colloquio*, ſeu *ſerm.*12. ad Moniales, docuit quid agendum ab eis ſit, *quando è neceſſario per conſervare in noi ſano, & intero noſtro Signore, & il ſuo amore; poichè Egli è il noſtro Capo, e noi ſiamo ſuoi membri*?

Verum etſi ego conceſſerim verba illa, quæ in vita M. Margaritæ Clementi leguntur, fuiſſe ab ignoto aliquo Saleſii monumento deſumpta, non alium tamen ſenſum ea præferrent,

rent, quam qui exponitur a Scriptore vitæ ejuſdem S. Fundatoris *par.*5. *cap.*1. *p.*310.; Moniales nempe Viſitationis ab eo collectas, & delectas fuiſſe, *per eſſere con modi particolari le imitatrici delle due più care virtù del ſagro Cuore del Verbo incarnato, che ſono la umiltà, e la dolcezza*. Noluit igitur S. Præſul abſolute coli Cor Jeſu, ſed quatenus imitabile ſe præbet, ac præſtans utraque virtute. Unde cum neutra cadat in cor carnis, ſed in unum ſpirituale cor, hoc eſt in animam Chriſti, ut probat S. Auguſtinus *de morib. Eccleſ. lib.*1. *cap.*5., & S. Thomas 1.2. *q.*56. *art.*4. *ad* 3. id ad ſummum concludi poteſt ex præmiſſis, quod ſub cordis ſymbolo, non ſub carnis corde ſpecialem cultum deferri cuperet Chriſto Domino his inſignito exemplaribus virtutibus; ad quas quum nos Ipſe verbis ſuis adhortari voluit *Matth.*11. non ait: *Diſcite a corde meo*, quod Aſſertores novi cultus frequenter uſurpant, ſed *Diſcite*, inquit, *A ME quia mitis ſum, & humilis corde*. Non itaque cor ſuum, ſed ſe ipſum præbuit nobis utriuſque virtutis Doctorem, ac Ducem, ut probe admonet S. Thomas 1.2. *q.*68. *art.*1. *corp. Quia ipſe Dominus præcipue nos inducit AD SUI conformitatem ſecundum humilitatem, & manſuetudinem*. Et S. Auguſtinus *lib. de ver. Relig. cap.*16. *Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt diſciplina morum fuit: Præcipue humilitatem ſuam imitandam propoſuit, dicens Matth.*11. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*.



CA-

CAPUT LXV.

Revelatio, qua de cultu Cordis Jeſu facta dicitur Ven. Margaritæ Alacoque, nihili penditur a Pontifice Maximo Benedicto XIV. Fidem ejus enervat alia revelatio ejuſdem Margaritæ, qua non odiſſe Deum pro ſufficienti dat prædeſtinationis indicio. Sed & certum præterea, nec uſquam defecturum beatæ prædeſtinationis ſignum in iis omnibus ſtatuit, qui ſpeciali cultu mancipati eſſent Cordi Jeſu.

QUod ſi tandem cultum cordis cum mixtura carnis, ac ſpiritus tueri conentur Adverſarii revelatione illa, quam factam perhibent V. Margaritæ Alacoque, oleum profecto, & operam perdunt. Non ſolum enim dicta revelatio ſola ſtat humana fide, eaque fœminea, ſed habet etiam exadverſo pugnantia quotquot hactenus expoſita ſunt tum rationis, tum auctoritatis validiſſima momenta. At his etiam prætermiſſis, nullius momenti eſt ipſa ſui facie tota iſtæc revelatio, quia nulla præfert credibilitatis indicia, nullum ſpecimen, aut teſtimonium rationabilis obſequii, ut veſtigiis inhærens S. Bernardi *ep.*174. diſerte commonet ſan. mem. Benedictus XIV. *de Canonizat. lib.*4. *par.*2. *cap.*31. *num.*24. *Nec ad rem*, inquit, *de qua agimus, ſatis eſſe dixi, poſitam revelationem factam Ven. Margaritæ, quemadmodum bene proſequitur S. Bernardus in epiſt. cit. Sed profertur ſcriptum ſupernæ, ut ajunt, revelationis .... Ipſe mihi facile perſuadeo ſcriptis talibus non moveri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa invenitur favere auctoritas.* Maxime vero quod Ven. Margarita in aliis etiam Revelationibus certo certius erraſſe deprehenditur, in eaque præſertim, quæ narratur in illius

lius (*a*) vita *lib.*8. *cap*-112. *pag.*207. *Un' altra volta le fù moſtrato dal noſtro Signore una quantità di anime purganti .... alcune tra eſſe altri indizj non avevano della lor predeſtinazione, che quello di NON-ODIARE IDDIO*. Porro non defuiſſe ſcimus, eadem ætate inter Catholicos Scriptores, qui gravi corde deſipientes, auſi ſunt effutire, præceptum magnum de diligendo Deo, poſſe ſatis impleri citra proprium charitatis actum, ſi tantum ea fiant, quæ reliqua ſunt legis mandata. Non ſit hinc derivatum, ſed huc tamen recta (*b*) ducit novum hoc prædeſtinationis indicium, quod cunctis adverſatur veritatis revelatæ principiis. Ecquis enim ignorat claram Domini ſententiam *Matth.*7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*? Bonos vero inter fructus principem locum tenet utique charitas. *Fructus autem ſpiritus eſt: Charitas, Gaudium, Pax &c. ad Galat.*5. (*c*), & ſine charitate nihil cæteri valent ad vitam promerendam æternam, ut late diſſerit Apo-

 ſtolus

(a) Vita hæc ſæpius edita, Romanis typis iterum cudenda, & ſi vis etiam cuſa jamdiu expectatur. Quod ſi lucem aliquando tandem aſpexerit, varium erit de illa murmur inter doctos. Cordicolis quidem nihil ea melius, at aliis fortaſſe nihil pejus videbitur. Vidi jam ex primis unum ita ſcribentem in Galliis ad Philotheam ſuam *Nourriſſez vous dans la lecture de celle qui eſt votre modele* (*Marie Alacoque*) *& perdez là l'eſprit du monde*. Ad alios vero quod attinet; offendi nuper ejuſdem vitæ præjudicium apud auctorem Gallum anonymum, hiſce atris conſignatum notis: *Le Roman ſi indécent, & ſi dangereux de la Vie de Marguerite Marie Alacoque*. Nolim ego ſedere judex inter utroſque. Non equidem convenio cum primis; ſed ne videar indiſtincte favere ſecundis, judicium præſtolabor Sanctæ Sedis, cujus eſt ex agro Dominico, & congregare triticum in horrea, ut doctrina ſana ſervetur ad nutriendos Eccleſiæ filios, & colligere zizania in faſciculos ad comburendum, ne diſciplina morum, vel dogma corrumpatur. Nam *modicum fermentum* teſte Apoſtolo *ad Galat.*5. *totam maſſam corrumpit*.

(b) Legitur in vita Ven. Margaritæ *lib.*7. *cap.*95. *pag.*171. *Non poſſo amar chi ſi ſia, ſe non a condizione, che ami il cuore del mio Gesù*: *&* *lib.*10. hæc item ſcribit ad Fratrem *pag.*265. *Ah qual tormento per me, ſe rovinate i diſegni, che di voi ha formati quel S. Cuore, non eſeguendo ciò, che vi fa intendere, che pretende da voi! Amatelo dunque, ſe volete che io vi ami: perche non voglio amare ſe non chi lo ama*. Non hæc equidem ab ea prolata arbitror proprie, ſed hyperbolice. Nam ſi rigide ſumerentur, ut jacent, non modo deſtruerent in Ven. Margarita ſpecialem prærogativam Famulæ Dei, quam dudum obtinet, in eaque lubens admitto, ſed communem quoque Chriſtiani nominis teſſeram, de qua Dominus ait *Joan.*13. *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*.

(c) Ad hunc Apoſtoli locum opportune notat S. Thomas 1. 2. *q.*70. *art.*1. *ad* 3. *Quod nomina virtutum ſumuntur quandoque pro actibus earum: ſicut Auguſtinus dicit, quod fides eſt credere, quod non vides, & charitas eſt motus animi ad diligendum Deum, & Proximum. Et hoc modo ſumuntur nomina virtutum in enumeratione fructuum*.

ſtolus 1. *ad Corinth.* 13. Abſit igitur, ut non odiſſe Deum, credatur eſſe prædeſtinationis indicium. Amor enim Dei eſt maximum, & primum mandatum: *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* juxta notum Chriſti canonem *Matth.* 10. Unde & legis perito quærenti ab eo *Luc.* 10. *Magiſter quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* Delegatoque ad legis codicem, & recitanti ex Deuteronomio magnum charitatis præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum .... Recte*, inquit, *reſpondiſti: Hoc fac, & vives*. Unde & Apoſtolus ait *ad Rom.* 13. *Plenitudo ergo legis eſt dilectio*. Niſi ergo cum negatione odii, quæ ſola ac pura cernitur in revelatione V. Margaritæ, præſto ſit homini etiam poſitivus Amor Dei, non is utique ſignum vitæ præſefert, ſed mortis. *Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt .... Qui non diligit, manet in morte* 1. *Joan.* 3. Falſitati autem jungitur etiam facilis ac prompta ſeductio. Quotus enim quiſque eſt, qui vel in deterrimis moribus haud ſe præſtet immunem ab odio Dei? Eoque in promptu haberent plerique hominum, quamvis ſceleſtiſſimi, imo & infideles ipſi, unde ſibi pari ratione ac ii qui vere Deum amant, aptare poſſent commune illud, & verſatile prædeſtinationis indicium *di non odiare Iddio*. Nihil hoc itaque falſius, nihil noxius, quia vendicat ſibi ſecundum deſideria cordis eorum, quod eſt proprium Amoris Dei, de quo nihil curant, & ſine quo ſalus eſſe non poteſt, ut ad rem noſtram veraciſſime, & ſaluberrime monet S. Auguſtinus 15. *de Trinit. cap.* 18. *Nullum eſt*, inquit, *iſto Dei dono excellentius: ſolum eſt, quod dividit inter Filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*.

Non ſolum autem fictitium hoc, ac noxium prædeſtinationis indicium, etſi remotum & extraneum a propoſito, agnoviſſe ſibi viſa eſt in nonnullis animarum purgantium, ſed novum quoque ſpopondit viventibus Ven. Margarita, velut e proprio penu depromptum, & ad cultum Cordis, quem propagare vehementer optabat, ſtudioſe accomodatum. Ea quippe, quam dedit ad Fratrem Epiſtola *lib.* 10. *pag.* 266. loquens de Corde Jeſu, ſic ait. *Oh ſe poteſte comprendere quanto è dolce coſa l'amar-*

l'amarlo, ed eſſer da Lui amata. Poſciache ſon certa, che niuno perirà di coloro, che gli ſaranno con iſpecialità dedicati, e conſagrati. Quod & alibi ſcripſerat ſupra *lib.7. cap.95. pag.171. Non laſcerà perire, chi ſarà a lui conſegrato*. Quis autem hæc ferre queat contra Tridentini definitionem Catholicam *ſeſs.6. can.16.*, ejuſque præviam de Prædeſtinatione doctrinam *cap.12.* ubi nempe contra Alacoquiana figmenta hæc docet: *Nemo quoque, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debet, ut certo ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero Prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quod juſtificatus, aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam niſi ex ſpeciali revelatione ſciri non poteſt quos Deus ſibi elegerit*. Ad quæ conſequenter aut Ven. Margarita loquitur ex proprio ſenſu, aut ex revelatione Dei: ſi loquitur ex proprio ſenſu, ſignum offert mendax a Tridentino damnatum, & exploſum: ſi vero loqui dicatur ex revelatione Dei, ſicut hanc ſigno aptat, quod cuivis in promptu eſt, ſic obvium facit, ac facile pervium divinæ Prædeſtinationis myſterium, contra tritam Apoſtoli ſententiam 2. *ad Timoth.2. Firmum*, inquit, *fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognovit Dominus qui ſunt ejus*: & opportune notat S. Thomas 1. *p. q.23. art.1. ad* 4. *Etiamſi aliquibus ex ſpeciali privilegio ſua Prædeſtinatio reveletur, non tamen convenit, ut reveletur omnibus: quia ſic illi, qui non ſunt prædeſtinati, deſperarent: & ſecuritas in prædeſtinatis, negligentiam pareret*.

Quod itaque Ven. Margarita non dubitavit in univerſum aſſeverare de ſalute, & Prædeſtinatione cultorum omnium Cordis Jeſu, id vel ex eo manifeſte falſum detegitur, quod hominum ſocordiam fovere videtur, eamque fovendo, conditione caret, & charactere revelationis divinæ. Teſte enim Apoſtolo 1. *ad Corinth.12.*, & interprete S. Thoma 1. *p. q.43. art.7. ad 6. Manifeſtatio ſpiritus datur alicui ad utilitatem Sanctæ Eccleſiæ*. Si quis autem ad neutrum extremum declinaſſe credat Ven. Margaritam, ſed mediam tenuiſſe viam, eoque ſenſu cor-

Digitized by Google

dis ergò dixiſſe vel humanitus affectam, ut ego arbitror, vel inſpiratam divinitus, ut Adverſarii ſentiunt: *Son certa, che niuno perirà di coloro, che gli ſaranno con iſpecialità dedicati, e conſagrati*: atque hæc dicta vel invita trahat ad eum ſenſum, quo dicitur *Joel.* 2. *ad Rom.* 13., & *Act.* 2. *Omnis quicumque nomen Domini invocaverit, ſalvus erit* (a), haud equidem recuſem cum eo convenire, & intentionem excuſare Ven. Margaritæ. Sed & is convenire mecum ſimul debet, quod æque ſubſit oportet veritas cultus, ut ſalutaris eſſe queat. Quæ tamen cultus veritas, quum ab intentione non pendeat, ſed a conformitate ſigni cum re ſignificata, quam penitus deeſſe conſtat inter Corpus Chriſti indiviſum ac integrum, quod rem ſignificatam ingreditur, & partiale Cordis objectum, quod poteſtate fungitur ſigni: dubio procul abeſſe convincitur a cultu cordis carnalis, prout hactenus evidentiſſime demonſtratum eſt. Deficiente autem veritate cultus, nec nomen Domini ſalvat, nec cor ejus, ut præclare diſtinguit S. Thomas 22. *q.* 93. *art.* 1. *ad* 1. *Cum Deus*, inquit, *ſit veritas, illi invocant Deum, qui in ſpiritu & veritate eum colunt, ut dicitur Joan.* 4. *Et ideo cultus continens falſitatem, non pertinet proprie ad Dei invocationem, quæ ſalvat.*

CA-

(a) Ineſt enim tacita conditio, quam Chriſtus expreſſit *Matth.* 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cælorum.*

CAPUT LXVI.

Revelatio Ven. Margaritæ de partiali cultu Cordis adverſari videtur Sac. Scripturæ, eoque nullam fidem promereri poteſt. Verba, quæ Chriſtus dixiſſe traditur ad Ven Margaritam de cultu cordis ſui, non ſunt carnaliter intelligenda, ſed ſpiritualiter. Chriſtus Dominus ſe totum coli vult, non autem per partes. Prodigioſæ apparitiones ejus in Sacramento Altaris ſub ſpecie carnis, vel ſanguinis, cur abſint a nota falſæ ſignificationis, nec ullum præbeant diviſionis indicium, explicatur.

NOſtra hæc excurſio in revelationes Ven. Margaritæ Alacoque, eamque præſertim quæ cultum invexit Cordis Jeſu, quamque dicere queas Adverſariorum Achillem, vehementer commovebit eorum animos, & ad nos revincendos eò maxime nervos omnes intendent, ut in memoriam revocent, & ob oculos ponant inſigne illud temporis momentum, quo Famulæ Dei oſtenſum mirabiliter fuit, proque cultus objecto deſignatum a Domino Cor proprium in carne. *Tum* enim *Cor ſuum ſacroſanctum detegens*: *Vides*, ei *inquit*, *Cor meum*? *Cor illud tanto hominum amore ſuccenſum*? moxque ab ipſo Domino adjectum, receptumque fuiſſe traditur, cultores omnes cordis ejus ſalutaribus inde cumulatum iri chariſmatum donis. *Et quidem ſpondeo*, ſtatim ſubjunxit Chriſtus, *eos omnes*, *qui hoc bonore cor meum afficient*, *ipſius divini Cordis influxu cæleſtium gratiarum copia fere cumulandos*, ut fert latina verſio dictæ revelationis auctorem habens P. Claudium la Colombiere S. J. Atque hinc macti animo gloriabundi argutabunt, cultum cordis, velut acceptum Chriſto Domino, ab eoque commendatum, alienum eſſe quam quod maxime, ab omni nota cultus falſi, nullamque præſeferre divi-

diviſionem cordis a corpore, quod & rectus plane ſit, eoque intendatur, ut homines excitet ad recolendam, & redamandam charitatem Chriſti. Sicut & ipſe Chriſtus, ut Euchariſtici myſterii fidem aſſereret, nonnunquam apparere voluit in Sacramento Altaris ſub ſpecie carnis, vel ſanguinis citra ullum diviſionis indicium, aut falſæ ſignificationis argumentum, ut obſervat S. Thomas 3. *p. q.76. art.9. corp. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, ſicut accidit in Magorum præſtigiis: quia talis ſpecies divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc ſcilicet, ut manifeſtetur, vere Corpus Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento*. Quod & infra iterum repetit. *Et ſicut prius dictum eſt, hoc non eſt deceptio: quia fit in figuram cujuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quod in Sacramento eſt vere corpus, & ſanguis Chriſti*. Sed ſtatim ab his omnibus adæquate nos expedimus. In primis enim nullam adjicere cogimur fidem expoſitæ revelationi Ven. Margaritæ, quippequæ, teſte Benedicto XIV., ut ſupra proxime viſum eſt, nuſquam probata fuit, & notam inſuper præfert, quod non fuerit (*a*) a Domino, qui ſe totum coli

(a) Revelatio Ven. Margaritæ de Feſto Cordis ſuum mutuatur præſidium, ut Adverſariis videtur, a revelatione B. Julianæ de Feſto Corporis. Mitto nunc, quæ dicta ſunt alibi, ne qua fieri queat inter utramque comparatio. Hic tantum exponam rei geſtæ ſeriem, quam a Joanne Chapeavilleo Canonico Leodien. *in Tract. de vera origine Feſti Corporis Chriſti* ita repetit *Card. Petra ad Conſtit. 1. Urbani IV. n 8. tom.3 Tempore juventutis ſuæ quoties Chriſti Virgo Juliana orationi incumbebat, magnum Dei ſignum & mirabile apparebat. Apparebat, inquam, ei luna in ſplendore, cum aliquantula tamen ſui ſphærici corporis fractione, quam cum multo tempore conſpexiſſet, mirabatur multum ignorans quid illi protenderet. Exinde S. Juliana humiles preces Deo profundens, divini conſilii particeps fieri meruit Tunc, ſubdit idem Auctor, revelavit ei Chriſtus, in luna præſentem Eccleſiam. in lunæ autem fractione defectum UNIUS SOLEMNITATIS in Eccleſia figurari, quam adhuc volebat a ſuis fidelibus celebrari*. Quare nedum ceſſat argumentum ab una revelatione ad aliam, ſed & ab ea, quæ B. Julianæ facta fuit, nova iſta, & plura poſt ſecula Ven Margaritæ patefacta plane deſtruitur. Semel ac enim Julianæ Virginis revelatio vera fuerit, quod præceſſit in illa veniens *a luna ſignum diei Feſti*, ut verbis utar *Eccl* 43. *v.7.* quum totum ſitum eſſet non in duplici, ſed in uno tantum lunaris diſci defectu, non duarum ſolemnitatum, quarum altera de corpore, altera de corde Chriſti futura eſſet, ſed unius tantum cæleſte indicium eſſe debuit. Et tale equidem revera fuit. Quamobrem una illa ſolemnitas, quæ eſt de Corpore Domini, tamquam cælitus præmonſtrata inſtituta eſt; ut jam in cultu, & gloria univerſalium Feſtivitatum Chriſti dici poſſit de Eccleſia *quaſi luna plena in diebus ſuis lucet Eccl.* 50. *v.6. & erit ſicut luna perfecta in æternum Pſal* 88. *v.*38. Nullum proinde locum reliquit Juliana novæ iſti Margaritæ revelationi; quin & fallacem hanc eſſe oportet, ſi fuit illa verax.

coli vult, non autem per partes, quod affectato fieret cultu cordis, illamque ſolveret, qua corpus ejus ſemper manſit indiviſum, membrorum omnium compaginem. De utroque ſiquidem opportune monemur 1. *Joan*.4. ubi dicitur quoad primum: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*: ſubditur autem quoad ſecundum: *Et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*.

Sed etſi dictæ revelationi levi corde credendum eſſe daremus, & quod ea venditatur, pronis auribus exciperemus, non inde tamen concludi poſſet indictum fuiſſe a Domino cultum partis, cordiſque carnalis; ſed oſtenſione illa cordis ſymbolum tantum amoris adumbratum, quod nos ducit ad totum Chriſtum, non autem tale nobis peculiaris cultus objectum ſiſtit, quod ingeſta diviſione Dominici Corporis a toto Chriſto nos abducit, ipſumque adeo *ſolvit Jeſum*, ut ſi quis proinde ſit, qui nobis hoc pacto Chriſtum in partes veluti ſectum, atque diviſum ſub iſtiuſmodi revelationum prætextu inſinuare velit, intelligat oportet, quam apte ei conveniat, quod ait S. Auguſtinus *Tract*.27. *in Joan. Si intellexiſti ſpiritualiter verba Chriſti de carne ſua, ſpiritus & vita tibi ſunt. Si intellexiſti carnaliter etiam ſpiritus & vita ſunt; ſed tibi non ſunt*. Sub priori namque ſenſu: verba Chriſti ad Ven. Margaritam, non ſpectant ad cor, ſed ad charitatem Chriſti, unde prodeunt, uberes illi fructus, qui novi cultus ſectatoribus promittuntur, ut recte notat idem S. Pater *ſerm*.272.: *quod videtur, ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet ſpiritalem*: ſub poſteriori autem ſenſu, qui cor carnis appellat, verba Chriſti Ven. Margaritæ, ut ſupponitur, revelata detorquentur ad pernicioſam diviſionem partis a toto, eademque ipſa male vertuntur in auctoramentum cultus falſi; unde vanum eſſet præſtolari, quod promiſſum aſſeritur, ſalutare Dei. Nam ut ait S. Thomas loco citato 22. *q*.93. *art*.1. *ad* 1. *Cultus continens falſitatem, non pertinet proprie ad Dei invocationem, quæ ſalvat*.

Nec movet, quod ſine ulla falſitatis imagine extiterit aliquan-

quando ex ſpeciebus Euchariſticis adſpectabilis caro, vel ſanguis. Hujuſmodi namque prodigioſæ apparitiones nec ſunt ſigna falſa, quia veritate conſtant rei ſignificatæ, hoc eſt, realis præſentiæ Chriſti in Sacramento Altaris, ut obſervat S. Thomas locis in objectione productis; nec ullum etiam præbere valent diviſionis indicium; tum quia modum ſervant, quo ſe Chriſtus hominibus exhibuit in vivifica menſa inquiens *Joan.6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*: tum quia non referuntur ad Corpus Chriſti, prout eſt in propria ſpecie, ſed ut eſt ſub Sacramento, hoc eſt non in modum quantitatis dimenſivæ, ſed in modum ſubſtantiæ; quod non magis eſſe ſinit comparationi locum, pro eo quod ſpectat ad diviſionis argumentum, inter carnem apparentem, & verum ac latens Chriſti Corpus, quam inter quantitatem ſenſibilem, & intelligibilem, ut alio loco fuſe probavimus, & apte comprobat S. Thomas eam proferens differentiæ rationem 3. *p. q.77. art.7. corp. Quia eſt totum ſub qualibet parte, ut ſupra habitum eſt: quod quidem eſt contra rationem ejus, quod frangitur.*

CA-

CAPUT LXVII.

Cor Jeſu proprie ſumptum, & diviſionem ſui præferens ſub carnali cultus objecto, non eſt minus impar ad repræſentandam charitatem Chriſti, quam cor avulſum, aut caput amputatum ad influendum vitalem motum, ac ſenſum in cætera membra. Carnale Chriſti Cor comparatur ad Corpus ejus prout eſt in propria ſpecie, ad modum nempe quantitatis dimenſivæ, non ad modum ſubſtantiæ, prout eſt in Sacramento. Ne miraculo quidem fieri poteſt, ut moles corporis, prout eſt in propria ſpecie, tota concludatur in corde.

EX iis, quæ jam proximo capite diximus, facile intelligimus Cor Chriſti ſpeciali cultu donatum, & carnaliter intellectum, concipi non poſſe ſine eo, quod ingerit, aperto, ac manifeſto diviſionis indicio; unde noxa prodit, & ratio cultus falſi. Principio enim ſub propria ſui forma in objectum cultus erectum, veritate caret rei ſignificatæ. Non ſolum quippe non fuit unquam diviſum a corpore, prout ſanguis a carne, ſed & quam repræſentare dicitur charitatem Chriſti, non eſt utique carnis actus, ſed animæ. Quamvis autem ad veritatem ſigni non requiratur, ut vel habeat in ſe, vel ſit capax ejus quod repræſentat, (ſicuti evenit ex. gr. in ſigno voluntatis divinæ, quod ab operatione repetitur, & eſt ſemper cum effectu conjunctum; & in ſignis ſacramentorum novæ Legis, quæ, ut communiter dicitur, efficiunt quod figurant: quemadmodum de primo notat S. Thomas 1. *p. q.*19. *art.*12. *ad* 2., & de ſecundis 3. *p. q.*62. *art.*1. *ad* 1.;) requiritur tamen, ut ne quid habeat, neve quid præferat, quod reipſa diſſonum ſit, atque contrarium.

Nam ut ait S. Thomas 3. *p. q.*74. *art.*7. *corp. Judicium de ſigno ſumendum eſt ex eo quod ſignificatur*. Charitas autem Chriſti, quæ ſignificati vim habet, unionem exprimit, quæ ipſum inter & homines eſt. *Charitas enim Chriſti urget nos*, ut clamat Apoſtolus 2. *ad Corinth.*5., & idem alternat ſacra Sponſa *Cantic.*2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Quod quidem amoris commercium ſignificatu ſuo non exhibet cultus cordis, ſed prorſus intercipit; quia ſeparat a corde, quæ ſunt reliqua Corporis Chriſti. Unde tam impar eſt, atque ineptus, ut ea ſigni poteſtate fungatur ſub objecto cordis carnalis, quam ut cor carnis avulſum, aut caput amputatum vitam influat, ac motum in excordia vel acephala naturalis corporis membra. Nam, ut de capite loquens ait S. Thomas 3. *p. q.*69. *art.*5. *corp. Vita non eſt niſi membrorum capiti unitorum a quo ſenſum, & motum ſuſcipiunt; Et ideo neceſſe eſt, quod per Baptiſmum aliquis incorporetur Chriſto, quaſi membrum ipſius* Idemque valet æqua lege de corde, ut apte demonſtrat idem S.Doctor 22. *q.*44. *art.*5. *corp. Nam ſicut cor corporale eſt principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas, & maxime quantum ad intentionem finis ultimi, qui eſt objectum charitatis, eſt principium omnium ſpiritualium motuum*. Dum ergo Cor Jeſu non ut purum ſymbolum ad ſignificandum, ſed ſimul ut objectum ad adorandum Adverſarii ſtatuunt, falſitati cultus admiſcent etiam falſitatem ſigni, quod proprietati cordis appingunt. Ita namque cor illud diſgregantes a corpore naturali, & ineptum reddentes ad ſignificandam unionem Chriſti cum ejus Corpore myſtico, ſymbolum proponunt quaſi bilingue, quod tale eſſe intelligitur *dum verba aliter ad aliorum aures perferrentur, quam ipſi ea proferrent*, qui hujuſmodi ſignum edunt, ut ait Sanctus Thomas 22. *q.*176. *art.*1. *ad* 2. Ipſi namque Adverſarii carnale cor proferunt velut unitatis indicium; ſed quum illud exhibeant tamquam ab integro Chriſti Corpore divulſum, ad aliorum aures perfertur, ut ſignum unitati oppoſitum, unique conſonum diviſioni. Unde tota ſolvitur ejuſdem ſymboli vis *quaſi quædam illuſio*, qualem agno-


agnovit, & deſcripſit S. Thomas eodem loco (*a*). Et hanc ejus affert cauſam 22. *q.*122. *art.*4. *ad* 4. *quia figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet.*

Deinde vero naturale Chriſti Cor ſub eodem carnis objecto, nil habet inſuper quod ſignificativæ diviſioni repugnet, quia non refertur ad Corpus Chriſti, prout eſt in Sacramento ad modum ſubſtantiæ, quod impartibile facit totum a parte, ſicut evenit de carne, vel ſanguine miraculoſe apparente in hoſtia, vel calice, ſed comparatur ad illud prout eſt in propria ſpecie, ad modum ſcilicet quantitatis dimenſivæ, in qua nunc glorioſum degit in cælis, & paſſibile quondam verſabatur in terris, ut probe animadvertit S. Thomas in illo eodem loco, unde ſumtum eſt argumentum, quod nobis ſupra opponebatur, 3.*p. q.*76.*art.*8.*in* 2. *arg.*; nam *Quando*, inquit, *tales apparitiones fiunt, manifeſtum eſt, quod non eſt ibi Chriſtus ſub ſpecie propria, quia in hoc Sacramento totus Chriſtus continetur, qui permanet integer in forma, qua aſcendit in cælum: Cum tamen id quod miraculoſe apparet in hoc Sacramento, quandoque videatur, ut quædam parva caro, quandoque autem ut parvus Puer = Quinimo legitur quandoque eſſe incluſum, & multorum Epiſcoporum conſilio in pixide reſervatum: quod nefas eſſet de Chriſto ſentire ſecundum propriam ſpeciem*, ut ſubdit ibidem S. Doctor *in corp.* Sed niſi quid ſimile, aut etiam quid deterius, hoc eſt non jam ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco ſentiant de Chriſto prout eſt in propria ſpecie; (neque enim reſpicitur, nec reſpici poteſt *in aliena ſpecie*, quia Sacramentum Corporis alternatur cum ſanguine, neutrum autem cum corde;) non ſe uſquam tueri quiverint Patroni cordis ab inuſta nota cultus falſi.

 Neque

(a) Confert huc quod ob diſſonantiam, quæ intercedit inter ſacramentale ſignum, & rem ſignificatam, nec ſanis corpore, extrema unctio, nec fœminis ordo conferri poteſt, ut obſervat S. Doctor *ſupplem. q.*32.*art.*1.*corp.*, *& ad* 1., *& q.*39. *art* 1. *corp. Quia cum Sacramentum ſit ſignum; in his, quæ in Sacramento aguntur requiritur non ſolum res, ſed ſignificatio rei; ſicut dictum eſt in extrema unctione requiri, quod ſit infirmus, ut ſignificetur curatione indigens. Cum igitur in ſexu fœmineo non poſſit ſignificari aliqua eminentia gradus, quia mulier ſtatum ſubjectionis habet, ideo non poteſt ordinis ſacramentum ſuſcipere*, & rurſus *art.*3. *ad* 4. ubi *quod ſigna ſacramentalia ex naturali ſimilitudine repræſentant.*

Neque enim aliter eximere valent partialem cultum cordis ab injecta diviſionis idea, quam adoptato eo omnium maximo, & abſurdiſſimo paradoxo, quod Chriſti Corpus, prout eſt in propria ſpecie, aut non ſit corde majus, aut totum etiam integrumque veniat, licet ſub unius cordis, partiſque ſingularis imagine conſideretur; id quod ne miraculo quidem fieri poteſt, ut ſæpius oſtenſum eſt, & hìc rurſus exponere juvat cum S. Thoma *ſuppl. q.*83. *art.*3. *in* 2. *arg.*, ubi nempe ſic ait: *Contra communes animi conceptiones non poteſt aliquid miraculoſe fieri, ut ſcilicet pars non ſit minor toto: quia contraria communibus conceptionibus directe contradictionem includunt*. Et iterum 1. *p. q.*45. *art.*2. *in* 1. *arg. Potentia Dei non ſe extendit ad contraria primorum principiorum, utpote quod Deus faciat, quod totum non ſit majus ſua parte*. Et prius in *quæſtionibus diſputatis q.*5. *de conſervat. rer. in eſſe a Deo art.*3. *ad* 7. ubi *quod communis animi conceptio dicitur illa, cujus oppoſitum contradictionem includit: ſicut omne totum eſt majus ſua parte; quia non eſſe majus ſua parte, eſt contra rationem totius*.



CA-

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

Quod corpus glorioſum ſeſe ſpectandum offerat mortalium oculis vel ſecundum totum, vel ſecundum partem, nihil facit ad rem præſentem. Chriſtus Dominus nunquam de corpore ſuo conſpiciendum præbuit aut cor ſolum, aut aliam quamvis partem quaſi ſejunctam a toto. Ad myſterium pertinet quod aliquando totus apparuerit in alia effigie. Cuncta quæ ſunt Chriſti, Patroni cordis oſtendunt, & circumſcribunt cum Ven. Margarita per cor. Cultus cordis ſic acceptus, & involutus, rimam parat introductioni ſuppoſiti creati, quod redivivum faceret Neſtorianiſmum.

NEque huc pertinet, quod miraculo fieri queat, & in poteſtate ſit corporis glorioſi, ut *videatur ab oculo non glorificato, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem*, ſicuti ait S. Thomas 3. *p. q.*76. *art.*8. *corp.* Tunc enim quod viſui ſubducitur, non compenetratur cum parte, quæ videtur, ſed ſuam ſervat poſitionem in toto ſecundum naturalem ordinem, ac diſpoſitionem corporis glorioſi. Pars enim, quæ videtur, ſentiri poteſt ſine toto, quia viſus non introſpicit ſubſtantiam rei, ſed meram ſpectat ſuperficiem apparentem, qua partim obducta, ſola ſit extima contractio viſus, nulla ſit agglutinatio corporis ad intra (*a*); Cultus vero rem intime penetrat, ſuaque

(a) Quod præclare vidit, & optime diſtinxit S. Thomas *ſupplem. q.*83. *art.*5. *ad* 3. Ait enim *quod corpus videtur ex hoc quod agit in viſum: quod autem agat in viſum, vel non agat, nihil variat in ipſo corpore; & ideo non eſt inconveniens, ſi poſſit quando vult videri, & quando vult, non videri. Sed eſſe in loco, non eſt actio aliqua procedens ab eo, ratione ſuæ quantitatis, ſicut videri ratione ſui coloris, & ideo non eſt ſimile.* Hujuſmodi vero diſcriminis rationem hanc adfert *in corp. Quia repugnaret rectæ diſpoſitioni corporis humani, quæ requirit determinatum ſitum, & diſtantiam partium. Unde nec per miraculum hoc unquam fiet.* Et infra *q.*85. *art.*3. *corp.*, & *ad* 3., ubi *quod quantitas eſt*

que vi pertingit ad totum, quod nequit eſſe ſub una, quæ percipitur, parte. Ideoque ad thema pertinet contradictionis præmiſſæ, *ut ſcilicet pars non ſit minor toto; totum non ſit majus ſua parte.*

Sed & uſum dictæ poteſtatis, qua fit, ut corpus glorioſum ſeſe viſibile præbeat *vel ſecundum totum, vel ſecundum partem*: nunquam Chriſtus uſurpaſſe legitur ad oſtendendum cor ſuum, aut aliam quamvis proprii corporis partem, ſed ad inferendum ſubito, vel ſubducendum ab oculis (*a*) totum corpus. Et quum illud totum exhibuit conſpiciendum ſub alia effigie, nulla incidit deceptio, quia quam parabat habitudinem corporis, myſterium erat, mendacium non erat, ut de apparitione, qua ſe fecit obvium ſub olitoris ſpecie Mariæ Magdalenæ monet cum Gregorio Magno S. Thomas *in Catena Joan.* 20. *Forſitan autem nec errando hæc mulier erravit, quæ Jeſum Hortolanum credidit. An non ei ſpiritualiter Hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris ſui vim ſemina virtutum virentia plantabat?* Et de altera, qua ſe comitem adjunxit Diſcipulis euntibus in Emaus, obſervat S. Doctor cum eodem S.Gregorio M. 3. *p. q.* 55. *art.* 4. *corp.* ubi ait: *Illis autem in alia effigie apparuit, qui jam videbantur circa fidem tepeſcere; unde dicebant. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. Unde Gregor. dicit in homil. Quod talem ſe exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente; quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire ſe longius finxit, ſcilicet ac ſi eſſet peregrinus.* Sic itaque oportet, ut aut peregrinentur a vera cognitione myſterii, quod latet in integritate Dominici Corporis, qui Chriſtum coli geſtiunt ſub con-

eſt inhærens ipſi corpori glorioſo, neque poſſet quantitas immutari ad imperium animæ ſine mutatione intrinſeca corporis glorioſi, quæ impaſſibilitati ejus repugnaret; & ideo non eſt ſimile de quantitate, & viſibilitate.

(a) Idque ſine ulla *alteratione* intrinſeca Corporis Chriſti, ſive ob variationem quantitatis circa eamdem materiam, quatenus modo ſubeſt magnæ quantitati, modo vero parvæ; ſive ob variationem ſitus per *ſubintrantiam & compenetrationem* partium, ut ſolide demonſtrat S. Thomas *ſuppl. q.* 83. *art.* 5. *corp.*, & 3. *p. q.* 54 *art.* 1. *ad* 2. ubi ſic apte concludit: *Dicitur ergo quod Chriſtus ab oculis Diſcipulorum evanuit, non quia corrumperetur, aut reſolveretur in aliqua inviſibilia: ſed quia ſua voluntate deſiit ab eis videri eo præſente, vel etiam eo abſcendente velociter per dotem agilitatis.*

Digitized by Google

contracto cordis aſpectu; aut ut arbitrentur in eorum eſſe manu, ſicut in poteſtate corporis glorioſi, novo cultu Chriſtum exhibere *vel ſecundum totum*, *vel ſecundum partem*, ita ut partem reipſa proferentes, & totum voce ſimulantes, haud intelligantur totum ſecernere a parte: quam tamen ipſo facto ſejungere ſe monſtrant a toto.

Interim tamen id monſtri genus, quod (*a*) ſupra miraculum effingere conantur, ut nempe Chriſtus coli putetur in propria ſpecie ſub partiali cordis objecto cum *totalitate* humanæ naturæ latentis in corde, & circumſcriptæ per cor, huc illuc circumfertur, & cum plauſu recipitur: hiſque ipſis adumbratum cernitur lineamentis, & quaſi proprio inſcriptum charactere a Ven. Margarita ſub ingeſto ſpecimine, ac nomine *Cordis incarnati*, de quo nos alibi plura.

Sed hìc obiter addamus oportet, deteriora etiam nos vereri mala ex ejuſmodi monſtro, quam quæ hactenus inſectati ſumus ſecundum inſtituti noſtri rationem, dum malum proprie ſpectamus a falſitate petitum novi cultus. Quamquam quæ deteriora timeo, mallem præterire ſilentio. Verum ne cui forte ea videar ominari magis, quam deprecari, id ſaltem hujus novi cultus Auctoribus inſinuare non prætermittam, ut audiant, atque etiam metuant verendum illud Spiritus Sancti oraculum 1. *Petr.* 3. *v.* 4. (*b*) & *Pſ.* 80. *v.* 10. *Qui abſconditus eſt cordis homo*;

(a) Etſi *compenetratio* partium non ſit abſolute ſupra miraculum, quia non repugnat eas eſſe ſimul, ſicut & plura corpora in eodem loco; eſt tamen ſupra miraculum ex ſuppoſitione, *quia in eis ſervabitur debitus ordo, qui diſtinctionem requirit*, ut apte reſpondet S. Thomas *ſuppl. q.* 83. *art.* 4. *corp.* Sub hac autem ſuppoſitione, quæ facti eſt, nec præciſionem ſui patitur, *talis ſubintratio partium non poteſt eſſe*; ſicut ait S. Doctor *art.* 5. *ad* 2.; unde *quod quantitas corporis glorioſi efficiatur minor ſe ipſa per variationem ſitus, ita ſcilicet quod partes corporis glorioſi ſubintrent ſe invicem, & ſic redeat ad quamcumque parvam quantitatem*, ad contradictionem refert *in corp.* eaque movetur inhærente ratione ſuppoſitionis prædictæ; *quia repugnaret rectæ diſpoſitioni corporis humani, quæ requirit determinatum ſitum, & diſtantiam partium*. Statimque ſubjungit: *unde nec per miraculum hoc unquam fiet, & ideo dicendum quod corpus ſemper erit in loco ſibi æquali*. Eſt autem ſupra miraculum vere, & proprie, quod corpus ita poſitum, hoc eſt *in loco ſibi æquali* fingatur eſſe totum intra cor. *Non enim eſt poſſibile quod idem reſpectu ejuſdem ſit pars, & totum*, ut ait S. Thomas 22. *q.* 145. *at.* 4. *in* 1. *arg.*

(b) Non eſt inſolens apud ſacros Interpretes, ut quæ de corde hominum ſæpe dicuntur in ſanctis Scripturis, ea traducantur

mo; non erit in te Deus recens. Cujus loci ea vis eſt, ut ne cultus cordis in carne radicatus, ita ſenſim vitietur, ut morbidus fiat, & triſtis inde pullulet Neſtoriani dogmatis ſurculus; quod caute præmonuit S. Thomas *3. p. q. 16. art. 2. ad* 3. ubi dictum locum explicando, primo quidem ait *quod licet humana natura in Chriſto ſit quiddam recens: Tamen ſuppoſitum humanæ naturæ non eſt recens, ſed æternum. Et quia hoc nomen Deus non prædicatur de homine ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti: non ſequitur quod ponamus Deum recentem*: deinde vero vigilanter ad rem addit: *Sequeretur autem ſi poneremus, quod homo ſupponit ſuppoſitum creatum, ſecundum quod oportet dicere eos, qui in Chriſto ponunt duo ſuppoſita*. Filius autem Dei factus eſt homo, non factus eſt cor. Aſſumpſit enim in unitatem Perſonæ humanam animam cum corpore toto, cujus illud eſt tantum pars. Unde ſi cordi dentur, atque in eo concludantur, quæ ſunt hominis in Chriſto, pronum eſt ut Cordi Jeſu, quod non terminavit (*a*) ad ſe unionem hypoſtaticam Verbi, ſubrepat aliquando ſuppoſitum creatum, quod Neſtorianiſmum inſtauraret, ejuſque viru magnam inficeret deceptorum deluſorumque hominum partem. Ad quod præcavendum oculos erigant neceſſe eſt in divinum illud, ſplendidiſſimumque Scripturæ ſanctæ

cantur per alluſionem ad Chriſtum Dominum. Notavimus alibi Auctorem ſermonis de illius Paſſione inter opera S. Bernardi *tom.* 2. retuliſſe ad Cor Jeſu, quod de ſuo ſymbolice dixerat S. David 2. *Reg.* 7. *Invenit ſervus tuus cor ſuum*. Nemo itaque mihi ſuccenſeat, quod Chriſto aptem quæ hic poſuit S. Petrus ad arcendas mulieres fideles ab exteriori ornatu, eaſque comparandas ad interiorem. Nam & quod legitur de ſacra Sponſa *Cantic.* 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat* eodem referunt cum Rabi Salomone Cornelius a Lapide, & Ven. Joannes a Jeſu Maria C. ex. Cor enim ita poſitum ſic exponunt ad dictum locum *Ego Sponſa dormio, & cor meum ſponſus vigilat, quia ipſe ſponſus cor meum eſt, & pro me vigilat*. Et nemo tamen dixerit, non id ad litteram ſtare pro corde ſponſæ, non autem pro ſponſo; de quo etiam velut adverſative ſtatim ſequitur *vox dilecti mei pulſantis*.

(a) Licet *unio in perſona ſit ſecundum eſſe perſonale, quod pertinet ad quamlibet partem humanæ naturæ*, ut ait S. Thomas 3. *p. q.* 21. *art.* 2. *ad* 3. nulla tamen pars, nullaque pars partium aſſumpta fuit ratione ſui, ſed ratione totius, ut obſervat S. Doctor 3. *p. q.* 6. *art.* 5. *corp.* ubi *quod ſecundum intentionem facientis prius eſt completum, & per conſequens totum quem partes. Et ideo dicendum eſt, quod Verbum Dei aſſumpſit partes humanæ naturæ mediante toto. Sicut enim aſſumpſit Corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem, ita aſſumpſit corpus, & animam propter ordinem, quem habent ad humanam naturam*.

ctæ oraculum : *Qui abſconditus eſt cordis homo : non erit in te Deus recens* (*a*).

CAPUT LXIX.

Prædictio Ven. Margaritæ de propagatione cultus Cordis per totum Orbem nil miri præfert, quia modum adjicit, unde ſequi facillime poterat. Ea propagatio incidit in tempus, quo cultus cordis carnei Romanis adverſabatur, ut & nunc adverſatur, decretis. Hinc male refertur ad conſilium Dei, quod totum humanum eſſe apparet. Deſcribitur character, & officium hominis vere cordati.

NE ſe vero ludificari ſinant iis, quæ perſonant undique, V.Margaritæ prædictionibus de propagatione cultus cordis per univerſum Orbem; quod & cumulatiſſime eveniſſe gloriantur, & id divino factum, non humano conſilio prædicant; haud ægreferant Cordicolæ noſtri, ut fidenter exponam, & diligenter expendam, quomodo, & quando res impleverit dictum, & ſucceſſus exceperit prognoſticon. Et primam quidem circumſtantiam, quo res extiterit modo, non a nobis accipiant velim, ſed ab auctore Adverſariis non ſuſpecto, eorumque gre-

 gali,

(a) Suppoſitum creatum, atque adeo Deum recentem, tacite obtrudit nupera Berruyeriana poſitio, quippe quæ Filium Dei pro nobis hominem factum, non vocat Unigenitum a ſolo Deo Patre genitum, ſed Filium Dei ſubſiſtentis in tribus Perſonis. Quum etenim Verbum ſit altera perſona de tribus, nec aliquis poſſit generare ſe ipſum, conſequens eſt, ut Chriſtum faciat ſubſiſtentem in alia perſonalitate diſtincta a perſonalitate Verbi, eaque non tam propria, ſed fortaſſis etiam unica: unde purus eſſet homo, puraque creatura, quod errori Neſtorii jungeret ſimul Arianam quoque ac Socinianam perfidiam, ut in Auctore ſæpe damnato facile deprehenderunt cl. Viri, qui ſuam impenderunt operam in illius confutatione. Inter quos merito mihi nominandus occurrit Theologus præſtantiſſimus *Hieronymus Maria Buzius* Auguſtinianus *tom. 3. Synopſeos librorum* 37. immortalis Viri *Laurentii Berti deTheologicis diſciplinis*, in appendice ad *cap. 2. lib. 17.* Magnum enim eſt, quod Seminarium, Collegiumque Auximas, atque adeo univerſa Patria mea dulciſſima, debet eruditiſſimo Scriptori ob hujus *ſynopſeos* beneficium.

gali, qui hæc ſcripſit in vita Famulæ Dei *lib.8. cap.116. p.216. Ha ella (la divozione al Cuor di Gesù) paſſati i mari, ed è ſtata portata ſin nelle vaſte regioni dell'Aſia, e dell'America, ove da Padri Geſuiti è ſtata predicata la Religione; Ivi hanno eglino a lor fervoroſi Neofiti inſinuato con le verità della Fede l'amor, ed il culto del Cuore di Gesù Criſto* (a) *origine della loro ſalvezza, e delle grazie, che opera in eſſi. In tal guiſa ſi avverò un'altra più volte replicata predizione della Serva di Dio, che il culto del Cuore di Gesù Criſto in tutto il Mondo ſi ſarebbe ſtabilito, e che li Padri Geſuiti eran da Dio deſtinati per adempire ſopra ciò i diſegni di lui. Tanto ella ſcriſſe nell'anno 1689. alla Madre Salmaſia.* An vero ſub hoc medio, atque ſub his inſtrumentis character eluceat, unde fortunatus eventus præſeferre videatur, quôd digitus Dei ſit hic, feceritque potentiam in brachio ſuo, vel ipſi judicent Patroni Cordis, quos apte præmonet S. Thomas (de Chriſto loquens in Bethleem nato) 3. *p. q.35. art.7. ad 3. quod ſicut dicitur in quodam ſermone Epheſini Concilii. Si maximam Romam elegiſſet Civitatem, propter potentiam civium mutationem Orbis terrarum putarent; ſi filius fuiſſet Imperatoris, poteſtati utilitatem adſcriberent. Sed ut divinitas cognoſceretur, Orbem transformaſſe terrarum, pauperculam elegit Matrem, & pauperiorem patriam. Elegit autem Deus infirma mundi, ut confundat fortia ſicut dicitur* 1. *ad Corinth.* 1. Dum tamen Adverſarii de his ſecum deliberant, & eorum præſtolamur judicium, nos interim adhærendum putamus clariſſimo Fontaninio, qui apparatum proſpiciens *delle tante Confraternite erette di quà, e di là*

(a) Quod Cor Jeſu ratione divinitatis unitæ ſalutiferum eſſe queat ſicut & cætera membra, & cuncta quæ geſſit, & paſſus eſt in corpore, nemo poteſt illæſa fide in diſcrimen adducere. Sed quod ſalutis, & gratiarum origo repetatur a corde non ſymbolice ſumpto, ſed proprie & carnaliter, vim omnem prætergreditur inſtrumenti, & organi divinitatis Chriſti. Filius enim Dei nos redemit, & ſanctificavit ut homo, qui corpore conſtat & anima rationali, non ut habens animale cor, quod ad irrationalem pertinet hominis partem, ſeque ſolo præbere poteſt ſalutis indicium, non erigi in auctorem ſalutis, ut apte diſtinguit S. Thomas 1. *p. q.43. art.7. corp.*, & *ad* 4. ubi *quod perſonam Filii declarari oportuit, ut ſanctificationis auctorem (ut dictum eſt) & ideo oportuit quod miſſio viſibilis Filii fieret ſecundum naturam rationalem, cujus eſt agere, & cui poteſt competere ſanctificari. Indicium autem ſanctificationis eſſe potuit quæcumque alia creatura.*

Digitized by Google

di là ſopra il cuor di Gesù, nihil hic miri vidit, nihil divinitus factum, ſed totum humanitus. *Eſſendo ſtato faciliſſimo alla Religione del Poſtulatore diffuſa da per tutto il farle ſubito iſtituire in tutte le parti.* Et vero ſi quid hinc mutuari ſibi quiret auctoritatis hujus propagatæ novitatis eventus, quid ni vel improbæ ſceleſtiſſimorum hominum ſectæ, quæ longe lateque graſſatæ ſunt terrenæ potentiæ viribus, idem ſibi poſſent aſſerere auctoritatis (a) argumentum? Nam ut de cæteris ſileam, eſt inſtar omnium una peſtis Arii, quæ totam fere Chriſtianitatem corripuit juxta vulgatum Doctoris Maximi effatum. *Totus orbis ingemuit, & miratus eſt ſe repente factum Arianum* (b). Hæc tamen exempla, quæ cæteroquin diſſimilia ad qualemcumque comparationem inſtituendam allata a me ſunt, in bonam partem accipiantur velim; neque enim eo ſpectant, ut quidquam Adverſariorum religioni, pietati, &, quæ eis debentur, exiſtimationi detrahant & honori.

Sed ut ad propoſitum redeam, ipſamet *circumſtantia temporis* multo etiam evidentius oſtendit merum humanæ induſtriæ opus fuiſſe, quidquid jactatur de nomine cultus cordis carnei

 Jeſu

(a) Hujus argumenti repeti debet *principium* ex patenti improportione medii cum fine, ſecundum præmiſſam Apoſtoli ſententiam 1. *ad Cor.* 1. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Ita namque, & non aliter, fundare poteſt credibilitatis teſtimonium, ut de propagatione fidei luculenter exponit S. Leo Magnus *ſerm.* 1. *de Petro & Paulo*. *Eccleſia non minuitur perſecutionibus, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur*. Et S Hilarius *lib.* 4 *de Trinit. Eccleſia dum exercetur floret; dum opprimitur, creſcit; dum contemnitur, proficit; dum cæditur, vincit*. Idque S. Thomas etiam miraculis ipſis præfert *l.* 1. *contra Gentes c.* 6. *Omnibus*, inquit, *ſignis mirabilius eſſet, ſi ad credendum tam ardua, ſi ad operandum tam difficilia, mundus abſque mirabilibus inductus fuiſſet a ſimplicibus, & ignobilibus hominibus*.

(b) Nec dicatur cultum cordis ſua duxiſſe primordia a Ven. Margarita Alacoque, in qua velut ingloria puella, vilique muliercula nullis litteris imbuta, natalibus obſcura, & in Monaſterii ſeceſſu abditam vitam agente, concurrere videntur, quæ ſecundum Apoſtolum aptum faciunt inſtrumentum potentiæ, & virtutis Dei. Meminiſſe enim oportet, quod in ſuſcepta provincia nec ſola fuit, nec habuit adjutorium ſimile ſibi, aliquod nempe fruſtum hominis, ſed ingentem vim lectiſſimorum virorum doctrina, moribus, auctoritate, & gratia præſtantium, unde cumulate ſuppleri potuit quicquid opis ei deerat, nulloque perfici negocio: quod optato potitum exitu, proclivi licet ac obvio, quaſi quid nihilominus extitiſſet ſupra omnes inſtrumenti vires, non humanitus inventum, ſed immiſſum celebratur ab alto.

Jeſu tam late ad novi uſque Orbis fines propagato. Quando enim per orbem diffuſus, quando propagatus eſt cultus iſte cordis carnalis Jeſu? Per id ſane temporis, quo Romæ inviſus, ac inſolens, a Superioribus in ampliſſimo Sac. Rit. Senatu uſque ad annum 1765. conſtanti animo repudiabatur. Et licet hoc demum tempore, atque anno permiſſus fuerit, unus tamen, velint nolint Adverſarii, permiſſus eſt cultus *Cordis ſymbolici*, quod ipſa eſt, ut antea demonſtravimus, divina Chriſti caritas, ſeu Chriſtus ipſe *amator hominum* ſummus, & benigniſſimus, non autem cultus ſeu carnis, ſeu muſculi illius, qui inter viſcera inteſtina Corporis Chriſti *cor* ſingulariter appellatur; hic enim cultus non ſecus ac ante, conſtanter rejectus, ac proſcriptus manſit. Quis autem affirmare auſerit iſtiuſmodi cultum ad unam tantum particulam carnis Chriſti *immediate* directum, cultum nempe privatis obſecundantem opinionibus,&(*a*)Romanis obſiſtentem decretis,quibus terque,quaterque improbatus eſt, interea temporis divino Chriſti ſpiritu diffuſum fuiſſe per orbem terrarum? Nemo quippe neſcit, Chriſtum Dominum Apoſtolos alloquentem, & ſucceſſores ipſorum appellantem in eis, hæc

(a) Patroni cordis carnalis ad hanc elidendam exceptionem graviſſimam provocabunt, ut arbitror, ad ipſum Decretum anni 1765., in quo ſub initium legitur, Sac. Rituum Congregationem probe noviſſe *cultum Cordis Jeſu jam hodie eſſe per omnes fere Catholici Orbis partes foventibus earum Epiſcopis propagatum, ſæpe etiam a Sede Apoſtolica decoratum millenis Indulgentiarum Brevibus datis ad innumeras propemodum Confraternitates ſub titulo Cordis Jeſu canonice erectas*. Nullam tamen ab his omnibus excerpere valent excuſationem. Primum enim, ac tertium de univerſali propagatione cultus, & de multiplici Confraternitatum erectione, nihil ad rem faciunt, quia non auctoritate pollent Eccleſiæ Romanæ, cui ſe nec reſtitiſſe, nec reſiſtere conabuntur evincere. Alterum vero de *millenis Indulgentiarum Brevibus*, quod huc proprie ſpectat, ita dilutum ac interceptum fuit a Cl. Fontaninio in laudatis Notis ad Feſtum Cordis Jeſu. *Alla pag. 3. ſi fa una liſta di molti Brevi d'Indulgenze conceduti a Confraternite del Cuor di Gesù ne' due anni paſſati 1726. 1727., ma ſi vede, che tutti queſti Brevi ſono artificioſamente procurati dopo l'iſtanze principiate a farſi per averne l'Ufficio, e la Meſſa: E ciò ad effetto di far caſo con queſti Brevi*. Sed & illud addendum puto, quod ex formulis dictorum Brevium nihil habetur quod objectum fovere poſſit in eo cultu, cordis carnalis, a quo Sedes Apoſtolica ſemper abhorruit, & abhorret etiamnum. In iis quippe nec mentio quidem fit de Corde Jeſu, ut eaſdem formulas legenti patere poteſt, ſi quis acta luſtret Archivi Sacræ Congregationis Indulgentiarum. Unde quicquid ante vel poſt ea mente, atque animo fuit ſubdole extortum, id omne ſeponendum eſt, nulloque prorſus habendum in calculo, quo cultus cordis carnalis, aut approbationem Sanctæ Sedis ementiri, aut ejus reſiſtentiam inficiari poſſe videatur.

Digitized by Google

hæc protuliſſe *Luc.*10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Unde carnale cor, Eccleſia reſiſtente, vulgatum, & ubique gentium invectum, nullibi vulgatum, nullibi dici poteſt invectum ea conditione, quam Patroni Cordis frequenter uſurpant ex dicto Gamalielis *Act.*5., ut indiſſolubile ſit, ſi quod eſt conſilium ex Deo. Abſit enim ut ex Deo ſit, aut eſſe fingatur, quod Eccleſiæ Dei contradicit, etſi valere permittatur, & creſcere. Si quis autem ita deſperet, ut ex permiſſione Dei ad ejus conſilium, & voluntatem arguendam putaret, haud ſe noſſe fateretur Deum, qui ſe ipſum negare non poteſt, ut diſerte ſcriptum eſt 1. *Joan.*4. *v.*6. *Qui novit Deum, audit nos: Qui non eſt ex Deo, non audit nos: In hoc cognovimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Quod itaque ſub perenni contradictione Eccleſiæ cultus invaluerit cordis carnalis, ad ſpiritum pertinet humanæ induſtriæ errori obnoxiæ, non ad ſpiritum veritatis; quumque propterea non ejus eſſe quiverit (*a*) Auctor *qui non mentitur Deus*, ut dicitur *ad Tit.*1. *v.*2. conſequens eſt ut injuria ad divinum referatur conſilium, quod humanis auſibus tribuendum eſt. Quamquam in hoc argumento ſpectanda eſt non tam intentio eorum, qui propagarunt, quam eorum mens, qui iſtius cultus novitatem adoptarunt. At ſi interrogentur hi, quid ſe recipere putarunt quum eis novi hujus cultus ſpectaculum ante oculos poſitum ex improviſo eſt? nullus dubito quin plerique tandem dicturi ſint, aliud nihil ſe adoptaſſe, quam confuſum quoddam cultus genus, quod a *Corde Jeſu*, quocumque modo intelligatur, nudam denominationem accepit. Multi enim hærent in prima,

quæ

(a) Atque hinc nullum extat legitimum miraculum in commendationem cultus, quem Patroni cordis carnalis obtrudere moliuntur contra mentem, & permiſſionem Eccleſiæ. Ea namque miraculi vis eſt, *ut dum aliquis facit opera, quæ ſolus Deus facere poteſt, credantur ea, quæ dicuntur, eſſe a Deo; ſicut cum aliquis defert litteras annulo regis ſignatas, creditur ex voluntate regis proceſſiſſe, quod in illis continetur.* Ita S. Thomas 3. *p. q* 43. *art.*1. *corp.* Nec obtendere juvat jactatam ſæpe *Maſſilienſium* liberationem a peſtilenti lue. Quicquid enim Adverſarii dicant, os eis obſtruit Benedictus XIV. qui de his licet apprime inſtructus, negavit tamen, & fidenter negavit *de Canonizat. lib* 4. *part.*2. *cap.*31. *n.*25. ullum præceſſiſſe miraculum, *quo inſtitutio novi feſti in honorem ſacratiſſimi Cordis Chriſti commendaretur.*

quæ eis offertur, blandulæ novitatis ſpecie, nec oculos ad intima uſque penetralia ferunt. Alii autem ita affecti, & comparati animo ſunt, ut ſi eis ſingularis hujus cultus doctrina, probe explicetur, nihil vereantur ſtatim abjicere id, quod antea ſe inconſiderate recepiſſe intelligunt. Sic non ita pridem accidiſſe novi in Ariminenſi diœceſi, ubi egregiæ virtutis Parochus, quum jam omnia parata haberet ad Aram ſplendide erigendam *Cordi Jeſu*, lectis *Obſervationibus* de hoc argumento a me *italice* editis, ſibique ab Archipresbytero amico ſuo ſingulari, & Eccleſiaſticæ doctrinæ laude præclaro, humaniſſime commodatis, ab opere abſolvendo vir magnæ prudentiæ, & puræ religionis ſtudio ſummopere addictus, ſtatim abſtinuit, omnemque illum apparatum in alium ſacrum uſum, divinæque ædis ornatum convertit.

Ne nos igitur abduci, aut commoveri patiamur hujuſmodi Adverſariorum oſtentis, *quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione*, ideſt *in ſimulata religione*, ut exponit *Gloſſa ad Coloſs.2. non habentia autem*, ut Apoſtolus addit *ad Tit.1.*, *agnitionem veritatis*, *quæ ſecundum pietatem eſt*: Characterem teneamus, & officium hominis non in ſpeciem, ſed vere cordati. *Eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti*, *& modeſti ſpiritus*, ut eum deſcribit Apoſtolorum Princeps 1. *Petr.3. v.4.* a cujus iccirco abhorret ingenio, ut indocili contentione ſacris accenſeat ritibus cor carnis, quod ſemper ab iis rejecit, excluſitque Eccleſia. Ad ejus autem pertinet officium, ut non ſub corde carnis, quod diviſionem infert cordis a corpore, ſed ſub cordis ſymbolo, quod indiviſum ſervat corpus a corde, cultum deferat Chriſto Domino, (ſecundum permiſſionem, & intentionem Eccleſiæ,) in ſpiritu, & veritate cordis ejus; prout ibidem proſequitur S.Petrus *v.15.* ubi ſimul utrumque nectens, tam ſcilicet objectum, quam ſubjectum cultus, illudque ſtatuens in toto Chriſto, iſtud autem in Chriſtianorum cordibus, formam præbet novo feſto divina illa, quæ rem conficit, aurea ſententia: *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris.* CA-

Digitized by Google

CAPUT LXX.

An liceat uſurpare cultum cordis internum. Quæſtio relinquitur in medio. Si tamen id forte liceat, ſatius eſt ab eo cultu abſtinere, ne tranſeat in cultum externum, qui natura ſua diviſionis infert ſpeciem in Corpus Chriſti. Retorquetur argumentum a meditatione cordis deſumptum. Hinc evincitur cor ideale proponi in objectum cultus. Cor illud ideale proſequentes falluntur, & fallunt, quorum utrumque falſi arguit cultum, de quo agitur. Cultus falſus pernicioſum redolet mendacium contra veritatem religionis.

Sicut autem divina hæc a S. Petro prolata ſententia, apta nata videtur ad informandum feſtum, de quo diſceptamus, operæ pretium me facturum puto, ſi Patronos Cordis in ea aliquantulum detineam. Non ſolum enim ipſorum perimit errorem, ſed perimit etiam erroris cauſſam; Nam, ut ſuo loco latiſſime vidimus, latebram ii errori ſuo quæritant ſub innoxia meditatione cordis carnalis eo argumento innixi, quôd ſicut recte mente recoli, ſic & impune coli poteſt. Si quid autem hoc argumentum valeret, tueri poſſet ad ſummum cultum cordis internum, quem recta dirigat intentio nullam inferendi diviſionem in Corpus Chriſti. Quicquid tamen ſit, an ejuſmodi cultus ſit probandus necne? quod nos (*a*) in medio relinquimus; certum eſt quod hujuſmodi cultus genus, dummodo comi-

(a) Pro interiori cultu facere videtur, quod pars appetitiva ſequitur apprehenſivam. *Non enim aliquid amamus, niſi ſecundum quod conceptione mentis apprehendimus*, ut obſervat S. Thomas 1. *p. q.*36. *art.*2. *corp.*, & rurſum id clare docet 22. *q* 82. *art.*3. *corp. Cauſa autem intrinſeca ex parte noſtra oportet quod ſit meditatio, ſeu contemplatio. Dictum eſt enim quod devotio eſt quidam volutatis actus ad hoc quod homo prompte ſe tradat ad divinum obſequium*. *Omnis autem actus voluntatis ex aliqua conſidera-*

comitem habeat ſanum animi ſenſum, exemptum eſt ab hominum commercio, & ſingulis tantum patet id ſecum agentibus, illique

deratione procedit, eo quod bonum intellectum eſt objectum voluntatis. Unde & Auguſt. dicit in lib. de Trinit. quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo neceſſe eſt, quod meditatio ſit devotionis cauſa. Quo ſpectat etiam quod expreſſe dicitur *Pſal.* 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.*

Sed urget in oppoſitum quod meditatio, ſeu contemplatio non delibat Cor Jeſu quaſi finem ad ſiſtendum in eo, ſed ut id quod eſt ad finem, & ut ulterius procedatur; eoque nec illud proponit voluntati, ut objectum cultus, ſed ut medium quo feratur in totum Chriſtum *per modum cuiuſdam manuductionis*, ut explicat S. Doctor loco cit. *ad* 2 *Ea*, inquit, *quæ pertinent ad Chriſti humanitatem, per modum cujuſdam manuductionis maxime devotionem excitant: Cum tamen devotio principaliter circa ea, quæ ſunt divinitatis conſiſtat* Et luculentius S. Auguſtinus *lib.* 1. *de doctr. Chriſt. cap.* 34 *Vide*, inquit, *quemadmodum cum ipſa Veritas & Verbum, per quod facta ſunt omnia, caro factum eſſet, ut habitaret in nobis: tamen ait Apoſtolus: etſi noveramus Chriſtum ſecundum carnem ſed jam non novimus &c. ex quo intelligitur, quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipſe Dominus, in quantum via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluerit ſed tranſire, ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro ſalute noſtra ſuſceptis, & geſtis inhæreamus infirmiter, ſed per eas potius curramus alacriter: ut ad eum ipſum, qui noſtram naturam a temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi, atque pervenire mereamur.* Quod quidem aſſumptæ carnis officium, de quo ſæpius dictum eſt, ita paucis deſcriptum legitur *ad Epheſ.* 2. *Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno ſpiritu ad Patrem.*

His adde, quod contemplatio, uti quid ſpeculativum, immorari poteſt in parte ſine toto; cultus vero, uti quid practicum, non debet a parte ſejungere totum. Contemplatio enim habet etiam in parte verum, quod eſt objectum intellectus; cultus autem non habet in parte bonum, quod eſt objectum appetitivi motus. Jure namque ſuo tendit in bonum perfectum, quod non parti congruit, ſed toti. *Totum enim, & perfectum idem ſunt*, ut poſt Philoſophum ait S. Thomas 22. *q.*184. *art.* 3. *corp.*, & addit 1.2. *q.*92. *art.* 1. *ad* 3. *quod bonitas cujuslibet partis conſideratur in proportione ad ſuum totum.* Quod ea ratione probat *in ſupplem. q.*93. *art.* 1. *corp. Quia omnis pars imperfecta eſt, & completur in ſuo toto. Unde & totum ſe habet ad partem ut forma ad materiam.* Et S. Auguſtinus *lib* 3. *confeſſion. cap.* 8. *Turpis eſt*, ait, *omnis pars ſuo toti non conveniens, vel non congruens*, & S. Thomas 1. *p. q.*39. *art.* 8. *Ad pulchritudinem*, inquit, *tria requiruntur. Primo quidem integritas ſive perfectio. Quæ enim diminuta ſunt, hoc ipſo turpia ſunt*, & infra *q.*61. *art.* 3. *corp. Nulla autem pars perfecta eſt a ſuo toto ſeparata, & q.* 89. *art.* 2. *in* 1. *arg. Quælibet autem pars perfectior eſt in ſuo toto. Et* 1. 2. *q.* 4. *art.* 5. *in* 1. *arg omnis autem pars eſt imperfecta a ſuo toto ſeparata.*

Maxime vero, quod imperfectio partis redundaret in totum, quatenus ſectile fieret eo cultu, qui cor haberet pro termino contra integerrimam unitatem Corporis Chriſti, de quo ait S. Thomas 3 *p. q* 51. *art.* 3. *corp. Noluit corpus ſuum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque reſolvi.* Nec refert id agi cultu tantum interiori; nam ut Nyſſenus ait contra Apollinarem, *Qui fieri poteſt, ut quod unum eſt, in notionem duplicem dividatur?* Et Caſſianus *lib.* 3. *de Incarnat. cap* 6. *Quæ hic diviſio! quæ hic diſcretio eſt?* Et propius ad rem noſtram S. Ambroſius *lib. de Incarnat. Dom. Sacram. cap.* 7. *Numquid cum & divinitatem ejus adoramus & carnem, Chriſtum dividimus? Numquid cum in eo imaginem Dei, Crucemque veneramur, dividimus eum? Apoſtolus certe qui de eo dixit: Quoniam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei: ipſe dixit, quia non diviſus eſt Chriſtus.* Et graviſſime demum S. Athanaſius *epiſt. ad Adelphium: Ubi tandem nefarii ſeorſum per ſe inveniunt illam carnem, quam Salvator noſter Jeſus Chriſtus aſſumpſit, ut audeant dicere; non adoramus Dominum in carne, ſed* DISJUNGIMUS CORPUS, *tumque illum ſolum latria proſequimur?*

Digitized by Google

illique ſoli *qui finxit ſingillatim corda eorum*, ut dicitur *Pſal.* 32. Sed quum agitur, ut hic, de cultu externo, ad quem feſta pertinent: *ſpectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & Hominibus*, ut habetur 1. *Corinth.* 4. Homines vero vident ea, quæ parent, non autem, ut Deus, intuentur Cor. Videntes ergo, quod novi cultores extrinſecus convertuntur ad Cor Chriſti, non intuentes vero, quod intrinſecus affectent totum Chriſtum, hæc ſecum animis agitant: Quidnam vult hoc eſſe, quod cor ad colendum ſeligitur de viſceribus Chriſti? Num aliquando cor illud exſectum fuit a Domini corpore? an aliquod geſtum eſt in eo corde myſterium, quod non fuerit toti commune? Ita ſecum conjectant. Et quidem recte. Non aliud enim ageretur, quam quod agi vident, ſi forte Chriſti Cor fuiſſet aliquando diviſum a toto, aut peculiare quid operatum ad humanam ſalutem. Perinde namque colitur, ac colitur ſanguis, unde olim diviſus ſignificatur a corpore, & in noſtræ fuſus redemptionis pretium. Hæc, & his ſimilia nos alibi proſecuti ſumus ad evincendam in cultu cordis carnei inviſam notam cultus falſi.

Sed erroris evellit radices S. Petrus, dum ne cultu quidem interno, immorari vult fideles in carnali Chriſti corde. *Sanctificate*, inquit, *in cordibus veſtris*, quod recta ſpectat ad interiorem cultum, non Cor Chriſti, ſed *Dominum Chriſtum*. Vidit enim, ac optime perſpexit, imbibitum animo cultum, qui ſit in unam tantum partem terminatum, haud facile poſſe, dum foras prodit, in aliam verti formam, & in cultum migrare totius. Eoque ut ut eſſe poſſet innoxius, dum ſiſtit in abdita contemplantium arce, reddente eis teſtimonium conſcientia propria, quod intime colant Chriſti Cor, ut eſt Corpori junctum, concretumque cum toto: non eſſet tamen uſurpandus ob imminens periculum, ne ſe forte ſubtrahat (*a*), & veniens in lucem & frequentiam hominum, perniciomotu,

(a) *Res enim appetitur, prout eſt in ſua natura. Non eſt autem ſecundum ſuam naturam in virtute appetitiva, ſed ſecundum ſuam ſimilitudinem*, ut monet S. Thomas 1. *p. q.* 78. *art.* 1. *ad* 3. eoque fit proclivis ad prodeundum exterius non ſolo animi motu,

nicioſam ingerat diviſionis ſpeciem. Inſcriptum enim præfert patens objectum partis. Latens vero, quod ineſſe volunt, objectum totius, manet alta mente repoſitum; & quod magis eſt, habet inſuper exadverſo ſtans exterioris cultus indicium. Æqua enim proportio eſt externi cultus ad internum, ac verbi oris ad verbum cordis, ut notat S. Thomas 22. *q.*84. *art.*2. *ad* 2. ubi *quod ſicut oratio primordialiter eſt quidem in mente, ſecundario autem verbis exprimitur, ut ſupra dictum eſt, ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia conſiſtit, ſecundario autem in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis*; unde arguit *ad* 1. *quod etiam adoratio corporalis in ſpiritu fit, in quantum ex ſpirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur*, & ſupra *q.*81. *art.*7. *corp. Religio habet quidem interiores actus quaſi principales, & per ſe ad religionem pertinentes; exteriores vero actus quaſi ſecundarios, & ad interiores actus ordinatos*, & ſubjungit *ad* 2. *quod hujuſmodi exteriora .... exhibentur Deo tamquam ſigna quædam interiorum, & ſpiritualium operum, quæ per ſe Deus acceptat. Unde Auguſt. dicit* 10. *de Civit. Dei ſacrificium viſibile inviſibilis ſacrificii ſacramentum, ideſt ſacrum ſignum eſt*. Quare ſi ſignum, quod in cultu exteriori

motu, ſed etiam corporis, ut addit S Doctor *ad* 4. *Hæc autem vis motiva non ſolum eſt in appetitu, & ſenſu ut imperante motum, ſed etiam eſt in ipſis partibus corporis, ut ſint habiles ad obediendum appetitui animæ moventis*. Quod autem ait S. Doctor loco citato, rem ſcilicet non eſſe ſecundum ſuam naturam in virtute appetitiva, ſed ſecundum ſuam ſimilitudinem, quod eſt proprium intellectus, referri debet ad mutuum commercium unius potentiæ cum alia, ut plene declarat infra *q.*87. *art.*4. *corp.*, ubi *Actus*, inquit, *voluntatis nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam conſequens formam intellectam: ſicut appetitus naturalis eſt inclinatio conſequens formam naturalem. Inclinatio autem cujuslibet rei eſt in ipſa re per modum ejus, unde inclinatio naturalis eſt naturaliter in re naturali. Inclinatio autem quæ eſt appetitus ſenſibilis, eſt ſenſibiliter in ſentiente: & ſimiliter inclinatio intelligibilis, quæ eſt actus voluntatis, eſt intelligibiliter in intelligente ſicut in primo principio, & in proprio ſubjecto*. Tanti igitur eſt, quod res eſſe dicatur in virtute appetitiva ſecundum ſuam ſimilitudinem, quanti quod voluntas inclinetur in rem ipſam ſecundum apprehenſionem intellectus, quæ non fit per informationem a re ſecundum ſuam naturam, ſed ſecundum ſuam ſimilitudinem. Quod plenius explicat, & exemplo confirmat etiam infra *q.*93. *art* 8. *corp. Fertur autem*, inquit, *in aliquid mens dupliciter. Uno modo directe, & immediate. Alio modo indirecte, & mediate: Sicut cum aliquis videndo imaginem hominis in ſpeculo, dicitur ferri in ipſum hominem*. Et rurſum *q.*94. *art* 1. *ad* 3. ubi *quod duplex eſt medium. Quoddam, in quo ſimul videtur, quod per medium videri dicitur: ſicut cum homo videtur per ſpeculum, & ſimul videtur cum ipſo ſpeculo*.

riori ſitum eſt, cor unum intuetur, huc etiam ſpectare monſtrat etiam ſignatum; ex quo fit, ut interior cordis cultus ſaltem *directe*, conjunctus & concretus eſſe nequeat cum toto, ut probe conjicit S. Doctor 1. *p. q.*15. *art.*2. *corp. Ratio autem alicujus totius haberi non poteſt, niſi habeantur propriæ rationes eorum, ex quibus totum conſtituitur; ſicut ædificator ſpeciem domus concipere non poſſet, niſi apud ipſum eſſet propria ratio cujuſlibet partium ejus.*

Ac propterea argumentum antea ductum a meditatione cordis, in Adverſarios retorquetur. Meditationi ſiquidem, ut & ipſi ſupponunt, ſola ſubeſt, & objicitur ſpecies cordis, eaque imbuta mens contemplantis ſimilem parit conceptum cordis, quo cor unum intuetur, ſecumque tacita verſat. Unde quum foras exit quaſi per vocem cultus, qui ad cor unum pari modo, ut ad objectum dirigitur, non aliud exhibet adſtantibus, quam præconceptum cordis idolum, ſub iis tamen adjunctis, quæ ſimul compingit ad excolendum, & exornandum Cor Jeſu; ut totum explicando mentis opus, & relationem exteriorem ad illud, obſervat S.Thomas 1. *p. q.*85. *art.*2. *ad* 3. Ait enim *quod in parte ſenſitiva invenitur duplex operatio. Una ſecundum ſolam immutationem, & ſic perficitur operatio ſenſus per hoc quod immutatur a ſenſibili. Alia operatio eſt formatio, ſecundum quod vis immaginativa format ſibi aliquod idolum rei abſentis, vel etiam nunquam viſæ. Et utraque hæc operatio conjungitur in intellectu. Nam primo quidem conſideratur paſſio intellectus poſſibilis ſecundum quod informatur ſpecie intelligibili. Qua quidem formatus, format ſecundo, vel diffinitionem, vel diviſionem, vel compoſitionem, quæ per vocem ſignificatur.*

Et vero quum Cordicolas audimus,aut Cor Jeſu nominantes veluti *æterni Patris Filium*, aut illud deſcribentes uti *Cor incarnatum*, aut componentes cum his, quæ ſunt ſpiritus, ut cogitare, velle, amare, & dolere; aut dividentes a compagine corporis, quaſi paſſum eſſet, flagellatum, crucifixum, ſepultum; nonne his, & ſimilibus in eorum mente introſpicitur Chriſtus

 quaſi

quaſi totus abbreviatus in corde? Non alibi ſiquidem quam in corde locant, quæ paſſus eſt in anima, de qua ipſe ait *Matth.* 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, & *Pſalm.* 87. *Repleta eſt malis anima mea*. Ad cor item contrahunt, quæ paſſus eſt in corpore, de quo dicitur 1. *Petr.* 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Et ad Hebr.* 10. *Sanctificati ſumus per oblationem Corporis Jeſu Chriſti*, de qua præmittit Apoſtolus *verſ.* 5. *Ideo ingrediens mundum dicit. Hoſtiam, & oblationem noluiſti: Corpus autem aptaſti mihi.* Dum ergo Cordi Jeſu propria faciunt, quæ ſunt animæ, tum etiam quæ corporis ſunt, & cor iſtud eſſe volunt objectum cultus, apertiſſime monſtrant, ſe loco rei, imo tamquam rem, illum ipſum uſurpare conceptum cordis, quem ex ea partis ſpecie inter meditandum expreſſit, quaſique anima, & corpore donavit decepta ſimul, ac decipiens eorum phantaſia (*a*). Nam ut ait S. Thomas 1. *p. q.* 17. *art.* 2. *ad* 2. *Quando aliquis convertitur ad ſimilitudinem rei tamquam ad rem ipſam, provenit ex tali apprehenſione falſitas. Unde etiam Philoſophus in* 5. *Metaphyſ. dicit quod umbræ, & picturæ, & ſomnia dicuntur falſa, in quantum non ſubſunt res, quarum habent ſimilitudinem*, & infra *q.* 54. *art.* 5. *in fine Deceptio autem in nobis proprie fit ſecundum phantaſiam, per quam interdum ſimilitudinibus rerum inhæremus ſicut rebus ipſis, ut patet in dormientibus, & amentibus*. Et ad rem probe monet S. Auguſtinus *lib. de ver. relig cap.* 55. *Non ſit*, inquit, *nobis religio in phantaſmatibus noſtris; melius eſt enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt.*

Quor-

(a) Ni potius dici velit, ac brevius, quod ſpeciem illam, qua cor intelligunt, accipiunt loco cordis mentis perceptione concepti; quod ad reflexionem pertinet, & illuſioni mentis proludit, ut explicat S. Th. 1. *p. q.* 76. *art.* 2. *ad* 4. *Id enim quod intelligitur, non eſt in intellectu ſecundum ſe, ſed ſecundum ſuam ſimilitudinem. Lapis enim non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis ut dicitur in* 3. *de anima, & tamen lapis eſt id quod intelligitur, non autem ſpecies lapidis, niſi, per reflexionem intellectus ſupra ſe ipſum: alioquin ſcientiæ non eſſent de rebus, ſed de ſpeciebus intelligibilibus.* Et melius infra *q.* 85. *art.* 2. *corp. Similitudo rei intellectæ, quæ eſt ſpecies intelligibilis, eſt forma ſecundum quam intellectus intelligit. Sed quia intellectus ſupra ſe ipſum reflectitur: ſecundum eamdem reflexionem intelligit, & ſuum intelligere, & ſpeciem qua intelligit. Et ſic ſpecies intellecta, ſecundario eſt id, quod intelligitur. Sed id quod intelligitur primo, eſt res, cujus ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo.*

Digitized by Google

Quorſum igitur de Chriſto fingitur quod ſit totus cor? quod Apoſtolus improbat 1. *Corinth.* 12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus*. Quorſum, inquam, Corpus Chriſti velut uno concluditur corde? *Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa*; ut ſtatim pergit Apoſtolus. Patens eſt ergo deceptæ mentis illuſio. Sed accedit etiam deceptio latens, quam vix agnoſcere queas; ſubrepit enim ſub oppoſitæ veritatis perſona. Ea namque cordis ſpecies continentis omnia ſimul, omniaque unientis, inſenſibili quadam diviſione ſeparat a corde cum cætera membra, tum & ipſum Chriſti Corpus, ut hanc detegens occultam rimam, & quod ea ſubinfertur tacitum ſchiſma Dominici Corporis, paulo poſt argumentatur Apoſtolus: *Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus?* Eodemque modo dicere queas. *Si totum cor: ubi corpus?* uti mox nominatim adjunxit etiam Apoſtolus: *Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?* Et ideo recte, & caute monuit, ut diximus, S. Petrus, non Cor Chriſti colendum eſſe, ſed totum etiam interiori cultu 1. *Petr.* 3. *verſ.* 15. *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris* (*a*). Vix enim eſt, ut quod intus agitur, non id etiam foras erumpere geſtiat, eoque notam ſubeat cultus falſi. Secundum enim demonſtrationem Apoſtoli ſub objecto cordis ita concreti, perindeque ſe habentis, *ac ſi eſſent omnia unum membrum*: quæri poteſt una cum eo, ſed tamen quæri fruſtra, & incaſſum: *Ubi corpus?* (*b*) Cultus

(a) Hujuſmodique ſanctificatio fit per charitatem, quæ Chriſtum Dominum ad nos attrahit. Quod quidem, ut in cultu exteriori & communi præcipue fit per dilectionem Proximi ſecundum promiſſionem ejus *Matth.* 18. *Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Sic in cultu interiori, qui a communione ſecretus eſt tam Proximi quam corporis, maxime fit per dilectionem Dei. Dicitur enim 1. *Jo.* 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Hinc egregie concludit S Thomas 22. *q.* 188. *art.* 8. *ad* 2. *Sicut ergo Chriſtus eſt in medio eorum qui ſibi invicem per dilectionem Proximi ſociantur, ita habitat in corde ejus, qui divinæ contemplationi inſiſtit per dilectionem Dei*.

(b) Nec dicatur Chriſti Cor haberi pro toto vel ut totum, non ſubſtantia, & ſubjecto, de quo loquitur Apoſtolus, ſed ſola ratione, & objecto, quod corpus non arcet,

tus autem exterior non habet, ut interior, veritatem ab intentione ſana colentis, ſed a ſignificatione, quam indole ſua natus eſt ingerere juxta (*a*) conditionem rei, quæ tenet objecti locum. Hactenus enim, & non ſola colentis intentione, conſonet oportet cum veritate Catholicæ religionis, a qua ſi deſciſcat, vitium contrahit pernicioſi mendacii, fœdamque notam cultus falſi, ut cum S. Auguſtino docet, & explanat S. Thomas 22. *q.*93. *art.*1. *corp. Mendacium maxime pernicioſum eſt, quod fit in his, quæ ad Chriſti religionem pertinent. Eſt autem mendacium cum aliquis exterius ſignificat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto; & in tali ſignificatione facti conſiſtit exterior religionis cultus, ut ex ſupra dictis patet. Et ideo ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificetur, erit cultus pernicioſus.*

cet, ſed unitum ſupponit. Ea ſiquidem corporis unio, vel intima cordi ponitur, vel extima? Non autem poni poteſt velut intima cordi: *quia diverſitas materiæ requirit diſtinctionem in ſitu: & ideo videmus, quod quando conveniunt duo corpora in unum; deſtruitur eſſe diſtinctum utriuſque, & acquiritur utrique ſimul eſſe unum indiſtinctum, ut patet in mixtionibus*, ſicut arguit S. Thomas *ſupplem. q.* 83. *art.* 3. *corp.* Reſtat ergo, ut unio corporis ad cor, ſupponatur ut extima, qualis eſt a parte rei. At ſi cor ratione, & objecto habetur pro toto vel ut totum, corpus quod eſt extra, neceſſe eſt ut inſuper habeatur, non re quidem, & natura, ſed ratione item, & objecto. Totum enim eſt quid unum ſuis tantum concretum partibus, quibuſcum unum facit; & conſequenter tam ſubjective ſumptum, quam objective, poni debet, ut ab aliis utrovis modo diviſum. Nam ut addit S. Doctor *ad* 4. *Diviſio ab aliis eſt de conſequentibus ad rationem unius*. Quare ſemper urget argumentum Apoſtoli. *Quod ſi eſſent omnia unum membrum; ubi corpus?* Non quidem intra, quia diſtinctum ſubjecto; non extra, vel juxta, quia diviſum objecto.

(a) Ea vero eſt conditio cordis Jeſu carnaliter ſumpti, & in ojectum cultus erecti, ut diviſionem ſui repræſentet a quavis alia parte, & a tota mole Corporis Chriſti. Idque non ſolum ſub *totalitate* præmiſſa nullum dante locum corpori, aut aliis corporis partibus, ſed etiam ſub nuda ſingularitate cordis. Nam ut ait S. Thomas 1. *p. q.* 13. *art.* 9. *corp. Singulare ex hoc ipſo quod eſt ſingulare, eſt diviſum ab omnibus aliis.*

CA-

CAPUT LXXI.

Falſum evincitur propheticum quoddam, ac recens præconium latiſſime exadverſo divulgatum in commendationem cordis carnalis. Hinc in ſuſpicionem revocatur etiam Alacoquiana revelatio habita primum ut præclarum ejuſdem cultus auſpicium. Quid metuendum iis ſit, qui dividunt Chriſtum. Summatim repetuntur cauſæ cultus falſi, & indebiti, qui religioni admiſcetur ſub objecto cordis carnalis.

HÆC habui, quæ monerem in re tam gravi, tantique momenti; eaque uſui eſſe velim cum omnibus, tum maxime iis, qui non hactenus ſatis inveſtigarunt, quantum ſubſit mali, quantumque periculi in cultu cordis carnei, quem cœca fide ſectati ſunt, arbitrantes etiam ſe obſequium præſtare Deo; cui tamen neſcientes injurii fuerunt, ut eos increpans aperit patientiſſimus hominum *Job.* 13. *Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Quam bene cadat hæc exprobratio in Patronos cordis carnalis, eſt ſatis in promptu. Sed ad intelligendam fallaciam, in qua neſcii fortaſſe & imprudentes illi verſantur, oculos velim attollant ad eadem ipſa prodigia, quæ pro cultu cordis carnei Chriſti divinitus edita prædicabant. Abſit, ut ea vel fraude, vel dolo malo excogitata, aut confiſta, & evulgata fuiſſe ſuſpicer. Sum enim, fuique ſemper ab hujuſmodi tam iniqua ſuſpicione quam maxime alienus (*a*). Attamen quum falſa poſtmodum, & tamquam nuda

(a) Nonnullos audivi, qui iſtiuſmodi evulgata prodigia in ſuſpicionem aliquando adducerent. Mitto dicere quibus ſive, argumentis, ſive conjecturis id ſibi licuiſſe putarint. Hoc unum de me libere affirmare non dubito, quod, quum ea certa mihi non eſſent, neque vero comperta & explorata, deceptos potius quam deceptores habere volui & habendos putavi falſæ hujus quam exponimus, revelationis Præcones. *In judicio*, inquit S. Thomas 22q..60. *art.*4. *ad* 2. *quo judicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum & malum ex parte ejus, de quo judicatur: qui in hoc ipſo honorabilis habetur.*

da humanæ imaginationis opera, deteċta reapſe fuerint, ea valere debent ad bonorum omnium mentes excitandas, ne ſe decipi in hoc tam gravi negotio patiantur.

Intrr cætera vero illud inſigne & celebratiſſimum eſt, quod ſub an. 1765. accidiſſe prædicabatur Romæ. Eo namque tempore inſtitutum ſcimus novum hoc Feſtum, quod eo detorquere moliuntur. Adſtitit, ut ferunt, de Cælo, novitio Juveni Societatis Jeſu extremo morbo correpto S. Aloyſius Gonzaga, nec eum modo ſanum fecit, ſed etiam commonuit, ut cultum propagaret Cordis Jeſu; quaſi vero ad hoc eſſet præcipue ſervatus, delectuſque. Sed eam tamen, etſi quidem præſcientiæ prophetiam, cujus proprium eſt ut ſemper impleatur, inopinatus fruſtravit eventus. Nam Juvenis ille triennio poſt humanis rebus exemptus eſt; ejuſque mors præcox omne vanum oſtendit & fallax deluſæ imaginationis ſomnium, quod de futuro *Præcone* cæleſte putabatur vaticinium. Non fuit igitur vera, ſed mendax ea revelatio, cujus rumor tunc adeo percrebuit ob annexam ſanitatis gratiam, ut nota omnibus facta fuerit, vulgata per Urbem & Orbem relatione typis impreſſa, commodata, diſtributa, publice divendita. Porro ſi metiamur ab ungue leonem, ut eſt in veteri proverbio, quid ni ſuſpicemur parem incidiſſe illuſionis fallaciam in capitali quoque revelatione, quæ facta fuiſſe perhibetur in primam veluti inaugurationem dicti cultus, Ven. Margaritæ Alacoque (*a*)?

Hæc

betur, quod bonus judicatur, & contemptibilis, ſi judicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, quod hominem judicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat. Nec refert aliquando falli qui de Proximo ſuo, ſuſpicionibus licet ingruentibus, bene judicat, ut ſtatim ibidem oſtendit S. Doctor. *Ipſi autem homini judicanti falſum judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius: ſicut nec ad ejus perfectionem pertinet ſecundum ſe cognoſcere veritatem ſingularium conjungentium, ſed magis pertinet ad bonum affectum.*

(a) Maxime vero ſuſpicionem hanc auget, quod ſi inter ſe conferas utramque revelationem, tam ſimilem alteram alteri invenies, quam ovum eſt ovo ſimile. Nam quæ duo præcipua ſunt in revelatione Ven. Margaritæ, ejus ſcilicet electio ad inſtituendum cultum Cordis Jeſu: *Itaque a te requiro, ut feria Sexta, quæ poſt octavam Feſti Corporis mei proxima ſequitur, cordi meo colendo peculiariter ſit dicata:* & ejuſdem cultus approbatio. *Nihil*, inquit, *præſtare potes, quod mihi futurum ſit acceptius*; ea ſunt ambo derivata, & transfuſa in nuperum viſum præclari Juvenis *Nicolai Celeſtini*, cui S. Aloyſius & mu-

Hæc autem taciti ſecum animis reputent vel ipſi defenſores cordis carnalis, & juſto pudore ſuffuſi, ex detecta mendaci revelatione bono ſuo illud teneant, quod abſconditum in ſe claudit veræ illuſionis myſterium; ut proinde fas ſit ad eos exclamare cum Pſalte Propheta *Pſalm.* 4. *Filii hominum uſquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* De vana ſane, & mendaci revelatione, quam jactabundi buccinabant de Cælo fuiſſe datam, ſtatim poſt Feſtum Dominici Cordis nuperrime inſtitutum, dubitare non ſinit Necrologium ipſum Societatis Jeſu, cujus particulam exhibemus inter monumenta ſelecta, ut liquido conſtet de obitu dicti optimi Juvenis, qui non tam miraculo valetudini reſtitutus, quam Sancto Aloyſio interceſſore, divinitus reſervatus dicebatur ad propagandum cultum Cordis Jeſu. Huc ſpectat quod habemus a Domino indicium certum, unde falſa diſcernantur a veris *Deuter.* 18. *Quod ſi tacita cogitatione reſponderis. Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum. Quod in nomine Domini* (*a*) *Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus.*

Sunt qui metuant, ne Dominus Jeſus, *de cujus ore*, ut ait Apocalyſta Joannes Apoc. XIX. 15.; *procedit gladius ex utraque parte acutus*, loqui vere cœperit in voce diviſionis adverſus eos, qui ſeipſum in partes quaſi membratim ſcindere incautæ pietatis œſtro cogitarunt, dum ſibi ex inteſtinis viſceribus avulſum, eductumque *cor* tamquam ſancti quidem, ſed puri hominis λύψανον a reliquo corporis ſeparatum, univerſo terrarum orbi in

& munus denunciaſſe dicitur *di propagare la divozione al S. Cuor di Gesù*: ſimulque teſtatus eſſe, *che è divozione graditiſſima in Cielo.* Quod ex amuſſim expreſſum fuit quoad utrumque caput in illius imagine tunc vulgata; in qua nempe ſic legitur: *Lo riſanò in un iſtante, e gli raccomandò, che promoveſſe la divozione al S. Cuor di Gesù, con aſſicurarlo, che queſta è gratiſſima in Cielo.* Hæc ſane tanta poſterioris revelationis counexio, & affinitas cum prima, dubitare non ſinit, quin recens iſta, falſa ſubinde detecta, ſubolere faciat emunctis naribus, quaſi ſub crambe recocta, falſitatem antiquæ.

(a) Nihil hic revera prædixit S Aloyſius Gonzaga, ſed ejus tantum opinata ſpecies, ſicut accidit in viſione ſomniorum, de qua dicitur *Eccleſ.* 34. *Ante faciem hominis ſimilitudo hominis.* Quod enim non immittitur viſum a Domino, deceptæ mentis illuſio eſt; quam belle paucis deſcribit, & explodit ejuſdem loci contextus, ubi dicitur: *Cor tuum phantaſias patitur, niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum.*

ſpectaculum dare, eique *ſingularem* adorationem ſeorſim a *toto*, quod ipſe Chriſtus Dominus eſt, ſub cæleſtium oraculorum, ac revelationum prætextu, *directe* affigere ac deſtinare conati ſunt. Non audent illi quidem de occultis judiciis Dei quidquam temere, & arroganter conjicere, nec infauſta omina amant quaſi de Cælo accepta nunciare; ſed qui dat in Pſal. 59. *metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant a facie arcus*, ille, admirantibus, & obſtupeſcentibus mortalium omnium animis, viſus jam eſt alicubi gentium implere cœpiſſe id quod Regio Vati in Pſ. 54. v. 22. revelaverat: *Diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius*. Cor, inquam, ſi Auguſtinum audiamus, quod certe non muſculus, non particula carnis eſt, ſed latens & abſcondita Dei *voluntas* Eccleſiæ ſuæ manifeſtata in unius veræ doctrinæ, & myſteriorum Fidei revelatione. Nam *quomodo*, ait Interpres ille admirabilis, *appropinquavit cor illius? Ut intelligamus voluntatem illius..... Ergo illi diviſi ſunt*, & licet non ea ſecuri, quam hic Auguſtinus habebat, *diviſi ſunt* tamen *præ ira vultus ejus, & nobis ad intelligendum appropinquavit cor ejus*.

Sed hæc aliis conſideranda relinquimus. Nobis propoſitum eſt, non jam pœnæ metu, qui teſte Tullio, non eſt diuturni magiſter officii; neque per ambiguos rerum incertarum anfractus, ſed ſolidis rationum momentis, & firmioribus etiam præſidiis ab auctoritate divina petitis, devios revocare in viam, a qua in hoc noſtro doctrinæ capite, quod cum dogmate de pura & unica adoratione totius Chriſti conjunctum eſt, diſceſſerunt; aut illud ſaltem efficere, ne latius excurrat illa ipſa depravatio, quæ in cultum ratum ſymbolici *cordis* Chriſti imprudenter illata, facile ſubrepere poteſt in vulgus, & puram deturpare pietatis formam, ni religioſas hominum mentes, ut piis affectionibus imbutas, ſic etiam præmunitas inveniat ab errorum corruptela, ſale ſapientiæ, hoc eſt ſtudio, & diſciplina ſacrarum Litterarum. Nam, ut opportune notat S. Thomas 22. q. 188. *art.* 5. *corp.* ad vitam contemplativam *Studium Litterarum dupliciter adjuvat. Uno modo directe, coadjuvando ad* con-

Digitized by Google

contemplandum, illuminando ſcilicet intellectum .... Alio modo ſtudium Litterarum juvat ad contemplativam vitam indirecte, removendo contemplationis pericula, ſcilicet errores, qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant. Sicut in collationibus Patrum legitur, quod Abbas Serapion propter ſimplicitatem incidit in errorem Anthropomorphitarum, ideſt eorum, qui Deum habere humanam formam arbitrantur.

Quid erroris ſubſit in cultu cordis carnei, ſatis, ut arbitror, jam probavi. Vi namque ſua cultus iſte ſeparatum ſignificat ipſum Cor a Chriſti Corpore: quod apertam præſefert falſitatem, ſummaque afficit injuria cum veram, tum myſticam illius integritatem; quodque bonos quoſque & pios fideles de religionis noſtræ puritate ac ſanctitate ſollicitos, movere in primis debet, periculoſiſſimus eſt, & ab (*a*) inſtituto diſcordat Eccleſiæ, quæ Feſto de quo agitur, non cor proprie ſumptum, ſed ſymbolice tantum acceptum, pro objecto cultus præfixum voluit. Ego equidem inter omnes Eccleſiæ filios infimum locum teneo. Attamen ad me quoque pertinere poſſe putavi, quod habet Canon *Loci*, a Decreti collectore adſcriptus Stephano V. 35. *q.* 9. *Loci noſtri conſideratio nos admonet rationis auctoritate, quæ a Prædeceſſoribus noſtris utiliter deciſa fuerint, roborare, & quæ a temerariis præſumpta fuerint, in promptu nihilominus ulciſci. Reum quippe ante conſpectum divini Judicis ſe noverit eſſe, qui nititur utiliter finita reſcindere, ac roborata quolibet auſu violare. Eccleſiaſtici quippe vigoris ordo confunditur, ſi aut temere illicita*

Nn 2 *præ-*

(a) *Peccat tamen graviter, ritum Eccleſiæ non ſervans*, ut ait S. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 8. Detorquere autem verba decreti ad cor carnale, non valet ad aliud, quam ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quamvis enim hinc aliqua captari poſſit occaſio, ne quis ſpecie tenus contra illius verba facere videatur, omnis tamen excuſatio tollitur ex mente & oraculo Eccleſiæ, quod eſt de ſolo corde ſymbolice ſumpto. Teſte enim Paullo Jureconſulto *Leg.* 29. *ff. de Legib. contra legem facit qui facit quod Lex prohibet. In fraudem vero, qui ſalvis verbis Legis ſententiam ejus circumvenit*. Nec fraudem abeſſe facit, quod Adverſariorum oculis non affulgeat averſa Decreti mens. *Fraus enim Legi fit, ubi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit*, ut Ulpianus addit *ſeq. Leg* 30. *ff. eod.* Manca igitur interpretatio Decreti bona fide vacat, quia non ad mentem verba ſupplet, ſed verbis mentem peſſundat, ut ad liquidum demonſtratum eſt in Proluſione.

præſumantur, aut non conceſſa impune tententur. Proinde ſi negligenter ea, quæ male uſurpantur, omittimus, exceſſus viam procul dubio aliis aperimus. Quare rem utilem, immo neceſſariam feciſſe me puto, dum pro mea ingenii tenuitate in id operam contuli, ut latebras detegerem; & conatus infringerem renaſcentis erroris. Nam ut probe monet S. Gregorius Magnus *in Paſtor. par. 2. cap. 4. Sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiſcretum ſilentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit.*

LAUS DEO.

DE

Digitized by Google

I.
DE FESTO CORDIS JESU
MONUMENTA SELECTA.

Narratio typis vulgata , & Romæ impreſſa anno 1765. apud Joſephum , & Nicolaum Groſſi .

Prodigioſa riſanazione ultimamente ſeguita in Roma per interceſſione di S. Luigi Gonzaga della Compagnia di Gesù .

Niccolò Luigi Celeſtini Romano , giovane d'anni 17. compiti , poc' anzi Scolaro nel Collegio Romano , e preſentemente Novizio della Compagnia di Gesù nella Caſa di S. Andrea a Monte Cavallo , fin dai 10. Gennaro del corrente anno 1765. fu compreſo da violenta pleuritide miſta di polmonea , che molto fece temere di ſua vita , ma coll' ajuto di ſei ſanguigne , in cui ſe gli traſſero circa ſei libre di ſangue , al quinto , o ſeſto dì ſi riebbe . Si riebbe diſſi , non però così bene , che poteſſe dirſi perfettamente riſtabilito . Ora dolevaſi della teſta , ora della gola . Quando era travagliato dalla toſſe , quando da certi gricciori inſoliti , e tremori , avanzi tutti del male già ſofferto , e preludj d'altro maggiore , che ſovraſtava . Sopra tutto gli era rimaſta tal debolezza , e sfinimento di forze , che ſebben volle rimetterſi agli eſercizj della vita commune , mai non potè ſe non ſtentatamente adempirli . In queſta nojoſa convaleſcenza la durò ſino ai 5. di Febraro , quando talmente ſe gl' incrudì il dolor della teſta , e della gola , che il Sig. Medico Luigi Poli , avendogli trovati aſſai duri i polſi , e riſentiti , di nuovo l' obbligò al letto , e gli fece prontamente cavare dieci once di ſangue . Queſta operazione non produſſe altro effetto , che di fargli maggiormente aggravare il dolor della teſta , e della gola , con l' aggiunta d' una ſtrettezza di petto , e toſſe quaſi continua , e ſecca . Ma ciò che più miſe in apprenſione , la ſera venne egli ſteſſo a confeſſare , che in tutto quel dì non aveva potuto rendere la ſua ordinaria bevanda , che era l' acqua pura , benchè molta ne aveſſe bevuta , e più volte vi ſi foſſe provato , onde diceva di ſoffrire nel baſſo ventre un gran dolore . Per un male , che a un dipreſſo moſtrati avea ſul principio gl' iſteſ-

Digitized by Google

gl' iſteſſi ſintomi, era morto appunto il giorno innanzi un'altro Novizio ſuo compagno, della medeſima età, ma più robuſto, più ſano di lui, in quanto non era punto, com' egli, pregiudicato da anterior malattia. Tanto più dunque era da temerſi, che queſti, tanto più debole, ed infiacchito, doveſſe ſoccombere ad un male di così brutta apparenza. Toſto ſe gli applicarono e fomenti, e lavativi, ma ſenza alcun ſollievo. A qualche ora di notte riuſcì di fargli prendere per bocca qualche riſtoro, che ſi riſtrinſe in un brodo, e ſi laſciò in ripoſo.

Paſſò inquieta la notte, con poche ore di ſonno, ed interrotte. La mattina ſeguente, tornato il Medico, trovò, che il male avea pienamente ſpiegato il ſuo carattere conſiſtente in un'attacco generale di convulſioni. Una di queſte già ſerrata gli aveva ſtrettamente la gola, che più non era capace d'inghiottire nè cibo, nè bevanda d'alcuna ſorte, nè meno una ſtilla d'acqua o d'olio, e a grande ſtento gli permetteva di proferire qualche parola. Siccome poi le convulſioni ſtendevanſi a tutti i muſcoli, gli cagionavano acerbo ſtiramento, e dolore nella teſta, nel collo, nelle maſcelle, nelle braccia, nelle mani, nelle gambe, e ne' piedi. Per l'iſteſſa cagione erano già più di 24. ore, che non paſſava il bevuto umore, e riſentiva nella regione inferiore del ventre più che mai intenſo lo ſpaſimo. Talvolta appariva irrigidito in tutto il corpo, con diſtenſione di gambe, e braccia; tal'altra volta balzava con impeto, contorcevaſi, ed era coſtretto a violentiſſimi moti, talche era neceſſaria l'aſſiſtenza di due robuſte perſone per trattenerlo, che non ſaltaſſe dal letto, o non andaſſe a dar di capo nel muro. Orribile ſopratutto, e compaſſionevole era la convulſione degli occhi, che lo coſtringeva a ſtravolgerli, e girarli continuamente in ſtrane guiſe, ſenza punto diſtinguere gli oggetti ancor più vicini, nè alcuna delle perſone che gli parlavano, ſe non al ſuono della voce. E' però oſſervabile, che non vedendo, come ſi è detto, alcuno de' tanti oggetti che gli venivano avanti, ſempre vide, e chiaramente diſtinſe una divota Immagine, che gli davano a baciare, rappreſentante il Divin Salvatore, che moſtra il ſuo ſacrato Cuore tutto circondato di fiamme, e benchè altre ſacre Immagini ſe gli daſſero di tanto in tanto a baciare, niun'altra mai vide fuori di queſta. Ma ciò ſia detto così di paſſaggio.

Tale era lo ſtato del noſtro Infermo la mattina de' 6. Febraro, e tale conſervoſſi ſenza mai rallentare per trè interiſſimi giorni, coll'aggiunta di più d'un delirio, e vaniloquio continuo, di modo che atteſta egli ſteſſo;

ſteſſo, che in tutto queſto frattempo mai non s'accorſe di ciò ch'egli faceſſe; nè di ciò che ſi fece intorno a lui. E' inutile ora il dire quanti rimedj ſi adoperaſſero per raffrenare la violenza di sì grave infermità. Preſedevano alla cura due valentiſſimi Profeſſori, il Poli ſoprannominato, e Monſignor Zannettini Medico di Sua Santità. Venivano entrambi più volte il giorno a viſitarlo, tutto ſi ordinava di concerto frà loro. Furono replicate le ſanguigne, che in breve ſpazio arrivarono ſino a cinque. Se gli applicarono le mignatte alle tempia, e poi le coppe a taglio, e ſenapiſmi a piedi, olio caldo alla nuca, fomenti, lavativi, e più volte ſi cercò d'ajutarlo coll'uſo della ſiringa. Ma tutto indarno quanto al mitigarſi la forza delle convulſioni, ſebbene ſi otteneſſe per l'una e per l'altra via qualche piccolo ſgravio. Solamente la notte degli otto entrando i nove del meſe, gli ceſsò il delirio, onde potè confeſſarſi. E conſiderandoſi che un corpo, per tante cavate di ſangue, e per lo sbattimento continuo delle convulſioni tanto indebolito, e già da trè giorni mancante affatto di nutrimento, difficilmente potrebbe reggere più lungo tempo, gli fu prontamente amminiſtrata l'eſtrema Unzione, giacchè per lo ſtringimento invincibile della gola, che nulla ammetteva, nè meno una ſtilla d'acqua, anzi ad ogni leggeriſſimo tentativo maggiormente ſi convelleva, vano era il penſare di poterlo communicare.

La mattina dei 9. ſtando perfettamente in ſe palesò un'ardente brama di ricevere il ſanto Viatico, rimettendoſi per altro al voler di Dio quanto al vivere, o morire. E perciocchè gli venne eſpoſto l'impedimento delle chiuſe fauci, che non permetteva di ſoddisfare il pio ſuo deſiderio, pregò il P. Rettore, che mandaſſe alcuni de' ſuoi Compagni Novizj a fare orazione per lui nelle Cappellette, dove morì il Santo Novizio Stanislao Koſtka, e poi provaſſe a dargli un poco della farina moltiplicata da S. Luigi. Il tutto ſi fece, ma quando ſi venne alla prova di volergli introdurre nella gola un poco d'acqua con entro la prodigioſa farina, immantinente con impeto la rigettò. Egli però non perdendoſi d'animo, con maggior fede pregò che ſi veniſſe ad un nuovo eſperimento. S'inginocchiarono i circoſtanti, e con divota preghiera invocarono l'ajuto di S. Luigi. Indi fu di bel nuovo preſentata all'Infermo in un cucchiarino d'acqua la bramata farina, ed egli con ſomma facilità l'inghiottì. Si provò con un'altro cucchiarino, indi con una tazzetta di brodo, di nuovo con una particola non conſacrata, e tutto felicemente riuſcì;

riuſcì; onde vedendoſi a tante prove, che erano già ſchiuſe le vie della gola, ſe gli diede finalmente con ſua ſomma conſolazione il ſanto Viatico. Calmarono allora le convulſioni. Nel reſtante del giorno rimaſe ſempre preſente a ſe, e potè di quando in quando prendere qualche piccola tazza di brodo. Tuttavia il ſuo ſtato era aſſai deplorabile. Non poteva ſoffrire nè la luce viva, nè un rumore alquanto ſenſibile, queſto a cauſa del dolore acutiſſimo di teſta, quella perchè ſe gli riſvegliavano agli occhi le convulſioni. Non diſtingueva alcun' oggetto, fuorchè la detta Immagine del Redentore. Stentava a muover le mani, non che la vita, per le doglie che in ogni parte lo affliggevano. Era tormentato da toſſe continua, e ſecca, da ardentiſſima ſete, e da un calore ecceſſivo nel petto, che egli eſprimeva col nome di fiamma. Nel cuore ancora ſentiva una ſtraordinaria palpitazione, e un dolore acuto nel fianco ſiniſtro. Era in fine sì addolorato, sì fiacco, che non ſenza difficoltà ed incomodo poteva articolare qualche parola, e di più verſo ſera ſe gli ſcoprì un poco di febre. Con tutto ciò avendo cominciato a prendere qualche riſtoro, non già di cibo, ma di bevanda, ſi era concepita qualche ſperanza di poterlo ſalvare.

Ma la ſperanza totalmente ſvanì la mattina de' 10., giorno di Domenica, quando ſi vide che di nuovo, e con più ferocia di prima l'avevano aſſalito le convulſioni con tutti i primieri ſintomi di ſtringimento di gola, ſtravolgimento degli occhi, ſtiramento e tenſione or delle gambe, or delle braccia, impetuoſi ribalzi di tutta la perſona, e coſtante delirio. A queſta viſta i Medici lo diedero per diſperato. Infatti, rinforzando ad ogni momento la veemenza del male, altro indizio ormai non dava di vita, che i ſuddetti moti di convulſione, e qualche confuſa voce di lamento. Nel reſto, fatto già cadaverico il volto, più non parlava, e per quanto ne parve, più non udiva, nè certo dava alcun ſegno di udire chi s'appreſſava a parlargli. Tutto in fine indicava che doveſſe a momenti ſpirare. In tale ſtato ſi mantenne tutta la mattinata, ſempre aſſiſtito da Sacerdoti per ſomminiſtrargli gli eſtremi ſpirituali ajuti. Il Sig. Fulvio Celeſtini ſuo Padre, informato del lagrimevole ſtato del Figlio, non ebbe più cuore di venirlo a vedere, come avea fatto ne' giorni addietro, ma lo pianſe per morto. Tornò a viſitarlo ſu le ore 18. il Medico Poli, e ne partì con poca o niuna ſperanza di ritrovarlo più vivo. E pure, chi mai lo avrebbe creduto? Di lì a pochi momenti egli fu ſano perfettamente, ed in piedi, nè ſolo fuori di let-

di letto ; ma fuori di quella ſtanza , vigoroſo , e robuſto al pari d'ogn' altro ſano . Il che come ſeguiſſe , devo quì eſporre colla maggiore eſattezza .

Alle ore 19. ed un quarto , l' Infermo , che in preſenza d'un Padre, e due Fratelli giaceva immobile, e moribondo , ſi slanciò all' improviſo ſino alla metà del letto , vi reſtò a ſedere in atto di eſtatico , colle palpebre fiſſe verſo un' Immagine di S. Luigi, che gli ſtava di rimpetto appeſa al muro , e di poi per debolezza , cadde ſopra i guanciali , ma inſieme con voce chiara , e con mirabile ſoavità d'eſpreſſione proruppe in queſte parole : *Quanto ſiete mai bello S. Luigi mio! quanto ſiete mai bello!* Da tali parole , e dal modo di pronunziarle , dubitò il Padre di qualche coſa ſuperiore , onde gli ſuggerì , che ſi raccomandaſſe a S. Luigi . Egli di ciò nulla inteſe , come ha poi detto , ma dopo qualche momento , preſo nuovo impeto , ſi rialzò , e portatoſi come prima a ſedere oltre al mezzo del letto , in tono forte , e da tutti inteſo pronunziò queſte altre parole : *Fiat voluntas Dei* . Indi ſi reſtò appoggiato ſu le ſue mani , ſempre a guiſa d'eſtatico , per lo ſpazio di tre in quattro minuti ; ſenza che alcuno de' circoſtanti , che attoniti lo guardavano , ardiſſe ſturbarlo . Si riſcoſſe finalmente , e ripigliato in iſtanti il ſuo color naturale , con aria giuliva , con voce franca , e in atto di giubilante : *Io ſon guarito* , gridò , *io ſon guarito . S. Luigi mi ha riſanato . Io l' ho veduto , mi ha parlato , mi ha fatto la grazia . Più non mi dole la teſta ; nè gola . Non ho più ſtrettezza di petto , nè toſſe , nè doglia di fianco , nè convulſioni : veggo beniſſimo , e diſtinguo tutto . Mi oſſervino , mi taſtino , io ſono perfettamente ſano . Mi diano dunque da veſtire , mi diano da mangiare* . Sorpreſo il Padre , che l' aſſiſteva , per sì inſtantaneo cangiamento di ſcena , e ſopraffatto dalle gran coſe che udiva : Piano , riſpoſe , raccontateci prima che coſa vi è accaduta . Ed egli ſubito preſe a fare il ſeguente racconto , che ha poi ſempre ripetuto nella ſteſſa maniera , e confermato eziandio con giuramento avanti al Giudice Eccleſiaſtico .

Diſſe , che in quella mattina , appunto ſul ripigliarlo le convulſioni , egli avea cominciato a vedere il Ritratto , che gli ſtava innanzi di S. Luigi , non mai veduto da lui in tutto il tempo della malattia , ed avea ſeguitato a vederlo per tutta la mattinata . Che ultimamente l'avea veduto quaſi accenderſi d' improviſo , e riſplendere d' una chiariſſima luce . Che di mezzo quella gran luce ſi era ſpiccato in certo modo , e

O o non

non già di profilo, come ſtava dipinto nel quadro, ma colla faccia a lui rivolta gli era venuto davanti l'amabiliſſimo S. Luigi. E quì, come dentro a parenteſi, ne fece una piccola deſcrizione, dicendo, ch' era veſtito da Geſuita Studente; colla veſte da Collegiale, come lo rappreſenta il baſſo rilievo del ſuo Altare nella Chieſa del Collegio Romano: che portava un Crocifiſſo nella ſiniſtra, ed avea ſgombrata la deſtra; nel reſto poi era sì grazioſo, sì bello, e rilucente, che formava un dolce incanto a' di lui occhi. Indi proſeguì a dire: che il Santo colla deſtra gli avea fatto cenno di accoſtarſi, ed egli allora ſi era slanciato verſo di lui per ſentire quel che voleva: che ricaduto indietro, e ritornato a giacere, non avea laſciato di vederlo, nè avea potuto contenerſi dall' eſclamare: *quanto mai ſiete bello S. Luigi mio!* Che di nuovo il Santo gli avea fatto cenno, ed egli era tornato ad alzarſi: che allora il Santo avea preſo a parlargli così: *Coſa vuoi? la ſanità, o la morte?* Al che egli avea creduto di dover riſpondere, come in fatti avea riſpoſto: *Fiat voluntas Dei*: che a tal riſpoſta il grazioſiſſimo Santo avea replicato in queſta guiſa: *Giacchè in tutta la tua infermità non altro hai deſiderato che di prendere il Santo Viatico, e nel reſto ſei ſtato conformato alla volontà di Dio, il Signore ti concede la vita per mia interceſſione, acciò tu attenda alla perfezione, e in tutto il tempo della tua vita procuri di propagare la divozione al Sacro CUOR di GESU', che è divozione graditiſſima in Cielo.* Che altre coſe gli avea dette il buon Santo, parte di ammaeſtramento, parte di ſua grandiſſima conſolazione, con aſſicurarlo che di tal male non avrebbe patito mai più, e finalmente gli avea ordinato di fare la divozione delle ſei Domeniche in memoria de' ſei anni ch' egli era viſſuto nella Compagnia. Pareva finito quì il racconto, ma il Giovine ſeguitò a dire, che vedendoſi tanto favorito dal ſuo amabiliſſimo Protettore, preſo animo dalla di lui affabilità, ſi era avanzato a ſupplicarlo, che lo voleſſe liberare da un' acutiſſimo dolor di teſta, che attualmente ſoffriva: ed a cui era abitualmente ſoggetto anche in tempo di ſanità. Al che il Santo avea grazioſamente riſpoſto in queſti termini: *Non è volontà di Dio, che tu ne ſia libero affatto. Io per ora te ne libero, ma voglio che ſempre in avvenire te ne riſenta un poco in memoria della Paſſione di GESU' CRISTO, e ad imitazione mia, che quando ero in vita, ſempre ho deſiderato di ſoffrirlo per conformarmi così al mio Signore, che tanto avea patito per me.* Dette le quali parole, ſoggiunſe il Giovine: *Il mio caro S. Luigi,*

S. Luigi , con la man deſtra benedicendomi , mi è ſparito dagli occhi , ed io ſon rimaſto perfettamente ſano .

Narrationi comes acceſſit etiam Imago S. Aloyſii gloria fulgentis per I.A.Faldoni Inc., in qua ſummatim res geſta repetitur.

S. Luigi Gonzaga della Compagnia di Gesù così apparve li 10. Febraro 1765. a Niccolò Celeſtini Novizio in Roma della medeſima Compagnia , e da moribondo che era , perfettamente colla ſua benedizione lo riſanò in un iſtante : e gli raccomandò , che promoveſſe la divozione al Sacro Cuor di Gesù con aſſicurarlo , che queſta è gratiſſima in Cielo .

Quem exitum hæc habuerint, ſequens oſtendit Necrologii particula , unde liquet , Nicolaum Celeſtini quarta die poſt approbationem Decreti valetudini reſtitutum , 4 Idus Febr. an. 1765. annos natum viginti deceſſiſſe Tuſculi 4. Nonas Febr. an. 1768.

Defuncti
E Societate Jeſu
ANNO MDCCLXVIII.

Januario
P. Ignatius Ramon Adiacii 1. Beticæ .
. . . .
Februario
NICOLAUS ALOYSIUS CELESTINI TUSCULI 2. *ROMAN.*
. . . .



II.

INTER MEMORIAS VITÆ

BON. MEM. REVERENDISSIMI

JUSTI FONTANINI

ARCHIEPISCOPI ANCYRANI

Venetiis impreſſas Anno 1755.

Hæc habentur par. 2. pag. 104. & ſeqq.

NEL meſe di Giugno dell' anno 1728. comparve un groſſo Libro, intitolato *Novæ obſervationes*, per ottenere l' Uffizio, e la Meſſa *del Cuor di Gesù*, e Monſignor Arciveſcovo rifflettendo alla improprietà della domanda, vi fece alcune Note, e ſono

Note ſopra le nuove Oſſervazioni per ottenere l' Uffizio, e la Meſſa del Cuor di Gesù.

Quando le Sacre Congregazioni degli Eminentiſſimi Cardinali, rappreſentanti col Sommo Pontefice la Chieſa Romana; e deſtinate dal medeſimo a diſcutere le coſe appartenenti alla Religione, non vogliono eſaudire tal volta le private iſtanze de' particolari, è ſegno manifeſto, che non le trovano ben fondate, ma piuttoſto provenienti dall' amore delle proprie opinioni, che dalla ſoda premura della comune edificazione, la quale è aſſai più conoſciuta dal Corpo delle medeſime Sacre Congregazioni, che da qualunque perſona particolare. Però ſarebbe ſempre deſiderabile, che quando eſſe rigettano qualche iſtanza, ognuno con la dovuta umiltà prontamente ſi ritiraſſe dall' inſiſtere di nuovo, riflettendo, che Dio muove gli animi de' Supremi Giudici a rigettare, e non ammettere le medeſime iſtanze.

La Sacra Congregazione de' Riti non avendo voluto, con ſomma gravità, e giuſtizia, conceder l' Uffizio, e la Meſſa *del Cuor di Gesù*, ſi torna di nuovo ad inſiſtere, per ottenere la conceſſione, e con un groſſo Libro, intitolato, *Novæ Obſervationes*, ſi crede di vincer gli animi

mi degli Eminentiſſimi Giudici, benchè il Libro non contenga ragioni, che poſſano vincergli. Noteremo quì alcune coſe per amore della verità, e non per genio di contradire.

La Santa Romana Chieſa non concede mai l'Uffizio, e la Meſſa ſopra coſe *ideali*, ſiccome *il Cuor di Gesù* così in aſtratto è indubitatamente coſa *ideale*, perchè non ſi trova, nè mai ſi è trovato diſgiunto, e ſeparato dal ſuo Santiſſimo Corpo. Quindi è che tal coſa eſſendo indubitatiſſima, non ſi arriva a comprendere, perchè ſi voglia idealmente ſepararlo dal reſto del Corpo di Gesù Criſto, per dargli così a parte un culto particolare, diverſo da quello, che in tutta la Chieſa Cattolica ſi dà *a tutto il Corpo reale* di Noſtro Signor Gesù Criſto. Queſte diſtinzioni, e preciſioni immaginarie in coſe di tanta importanza ſono ſtate affatto incognite, e inudite nella Chieſa Cattolica per lo ſpazio di mille ſettecento e più anni, e biſogna guardarſi dall'introdurle: perchè poſſono tirar ſeco una catena d'inconvenienti. Nei Libri aſcetici, e miſtici ſi trovano moltiſſime coſe ſtrane, benchè pie, le quali però la Chieſa non vuole adottare, nè proporre *al corpo univerſale* della medeſima, ma ſtima bene di laſciarle nel loro eſſere, o per dir meglio, le diſſimula. Queſta ideale petizione di aver l'Uffizio, e la Meſſa del Cuor di Gesù, è una coſa modernamente prodotta dagli aſcetici, e miſtici, le meditazioni de' quali non pare, che debbano farſi publici Dogmi, e impegni della Chieſa, la quale ha già fiſſate, e ſtabilite le ſue regole in materia di Religione, e di culti pubblici.

Se ſi concede l'Uffizio, e la Meſſa ſopra queſta coſa *ideale del Cuor di Gesù*, ſi mette in conſiderazione, che i Cattolici, e forſe anche altre Perſone, potranno dire, perchè non baſta l'Uffizio, e la Meſſa *del Corpo di Gesù*, e anche del Santiſſimo *Nome di Gesù*? I Sacerdoti non ſacrificano, ed eſpongono ogni giorno ſull'Altare *il vero*, *e real Corpo di Gesù* col Cuore, e con tutte le ſue Membra ſantiſſime? Ora perchè ſi ha da levar via con ſeparazione *ideale* il ſuo Cuore per adorarlo a parte? Queſto Cuore di Gesù dove ſi trova ſeparato dal ſuo Corpo? Non certo in Cielo, nè in Terra, e perchè ha d'avere un culto ſeparato da quello, che ha tutto il Corpo reale di Gesù Criſto? Forſe è più eccellente, è più divino il ſuo Cuore, che non è il reſto di tutto il Corpo? Il Corpo di Criſto non ſi divide, nè può dividerſi.

Se ſi comincia a dare orecchio a queſti penſieri *aſcetici*, *e miſtici*, la Santa Sede verrà continuamente inquietata dalla pietà particola-

re,

Digitized by Google

re, e privata di tali divote Perſone, le quali infiammate, ed acceſe nelle loro pie meditazioni, cercano ſempre di amplificarle negli altri, e renderle impegno pubblico della Chieſa. Per eſempio ſe ſi concede l'Uffizio, e la Meſſa *del Cuor di Gesù*, verrà un'altro a dimandar l'Uffizio, e la Meſſa della Piaga, che fece la lancia nel Cuor di Gesù, di che ſi parla nella Scrittura ſtampata pag. 38. E perchè nella medeſima Scrittura pag. 36. ſi parla pure dell'eccellenza del Cuor di Gesù, verrà un'altro a dimandar l'Uffizio, e la Meſſa *dell'eccellenza* del Cuor di *Gesù*. Molti Scrittori miſtici, addotti nella medeſima Scrittura parlano *delle fiamme*, e *dell'ardore* del Cuor di Gesù; onde verrà un'altro a ſeparare anche queſto ardore, e a dimandar l'Uffizio, e la Meſſa del medeſimo; e così non ſi farà altro, che paſſare da coſe aſtratte in aſtratte, allontanandoſi dal primo fonte, che è il Corpo, e il Sangue del N. Sig. Gesù Criſto.

Si dimanda, ſe, concedendoſi l'uffizio, e la Meſſa *del Cuor di Gesù*, non dovrà ſimilmente concederſi l'Uffizio, e la Meſſa della *Bocca* di Gesù, la quale ci predicò la ſalute eterna con le ſue ſantiſſime parole, e alla quale fu appreſtato l'aceto, e il vino mirrato? Certamente la ſua ſantiſſima Bocca non merita minor culto del Cuore. Perchè non dovrà concederſi l'Uffizio, e la Meſſa del ſantiſſimo *Volto* di Gesù, del quale fu detto, che era *Specioſus forma præ Filiis hominum*, che fu lordato di ſputo dagli empj Giudei, e ſchiaffeggiato indegnamente dai medeſimi? Perchè non dovrà concederſi l'Uffizio, e la Meſſa della *Teſta* di Gesù, che fu percoſſa colle canne, e coronata di pungenti ſpine? Perchè ſi dovrà negare l'Uffizio, e la Meſſa de' ſuoi ſantiſſimi *Piedi*, e delle *Mani*, non meno eccellenti del Cuore, e della Bocca, del Volto, e della Teſta del Noſtro Signor Gesù Criſto.

In principio della Scrittura ſi porta una Lettera del Re di Spagna, che dimanda tal coſa. Ma a tutti è noto, che queſta Lettera è procurata da chi fa l'iſtanza; e che ſimili coſe facilmente ſi ottengono nelle Segreterie de' Principi. Alla pag. 3. ſi fa una liſta di molti Brevi d'Indulgenze, conceduti a Confraternite *del Cuor di Gesù* ne' due anni paſſati 1726., 1727. Ma ſi vede, che tutti queſti Brevi ſono (a) artificioſamente procurati

(a) Locum hunc Cl. *Fontanini* ſupra deſcripſimus in *Nota* ad *cap. 69. pag.* 268. ne qua ratio habenda videatur de *millenis Indulgentiarum Brevibus*, quæ ſæpius obtenta fuerunt, ſuppreſſo tamen cordis nomine, pro ſexta feria poſt Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in qua novum Feſtum celebratur inſcriptum titulo *Cordis Jeſu*. Id genus Brevia non amplius jam, aut certe difficilius conceduntur; ſi quæ vero poſtulentur pro cultu *Mariani cordis*, abſolute negantur. *Cordicolæ* tamen non deſpon-

rati dopo l'iſtanze principiate a farſi per averne l'Uffizio, e la Meſſa, e ciò ad effetto di far caſo con queſti Brevi. Il medeſimo ſi afferma delle rame Con-

deſpondentes animis acuerunt ingenium, plaſque, dum ita appellare liceat, excogitarunt artes atque fallacias, quibus ſaluberrima iſta ac ſacratiſſima conſilia facile eluderent. Eſt Apoſtolicæ Sedi in more poſitum, ut Indulgentias impertiatur, quas vocant in articulo mortis, ſacris affixas numiſmatibus, vulgo *Medaglie*. Hæc autem numiſmata quum harum Indulgentiarum gratia benedicenda deferuntur ad Sacrum Palatium Apoſtolicum, chartaceis involucris clauſa, aliiſve velaminibus tecta oculis ſiſtantur Summi Pontificis, ſic vota ſua nullo negocio ad optatum perduxerunt exitum: & quidem more ſolemni, omniumque celeberrimo. Heſterno namque die, tertio nempe menſis Maii currentis anni 1771. SS. Cruci ſacro, hujuſmodi numiſmatum plura millia diſtribui curarunt ingenti Fidelium multitudini, quæ ad Euchariſticam Communionem participandam confluxit in *generali ſynaxi* eo die ad Amphitheatrum Flavium indicta. Eorum numiſmatum forma ſic erat. Eminebat in antica ejuſdem SS. Crucis imago; ad ima illius latera inſculpta viſebantur *corda duo*, alterum in dextro, quod erat *Jeſu*, alterum vero *Mariæ* in ſiniſtro latere. Medium, infimumque ſpatium implebat ſtemma gentilitium Bened. XIV. cum ſubjecta epigraphe: BENEDICTO XIV. FUNDATORE. In poſtica ſublimis ſpectabatur imago *Æterni Patris*, qui *Spiritum Sanctum* ſub forma columbæ in ſinu gerebat, infra vero orbiculus Euchariſtici Panis ſupra Calicem penſilis. In menſa Calicem ſuſtentante inſcriptio erat: CLEMENTE XIV. PROTECTORE. In perigraphe vero hæc legebantur; SE DEDIT IN CIBUM IN AMPHITHEATRO FLAVIO.

En ſagax Cordicolarum inventum, quo cultus cordis carnalis tum Chriſti, tum etiam SS. Matris ejus Mariæ, ad captandam auctoritatis auram contra voluntatem Eccleſiæ, millenis fruſtra prædicatur, locupletatus Indulgentiis, iiſque non equidem impetratis *in forma Brevis*, quod inſolens & vetitum eſt, ſed arte, & ſubdole extortis in forma *numiſmatum*; quæ certe neque a Benedicto, neque vero a Clemente XIV. tantæ ſapientiæ Pontifice, aut probata ſunt, aut probari potuerunt unquam. Quis enim ſibi ſuadeat Bened. XIV. tamquam *Fundatorem* ſacrarum illarum Ædicularum, quæ in Romano Amphitheatro ad *Crucis Chriſti* myſteria unice recolenda erectæ ab eo fuerunt, cultum etiam cordis carnalis Matris Mariæ, ejuſque Filii ſub iſtius inſtituti prætextu ultro ingerere, & contrudere voluiſſe? Ab hujus enim cultus novitate nemo magis, quam *Benedictus* alienus fuit. An vero credibile ſit *Clementem Protectorem* approbare velle quod *Bened. Fundator* perpetuo improbavit? Falluntur, ſi hoc credunt, *Cordicolæ* conjectores. Nam ne illam quidem SS. Trinitatis Imaginem, quam paullo ante in eo anaglyptico metallo deſcribendo dedimus, acceptam habere poterit. Nova & ipſa eſt, nec inter approbatas locum habet. *Imagines* enim Triadis SS., *quæ ab Eccleſia approbantur, ſunt illæ, quæ Deum Patrem repræſentant forma Senis, in cujus ſinu eſt Chriſtus, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma columbæ; vel illæ in quibus repræſentantur ſeorſum, Deus Pater forma ſenis, ſeorſum Chriſtus, ſed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus forma columbæ*, ſcribit laud. Pont. Bened. XIV. *lib. 4. de Canoniz. Sanctorum p. 2. c. 21. num. 3.*

Sed perge mecum reliqua intueri, quæ illo eodem die in ſpectaculum data ſunt in Amphitheatro Flavii. Ad baſim Magnæ *CRUCIS* in ejuſdem Amphitheatri centro erectæ ſuſpenſa viſebatur *Tabula picta*, in qua nova ac portentoſa quadam fingendi licentia, Chriſtus Dominus repræſentabatur, qui nudato pectore ex cordis ſui vulnere Euchariſticarum particularum effluvium emittebat. Ex his effluentibus particulis alteram dextera exceptam in os *Sanctimonialis* cujuſdam, quam ego Ven. *Margaritam Alacoque* interpretor, ingerebat. Hæc ſane Chriſti actio Sacramentum educens ex *corde*, illudque porrigens, & adminiſtrans principi Cordicolarum Magiſtræ; ne *Sacramentum ipſum Corporis Chriſti abbreviare putetur in corde*, opus eſt, ut novo ſenſu, hoc eſt contra propriam ſignificandi vim, inſcriptum tacite præſeferat: *Quod*

Digitized by Google

Confraternite erette di quà, e di là ſopra *il Cuor di Gesù*, eſſendo ſtato facilissimo alla Religione del Poſtulatore, diffuſa da per tutto, il farle ſubito iſtituire in tutte le parti. Pag. 21. non biſogna confondere *la Croce*, e le veſtimenta di Gesù Criſto con l' *ideale* ſeparazione del ſuo Cuore; perchè è coſa chiara, che il culto, che ſi dà alla *Croce*, alla *Sindone*, ed altre coſe ſimili, non è culto, che ſi dà a coſe *ideali*, ma reali, ed eſiſtenti, e la Chieſa non fà corpo di coſe ideali per dargli culto ſeparato, proponendolo poſciă a tutta la Chieſa. Pag. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. le coſe, che ſi dicono dell' *eccellenza* del cuore umano, ſono tutte in aſtratto, nè ſervono a niente in queſte materie. Pag. 40. il medeſimo ſi dice delle autorità miſtiche, e aſcetiche quivi portate, e nelle pagine ſeguenti. Dopo la pagina 51. ſi vanno ſpezzatamente adducendo le dotte, e gravi Cenſure di Monſignor Promotore della Fede, con certe riſpoſte di mano in mano ſoggiunte. Ma ſarebbe ſtato meglio di ſtendere le dette Cenſure ſeguentemente, perchè ſi vedeſſe la forza loro tutta inſieme, ſenza imbrogliarle con le riſpoſte, le quali per verità ſono tutte deboliſſime, anzi ſofiſtiche, e falſe.

Tali ſono le autorità aſcetiche ſopra il *Cuore*, infilzate dopo la pagina 16. la maggior parte delle quali autorità parlano del cuore particolare delle ſteſſe Perſone aſcetiche, e non già di quel di Gesù. Queſte poche, e ſemplici conſiderazioni perſuadono a baſtanza non doverſi a verun patto concedere l' Uffizio, e la Meſſa in aſtratto ſopra l' *ideale* Cuor di Gesù; e che in materie sì delicate la Santa Romana Chieſa, Maeſtra di tutte le altre, dove ſono le accennate Confraternite, ha ſempre coſtumato di guardarſi dalle novità benchè pie. Non è mal fatto di ſoggiungere in queſto luogo, come in tempo, che il Cardinal Tanara era Nunzio Apoſtolico in Vienna, fu introdotta in quelle parti una certa nuova divozione, chiamata *del ſeno di Maria*, per accender la quale nei Popoli, ſi rappreſentava una donna ignuda fino al ventre, la quale ſi apriva il ſeno con le mani, e dentro dell' utero ſi vedeva il *Bambino Gesù*. Cercò il zelo fondato del Nunzio Apoſtolico di eſtirpare una divozione sì ſtrana, e riuſcigli felicemente, mediante ancora il braccio della Corte Imperiale. Il proceſſo allora fatto ſopra queſta pietà ſtravagante è facile a ritrovarſi

Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides præter rerum ordinem. Secundum enim ordinem rerum ſacramentalis Chriſti actio ſic expreſſa, non jam Domini Corpus integrum offerre videtur in cibum, ſed CORDIS EJUS PARTICULAM: ut verbis utar Scripturæ Sanctæ ex lib. *Tobiæ c.6.v.8.* Sed vide quæ de hac re graviſſima eaque periculoſiſſima tetigi in *Diſſertationis* meæ *capite* 34. *pag.* 70. *& ſeq.*

varſi in Segretaria di Stato tra le Scritture della Nunziatura di Vienna, ed ivi ancora ſi può vedere di qual Religione fu l' inventore di sì fatta divozione, la quale ha qualche aria di queſta del *Cuor di Gesù*. Già anni fu una Perſona divota, e poco fa morta, la quale ſparſe un' altra divozione, e nuovo genere di pietà ſopra gli *occhi di Gesù*, e ne fece intagliare in rame in più guiſe, ſtampando anche poemi ſopra i medeſimi *occhi di Gesù*. Ora ſi dimanda, per qual cagione non dovrà concederſi l'Uffizio, e la Meſſa anche degli *occhi di Gesù*, concedendoſi quello del *Cuor di Gesù*? I noſtri antichi Padri ci hanno laſciate le regole ſode, e ſicure da venerare, e glorificare la Maeſtà Divina e Criſto Signor Noſtro, onde biſogna andar cauti, e guardinghi in allontanarſi da queſte regole. Si torna a replicare un' aſſioma di Fede, ed è che il Corpo di Criſto, cioè Criſto ſteſſo, non ſi divide, nè può dividerſi: *Non conciſus, non confractus, non diviſus, integer accipitur*. E ſi ha da ſentire chi pretende con pubbliche ſtampe, che *ſi divida*, e che la Santa Sede conceda l'Uffizio, e la Meſſa per tal divozione, cioè ſopra il *Cuor di Gesù*, diviſo, e ſeparato del ſuo Santiſſimo Corpo? Gesù Criſto *integer colitur*, nè in Lui può dividerſi il ſuo Cuore dal tutto, nè in idea, nè in realtà, ma *integer colendus eſt*.

Hactenus graviſſimum Fontanini Judicium, cui ſtatim filius fratris Operis compilator hæc addidit.

Tali ragioni ben ponderate da chi ſi doveva, ebbero il ſuo effetto; ma ſiccome le coſe col girare de' tempi ſogliono per lo più porſi in oblìo, nè ogni giorno naſcono di quelle Perſone, che per fare il proprio dovere mettono in non cale gli umani riſpetti, così mancato il Fontanini, uſcirono di bel nuovo in campo le medeſime iſtanze per ottener l' Uffizio, e la Meſſa del *Cuor di Gesù*.

Digitized by Google

III.

INTER OPERA

SANCTÆ MEMORIÆ

BENEDICTI XIV.

De Canonizat. lib. IV. par. 2. cap. 31. num. 19. & ſeqq.

Typis Nicolai, & Marci Palearinorum fratrum ann. 1749.

De Officio in honorem

PLAGARUM CHRITI DOMINI,

Et de aliis Officio, & Miſſa petitis in honorem

SANCTISSIMI CORDIS JESU.

APud Joannem legimus, Chriſtum Diſcipulos foribus clauſis adiiſſe, & Thomæ, qui tunc præſens erat, vulnera tractanda obtuliſſe, ut noſtram fidem roboraret: quapropter S. Leo *Serm. 61. de Aſcenſione primo cap. 3.* inquit: *Ad ſananda infidelium cordium vulnera, clavorum & lanceæ erant ſervata veſtigia, ut non dubia fide, ſed conſtantiſſima ſcientia teneretur, eam naturam in Dei Patris conſeſſuram throno quæ jacuerat in ſepulcro.* De Officio vero Plagarum Jeſu Chriſti hæc habentur apud Guyet. *De Feſt. propr. Sanctor. lib. 1. cap. 6. quæſt. 12. De quinque Plagis hic etiam ex occaſione quærendum, in quarum venerationem licet Feſtum ſolemne in pleriſque Eccleſiis inſtitutum ſit, nullam tamen animadverti hactenus hoc titulo dicatam Eccleſiam. Quod ſi qua forte ſit, non more Reliquiarum id accipiendum, ſed myſterii, prout quæſt. 9. explicatum fuit. Ipſa enim vulnera a Corpore Chriſti ſeparari haud quaquam poſſunt, ſicut poteſt ſanguis relictus, aut pars aliqua carnis; cum nihil ſint aliud, quam ipſummet corpus certis in locis ex disjunctione carnis apertum.* Ab exemplis itaque conceſſionis hujus Officii Plagarum, & aliorum in honorem inſtrumentorum Dominicæ Paſſionis, orta eſt in Sacrorum Rituum Congregatione

tione Anno 1697. petitio inſtitutionis Feſti cum Miſſa propria in honorem Sanctiſſimi Cordis Domini Noſtri Jeſu Chriſti pro Eccleſiis Monialium Viſitationis Beatiſſimæ Virginis, poſtulante Maria Angliæ Regina de Catholica Religione optime merita. Frigdianus Caſtagnorius in ſua Scriptura Typis impreſſa multa collegit petitioni favorabilia argumenta, inter quæ præcipuum erat illud, quod Sanctimoniales Viſitationis pio ſane affectu erga Cor Jeſu ferebantur, juxta præſcripta ab earum Inſtitutore S. Franciſco Saleſio, uti habetur *lib.* 4. *Epiſt.* 64., *Epiſt.* 71., *Epiſt.* 101. *lib.* 6., *Epiſt.* 62. *lib.* 7., *Epiſt.* 6., *&* *Epiſt.* 61. ejuſdem Sancti. Proſper autem Bottinius Archiepiſcopus Myrenſis tum Fidei Promotor oppoſuit novitatem Feſti adverſantem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. Quare tunc a Sacra Congregatione prodiit hoc Decretum

GEBENNEN.

Inſtitutionis Feſti cum Miſſa propria in honorem Sanctiſſimi Cordis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, referente Eminentiſſimo de Janſon. Concedatur Miſſa quinque Vulnerum Chriſti pro feria ſexta immediate poſt Octavam Corporis Chriſti. Pro Monialibus totius Ordinis Viſitationis die 30. *Martii* 1697.

ORDINIS MONIALIUM VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS GALLIARUM.

Sacra Rituum Congregatio ad ſupplices preces Sereniſſimæ Mariæ Angliæ Reginæ Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectas, eidem Sacræ Rituum Congregationi remiſſas, & ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali de Janſon. relatas, Monialibus Viſitationis Beatiſſimæ Virginis ſub Inſtituto S. Franciſci Saleſii militantibus benigne indulſit, atque conceſſit, ut in earumdem Eccleſiis quotannis feria ſexta immediate poſt Octavam Auguſtiſſimi Corporis Chriſti Sacerdotibus tam inſervientibus eiſdem Eccleſiis, quam exteris ad eaſdem tali die confluentibus, liceat Miſſas quinque Vulnerum Jeſu Chriſti celebrare, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro videbitur: Die 30. *Martii* 1697. *Facta igitur deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit: Die* 3. *Aprilis ejuſdem Anni* 1697.

 Poſt

Poſt decurſum tamen aliquorum Annorum Sereniſſimus Rex Poloniæ, Epiſcopi Cracovienſis, & Maſſilienſis, Monialeſque ejuſdem Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis ferventiores Sanctæ Sedi exhibuerunt ſupplicationes pro conceſſione Officii, & Miſſæ propriæ in honorem Sanctiſſimi Cordis Jeſu. Poſtulator hujus conceſſionis fuit Joſeph de Galliffet Sacerdos Societatis Jeſu, qui Typis Romanis Anno 1726. Librum edidit: *De Cultu Sacroſancti Cordis Dei, ac Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Scripturæ pariter Sacræ Congregationi diſtributæ ſunt omnibus numeris abſolutæ, & circiter ea tempora, hoc eſt Anno 1729. prodiit Typis Pariſienſibus *Vita Venerabilis Matris Margaritæ Alacoque Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis* mortuæ Anno 1690. eleganter ſcripta ab erudito Viro Joanne Joſeph Languet Epiſcopo Sueſſionenſi: revelatum quippe dicebatur eidem Venerabili Matri, divinæ voluntatis eſſe inſtitutionem Feſti in honorem Cordis Jeſu.

Et quidem, ut petitionis vis, & ratio clare perciperetur, tum in Opere Typis impreſſo Patris Galliffet, tum in Scripturis Sacræ Congregationi exhibitis expoſitum fuit, rationem Feſti hujus, pro quo ſupplicabatur, non conſiſtere in Sacratiſſimo Corde Jeſu, ipſo per ſe nude, ut loquuntur, & ſolitarie ſumpto, ſed in Corde Jeſu Humanitati Sacroſanctæ, ſive Divino Corpori unito, & conſequenter uti rem unam cum Anima, & Divina Perſona conſtituente, ac uti naturali Sede, veroque ſenſibili *comprincipio*, ut vocant, virtutum omnium, & affectionum interiorum Chriſti Domini, & ſignanter immenſi amoris, quo Patrem, & homines proſecutus eſt, ac denique uti centro dolorum omnium interiorum amantiſſimi Redemptoris, præcipuoque loco vulneris lancea inflicti. Una etenim eademque adoratione adoranda eſt Divinitas Chriſti, & ejus Humanitas, juxta doctrinam D. Thomæ 3. *p. q.* 25. *art.* 1. Quocirca idem Sanctus Doctor in Officio, quod compoſuit *pro Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti*, ne putaretur cultus dirigi ad Corpus Chriſti præciſe ſumptum, his verbis uſus eſt in *Invitatorio*, in quo præſertim proponitur intentio Eccleſiæ: *Chriſtum Regem adoremus dominantem gentibus, qui ſe manducantibus dat ſpiritus pinguedinem*.

Item celebre eſt nomen inter Evangelicos Concionatores Claudii la Colombiere e Societate Jeſu. In Codice autem, in quem *Cæleſtes illuſtrationes* referre ſolebat ſibi a Patre luminum immiſſas, eo maxime tempore, quo exercitiis ſpiritualibus juxta morem Societatis operam dabat, ſcripta ejus manu inventa ſunt hæc verba ſibi relata a Venerabili Mar-

Margarita, quæ ei, ut ſcriberentur, demandavit: *Retulit itaque hæc Dei Serva, ſe die quadam infra Octavam Corporis Chriſti, cum orationi coram Sanctiſſimo Sacramento vacaret, cæleſtibus gratiis a Domino ſupra modum repletam fuiſſe, & Chriſtum Dominum ſibi hæc verba dixiſſe: A te requiro, ut feria ſexta, quæ poſt Octavam Feſti Corporis mei proxima ſequitur, Cordi meo colendo peculiariter ſit dicata, qua die ad ſacram Menſam accedendo, injuriæ Cordi meo in Altaris myſterio inflictæ, eo maxime tempore, quo palam venerationi expoſitus ſum, violati honoris reparatione ſarciantur. Et quidem ſpondeo, eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipſius Divini Cordis influxu cæleſtium gratiarum copia fore cumulandos.*

Alia adhuc ſibi expoſita a Venerabili Sorore recenſuit Sacerdos Claudius in ſua illa *Narratione*; eam videlicet ſe peccatricem confeſſam fuiſſe, ideoque ineptam, quæ eſſet adjutrix Conſiliorum Divinorum; tum Chriſtum reſpondiſſe, ſe infirma mundi eligere ſolitum, ut fortia confunderet, & ſuæ eſſe Sapientiæ imbecilles homines in Conſiliis exequendis adhibere, ut nimirum, cum ipſi ſibi nihil adſcribere poſſint, potentia ſua glorioſius manifeſtetur. Multa ſcilicet fuerunt allata pro comprobanda ſanctitate vitæ Sororis Margaritæ. Catalogus etiam productus eſt Regnorum, Provinciarum, Diœceſium, Eccleſiarum Secularium, Ordinum Religioſorum tum Virorum, tum Mulierum, piarumque Sodalitatum, in quibus cultus Cordis Dei ſolemniter exhibetur. Denique mirum eſt, qua diligentia Patrum, & Theologorum dicta cultui Cordis Jeſu faventia, fuerint tum in opere Patris Galliffet, tum in Scripturis Poſtulatorum fideliter enarrata; atque ideo, quod attinet ad inſtitutionem Feſti, maxima vis conſtituta fuit in inſtitutione Feſti Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quæ originem ſuam habuiſſe dicebatur a revelatione facta in Civitate Leodienſi Beatæ Julianæ Virgini, cujus Feſtum celebratur *die 5. Aprilis*, quemadmodum fuſe exponunt Bollandiani *in Actis Sanctorum ad dictam diem, in Vita prædicta Beatæ Julianæ*.

Renovata itaque majori conatu inſtantia conceſſionis Officii, & Miſſæ Sanctiſſimi Cordis Jeſu, dum ipſe munere fungebar Fidei Promotoris, oppoſui auctoritatem Sancti Bernardi *Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes*, qui Feſtum celebrare incœperant Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis; Etenim, licet Sanctus id improbet, eo quod novi hujus Feſti celebratio fieret, inconſulta Sede Apoſtolica: *Nam, ſi ſic videbatur, conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter*,

ter, atque inconſultę paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum. Non omittit tamen vim conſtituere in ipſius etiam Feſti novitate. *Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? Periculoſe præſumimus quidquid ipſorum in talibus prudentia præterivit; nec vero id tale eſt, quod, niſi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriiſſe.* Animadverti cum eodem Sancto Bernardo *loc. cit.* in Feſti inſtitutione ſedulo examinandum eſſe, an ex ea deduci poſſit conſequentia ad aliorum Feſtorum inſtitutionem; admiſſa quippe conſequentia, praxis Eccleſiæ eſt, ut ab inſtitutione Feſti abſtineatur: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Ut honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorandum præivit partum; quoniam ſi ille non præceſſiſſet, nec iſte eſſet, qui honoratur. Quid ſi alius propter eamdem cauſam etiam utrique Parenti ejus Feſtos honores aſſerat deferendos? Sed de Avis, & Proavis id ipſum poſſet pro ſimili cauſa quilibet flagitare; & ſic tenderetur in infinitum, & Feſtorum non eſſet numerus. Patria eſt, non exilii frequentia hæc gaudiorum; & numeroſitas Feſtivitatum Cives decet, non exules.* Et profecto, cum ex conceſsione Officii, & Miſſæ in honorem Cordis Jeſu, conſimiles inſtantiæ tractu temporis promoveri poſſent in honorem ſanctiſsimi Lateris ipſius, ſanctorum Oculorum, ſanctiſsimæ Linguæ, nec non in honorem Cordis Beatiſsimæ Mariæ Virginis &c. abſtinendum idcirco a petita Feſti inſtitutione dixi. Nec ad rem, de qua agimus, ſatis eſſe dixi poſitam revelationem factam Ven. Margaritæ, quemadmodum bene proſequitur S. Bernardus *in Epiſt. cit.: Sed profertur ſcriptum ſupernæ, ut ajunt, revelationis. Quaſi & quivis non queat ſcriptum æque producere, in quo Virgo videatur id ipſum mandare & de Parentibus ſuis, juxta Domini mandatum dicentis. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Ipſe mihi facile perſuadeo, ſcriptis talibus non moveri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa invenitur favere auctoritas.* Quia vero a Poſtulatoribus argumentum deſumebatur ex inſtitutione Feſti in honorem ſanctiſſimi Corporis Chriſti, ſubjeci, eam utique inſtitutionem cauſam ſuam deſumpſiſſe a revelatione facta Beatæ Julianæ de Monte Cornelione; ſed revelationem ipſam examinatam fuiſſe a Roberto Epiſcopo Leodienſi, & aliis Epiſcopis, atque Eccleſiaſticis Doctoribus: rurſus, Urbanum IV. tunc Archidiaconum Leodienſem, deinde evectum ad Summum Pontificatum, noluiſſe aſſenſum præbere extenſioni Feſti ad univerſam Eccleſiam, niſi poſtquam novo miraculo edoctus cognovit, Divinæ id volun-

tatis

tatis eſſe. Cum etenim Urbanus degeret in Civitate Urbevetana, ut impetum Saracenorum evaderet, quos Manfredus Siciliæ Tyrannus in Italiam evocaverat, contigit, ut incredulo Sacerdote Miſſam celebrante in Eccleſia Vulſinii Urbevetanæ Diœceſis, Hoſtia appareret oculis ipſis vera caro, roſeo cruore reſperſa, ea tantum excepta particula, quæ Sacerdotis digitis tangebatur; vitta autem lintea, quæ ad reverentiam Calici erat impoſita, ex Sanguinis effuſione madefacta eſt; ita ut Sacerdote ſtudente cooperire *Corporale*, dextera autem Domini faciente virtutem, ſingulæ guttæ Sanguinis ex vitta ipſa manantes, & in Corporale fluentes, ſingulas figuras in ſimilitudinem hominis in eo impreſſerint. Itaque re ad Urbanum IV. delata ab ipſo Sacerdote, qui pœnitentia ductus ſuam priorem incredulitatem amare deflebat, decretum eſt, ut prodigioſum *Corporale* ad Eccleſiam Urbevetanam deferretur, prout ſane delatum eſt, ipſo Pontifice cum univerſo Clero, & Populo illud excipiente, & in Templo Majori Urbevetano collocante, in quo etiamnum aſſervatur, & ſtatis diebus publice oſtenditur; quemadmodum ſcriptum eſt ab Onuphrio Panvinio, a Joanne Trithemio, a S. Antonino, a Guillelmo Lindano, quorum verba ſunt *in Diſſertat. de Sacris Proceſſionibus*, Chriſtiani Lupi *tom.* 11. *Novæ Editionis de Sacris Proceſſionibus pag.* 340. His addi poſſunt Donzellinus *in Hiſtoria de Solemnitate, & Feſtivitate Corporis Chriſti*, Chapeavil. *tom.* 2. *Hiſtoriar. Leodienſ. pag.* 642., Bollandiani *tom.* 4. *Aprilis pag.* 437., Bartholomæus Fiſeu *de origine Feſtivitatis Corporis Chriſti*, Martene *de antiqua Eccleſia Diſciplina in Divin. Celebr. Offic. cap.* 29. *num.* 1. *& duobus ſequentibus*, & Theophilus Raynaudus *Operum tom.* 11. *pag.* 347. Inſuper autem eodem Urbano IV. præcipiente, compoſitum fuit a S. Thoma de Aquino Officium Sanctiſſimi Sacramenti. Quanquam Papebrochius de hac re dubitavit *in Actis Sanctorum Aprilis*: ſed perlecta Diſſertatione Natalis Alexandri ſuper hoc argumento exarata, a dubitatione receſſit, ut ipſe teſtatur *in propyleo menſis Maii par.* 2. *pag.* 53. Nec ullus profecto ſupereſt dubitandi locus poſt repertam, & inſertam in novum Bullarium Patrum Dominicanorum *tom.* 3. *pag.* 555. Bullam Sixti IV., in qua habentur hæc verba: *Ac in ejus Solemnitatem, & venerandam inde memoriam idem Urbanus Prædeceſſor ſtatuit, Feſtum tam glorioſiſſimi Sacramenti annis ſingulis, & temporibus perpetuis quinta feria poſt Octavam Pentecoſtes a cunctis Fidelibus ubique ſolemniter celebrari, propriumque ejuſdem Solemnitatis Officium per Beatum Thomam de Aquino tunc in ipſa Curia exiſtentem compoſitum edidit.* Qua-

Digitized by Google

Quare ex modo relatis conſtat, inſtitutionem Feſti Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſuam cauſam deſumpſiſſe non ex revelatione utcumque habita, nec ex ſola revelatione, ſed ex revelatione ab Epiſcopo in Epiſcoporum, & Eccleſiaſticorum Conſeſſu examinata una cum patratione miraculi, quod ob oculos ipſius Romani Pontificis Deus operari dignatus fuit. Cumque proinde nec juridicum revelationis Ven. Margaritæ examen, nec ullum miraculum interceſſiſſet, quo inſtitutio novi Feſti in honorem ſacratiſſimi Cordis Chriſti commendaretur, credidi, exemplum inſtitutionis Feſti Corporis Chriſti inſtitutioni Feſti in honorem Cordis nequaquam ſuffragari. Addidi oretenus, ſtatui tamquam certum a Poſtulatoribus, cor eſſe, ut vocant, *Comprincipium* ſenſibile omnium virtutum, & affectionum, quaſique centrum voluptatum, & dolorum omnium interiorum; ſed id quæſtionem philoſophicam involvere, cum recentiores Philoſophi amorem, odium, & reliquas animi affectiones non in corde, tamquam in ſede ſua, ſed in cerebro collocent; ita ut affectus in animæ, & ſpirituum commotione maxime poſiti, in cerebro formentur, poſtea ad cor ipſum per nervos diffundantur. Legi poteſt Ludovicus Antonius Muratorius *in morali Philoſophia* poſt hæc jam ſcripta *Typis Veronenſibus An.* 1735. *edita cap.* 2. Quamobrem, cum nullum adhuc prodierit Eccleſiæ judicium de veritate unius, aut alterius ex his opinionibus, prudenterque ab hujuſmodi definiendis ſententiis Eccleſia abſtinuerit, atque abſtineat, reverenter inſinuavi, non eſſe petitioni annuendum, innixæ potiſſimum antiquorum Philoſophorum ſententiæ, cui recentiores adverſantur. Et ſane his cohærenter, cum in Sacrorum Rituum Congregatione habita die 12. Julii 1727. actum fuiſſet de conceſſione Officii, & Miſſæ propriæ in honorem Sanctiſſimi Cordis Jeſu Chriſti, reſcriptum fuit: *Non propoſita*; qui reſcribendi modus aliquando adhibetur, ut Poſtulatores admoneantur, a petitionibus eſſe abſtinendum; quæ cum multas involvant difficultates, viam aperiunt negativo reſponſo. Cumque dimiſſo a me Promotoris Officio, novis conatibus iidem Poſtulatores Sac. Congregationi pro eadem conceſſione ſupplicaſſent, die tandem 30. Julii 1729. reſponſum fuit: *Negativè*.

EPI-

IV.

JUDICIUM PRIVATUM
CLARISSIMI PATRIS BETTONII
Sac. Rit. Congr. Conſult. operiſque Cenſoris
PER EPISTOLAM AUCTORI SIGNIFICATUM

D. JOSEPH BETTONI C. R. S.

CAMILLO BLASIO

S. P. D.

AUtographum, quod tradidiſti, Blaſi modeſtiſſime, ſumma cum voluptate legi. Nec tantum legi, ut legerem, ſi ita loqui fas eſt, ſed legi, ut propoſitiones tuas ad examen revocarem, & momenta rationum perpenderem, quibus vel ſententiam tuam confirmas, & munis, vel contrariam diluis, vel objecta diſſolvis. Velim tamen credas, me tanti non eſſe, ut Judex ſedeam inter te, & Adverſarios tuos. Ingenium meum ſentio quam ſit exiguum. Nihilominus quoniam tanta cum modeſtia, & ſpiritus docilitate meum ſciſcitatus es judicium, qualecumque hoc ſit, ſine ſimulatione pronuncio. At prius ſcito, cultum Cordis Jeſu, quem tu falſi arguis, me cum doctis, atque piis Amicis jam inter eas devotionis ſpecies amandaſſe, quibus nec Paulli rationabile obſequium, nec ſpiritus, & veritas divini Magiſtri conſtat. Adderem & quæ in proclivi ſunt, ut palam Religioni puriſſimæ ſtigmata inurant, niſi tu fallacias omnes detexiſſes, & quæ animadverſione digna ſunt, in opus tuum contuliſſes. At judicium expectas. Quæſtionis ſtatum ita formas, & terminis tuis concludis, ut quid ob oculos habeas, Adverſarius non cognoſcere nequeat, univerſique intelligant, te impetere cultum, quem reprobavit fel. rec. Benedictus XIV., nec Sacra Rituum Congregatio precibus fatigata enixe petentium, & vim quodammodo facientium, unquam probavit. Hinc patet, quid de principe propoſitione tua, deque illis, quæ vel neceſ-

Digitized by Google

ſario ex ea fluunt, vel cum illa intime cohærent, judicare debeam. Innocuas omnes, & ſanas eſſe cenſeo. Quod ad rationum momenta ſpectat, quibus propoſita firmas, & vallas, immota manebunt, donec viguerit Angelici Doctrina, aliorumque Eccleſiæ Doctorum, quos ex abundanti ad ſymbolam dandam vocas. Quid modo etiam de contrariis & propoſitionibus, & rationibus ſentire debeam, & revera ſentiam intelligis. Effugium quidem, & tutelam Adverſarii quærunt in verbis, in effatis, in adfectibus Sanctorum quorumdam, iiſque utuntur tanquam difficultatibus jam tibi objectis, tuque diligentia, & ingenii acumine effeciſti, ut alia in promptu ſint ab iis objicienda, ſi qui poſt evulgatum opus tuum erunt qui tecum in arenam deſcendere audeant: verum preſſo veſtigio Aquinatem Doctorem ſequeris, qui nedum quæ caput antea extulerant, ſed quæ poſtea natæ ſunt hæreſes profligavit; & præterquam, ut bene noſti, veritas in tuto poſita ab objectionibus detrimentum non patitur, objecta vetera, & nova ita retundis, & diſſipas, ut qui rationibus ad id in medium prolatis non acquieſcat, rationes ipſius Sancti Doctoris naſo ſuſpendat adunco neceſſe ſit. Habes quod optaſti, judicium nempe meum, impellente non palpo, ſed libertate, & ſinceritate. Bene tibi ſit, Blaſi modeſtiſſime, atque per te ametur veritas, quam protegis. Vale.

Romæ Calendis Septembr. An. 1769.

V.

JUDICIUM PRIVATUM

Præclariſſimi Sac. Rit. Congr. Conſultoris, Operiſque Cenſoris.

P. CAROLI CHRISTOPHORI A CASALI.

DOctiſſimi Viri *Camilli Blaſii* de *Feſto Cordis Jeſu* Diſſertationem Commonitoriam attente legi. Auctoris ingenium, pietatem, ac ſtudium admiratus ſum, qui, ut fideles in Feſto hoc recolendo ab omni falſi cultus ſpecie avocet, in id totus incumbit, ut, qui verus ac religioſus Feſti hujus cultus ſit, quale objectum, accurate exponat, definiatque. Id porro non in corde *carnali*, ut plerique opinantur, ſed in corde *ſpirituali*, quod & *myſticum*, ſeu *ſymbolicum* appellatur, conſtitutum eſſe docet: ad quod probandum, præter rationum Theologicarum momenta, præter auctoritates *S. Thomæ*, cujus doctrinæ ſtudioſiſſimum ſe ſe profitetur, nuperum Congregationis Sacrorum Rituum Decretum in medium profert a ſan. mem. Clemente Papa XIII. approbatum, quo nova Feſti hujus celebritas inſtituta eſt.

Ex hoc Decreto, quod opera ſtudioque ſuo illuſtrare pergit, non cor *carnale* pro objecto dicti cultus, ſed cor *ſpirituale*, ſeu *ſymbolicum* intelligendum eſſe contendit: ac propterea ne cultus a veritate abſit, falſamque ingerat diviſionis ſpeciem, partem illam corporis, quæ *cor* vocatur, non *ſecundum ſe* accipiendam eſſe monet, ſed ad modum *ſymboli*; quatenus nempe ſignificat charitatem Chriſti, quæ totius Chriſti eſt; quæque urget nos, ut amore & cultu feramur in totum Chriſtum, *qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*(a). In Chriſto enim Jeſu non ſolum re, ſed & ſignificatione, ſervanda eſt integerrima corporis unitas; quam unitatem integritatemque, præter Scripturarum, & Patrum teſtimonia, quibus ad eam probandam cumulate utitur, argumento etiam confirmat deſumto a Feſto *Corporis Chriſti*, in cujus Miſſæ *ſequentia*, ut vocant, ita legitur:

(a) 1. *Cor.* 1. *v.* 30.

Digitized by Google

a ſumente non conciſus,
non confractus, non diviſus,
integer accipitur.

Ab hac integritatis confeſſione, quam ſancta profitetur Eccleſia, tandem concludit cum Viro Cl. *Juſto Fontanino (a)*, quod Chriſtus Jeſus integer colendus eſt, neque in eo, ſive re, ſive idea, cor dividendum a corpore: *Gesù Criſto integer colitur, nè in lui può dividerſi il ſuo cuore dal tutto, nè in idea, nè in realtà, ma integer colendus eſt.* Quam integritatis ideam cum non exprimant, nec exprimere poſſint imagines illæ, quæ ſub nuda cordis ſpecie ad publicam Fidelium venerationem in Templis exponuntur, eas iccirco non alia ratione permiſſas eſſe docet, quam ad ſignificandum cultum cordis *ſymbolice* ſumti, ejuſque divinum amorem declarandum.

Atque hæc in ſumma ſunt, quæ habet Vir eximius in ſua, quam inſcripſit, *de Feſto Cordis Jeſu* Diſſertatione Commonitoria: cujus propoſitum etſi commendandum exiſtimo, vereor tamen ne apud illos, qui Feſti hujus cultum tanto ardore, tantaque æmulatione amplificare ſtudent, finem illum, quem ſibi hoc in Opere præſtituit, tandem aliquando aſſequatur.

Nunquam enim, ſi illos audiat, interrogetque, cor *carnale* Jeſu *nude* ac *ſolitarie* ſumtum pro objecto hujus Feſti agnoſcendum eſſe dicent, ſed illius cor, ſive divino corpori unitum, ſive etiam *ſymbolice* acceptum, colendum a nobis eſſe prædicabunt. Interim vero, ut eſt eorum ingenium, cor *carnale* Jeſu mille formis expreſſum, iiſdemque paſſim non ad fovendam pietatem, ſed ad illius corporis integritatem plane ſcindendam, artificioſe confectis, in vulgus ſpargunt, in Templis collocant, in carnalium hominum animis ſculpunt, atque ita defigunt, ut quamdam idololatriam, ſi ita loqui liceat, ſub hac nuda cordis forma, quam Chriſti Corporis integritas non patitur, in eorum cordibus conſtituere, & quaſi alere moliantur. Quæ idola niſi fidelis pietas, *illo intus adjuvante, atque illuminante, qui cum talibus idolis in corde noſtro habitare non vult (b)*, confringere ſatagat, atque a fide noſtra quodammodo excutere feſtinet, brevi tandem fiet, ut ſub velato cordis *ſymbolo* novum quoddam carnalis pietatis ſimulacrum in Eccleſiam Chriſti invectum ii omnes videant lugeantque, qui veram pietatem, ac verum Dei

(a) *In notis ad Cor Jeſu.* (b) *S. Aug. ep.120. alias 221. cap.2. n.7.*

Dei cultum, qui *in ſpiritu, & veritate* (a) continetur, ſectantur, & colunt. *Pietas* enim *cultus Dei eſt*, inquit S. Auguſtinus (b), *NEC COLITUR ILLE NISI AMANDO*. Quem ſane cultum, rectamque pietatem, nec ſectantur, nec colunt, qui ſanctiſſimum Cor Jeſu a totius corporis ſede avulſum carnaliter colendum proponunt.

Plura adderem, quæ contra Feſti hujus novitatem, eo ſaltem, quo agitur, modo, opponi poſſent: ſed *multa hujuſmodi*, ut S. Auguſtini (c) verbis utar, *propter nonnullarum vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda liberius improbare non audeo. Hoc nimis doleo, quod multa, quæ in divinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumtionibus ſic plena ſunt omnia .... ut ipſam religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationem ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus nonnulli ita premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumtionibus ſubjiciuntur.*

Ad D. Franciſci trans Tyberim XIV. Kal. Octob. 1769.

Fr. Carolus Chriſtophorus a Caſali Cong. SS. Rituum Conſultor.

FRAN-

(a) *Johan.4. v.23.*
(b) *Ep.140. alias 120. cap.18. n.45.*
(c) *Ep.55. alias 119. cap.19. num.35.*

Digitized by Google

V I.

FRANCISCI ANTONII ALPRUNII

Cler. Reg. S. Pauli Sacræ Theologiæ Profeſſoris, & Sac. Rit. Congr. Conſultoris

AD CAMILLUM BLASIUM

EPISTOLA

Ex Collegio SS. Blaſii & Caroli ad Catinarios Romæ ſcripta VIII. Kal. Majas an. 1771.

DUM judicium meum expoſcis de ſuſcepto a te conſilio novam, eamque ampliorem elucubrationem edendi circa cultum Sanctiſſimi Cordis Jeſu, eam de me opinionem fovere oſtendis, Blaſi ornatiſſime, qua animus non leviter poſſet commoveri, niſi meæ ipſe imbecillitatis apprime conſcius, ſatis intelligerem, ea ingenii acie doctrinaque me nequaquam pollere, quæ & ad conſilium doctis hominibus præbendum, & ad ferendum de eorum operibus judicium, neceſſaria foret. Hæc cogitatio facit, ut juſſionibus tuis obtemperem quidem, ſed eo dumtaxat animo, ut ſiquid a me ſententiam meam feſtinanter exponente, minus accurate dictum deprehenderis, pro tua humanitate emendare non dedigneris.

De cultu itaque ſanctiſſimi Cordis Jeſu ſcribere conſtituis, atque Angelico præſertim Præceptore duce, demonſtrare legitimum eſſe hujuſmodi cultum, ſi cor *ſymbolice* ſumatur pro ardentiſſima illa charitate, qua Jeſus Chriſtus Dominus noſter dilexit nos; e contra rem eſſe ſalebroſam, & periculi pleniſſimam, ſi Cor Chriſti carneum populo colendum proponatur. Si quanto ardore inſtitutio Feſti Cordis Jeſu poſtulata fuit, tanta reverentia Decretum exceptum fuiſſet, quo poſtulantium votis tandem annuit S. Congregatio, atque ut par erat, juxta illud cultus Cordis Jeſu unanimi voce fidelibus explicatus fuiſſet, etiam primo, quem ſuper hac re ſuſcepiſti, labori parcere potuiſtes. In hujus enim Feſti inſtitutione *non aliud agi*, ait S. Congregatio, *quam ampliari cultum jam*

jam inſtitutum, & ſymbolice renovari memoriam illius Divini Amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam ſuſcepit naturam &c. Porro quid magis æquum, magis ſanctum, quam eam charitatem devote recolere, qua Unigenitus Patris miſerans noſtri, caro factus eſt, ut daret nobis poteſtatem Filios Dei fieri? Quod vero ſub ſymbolo cordis hæc charitas publice adoranda proponatur, novum quidem eſt, ſed a ſacris diſciplinis nullatenus alienum, cum ipſæ Scripturæ cor pro charitate ſymbolice ſæpiſſime uſurpent.

At cum non deſint, qui Cor Chriſti carneum tanquam proximum inſtituti feſti objectum, quod coli debeat, Chriſtiano populo proponunt, cultumque hujuſcemodi ab Eccleſia approbatum, commendatumque aſſerere non deſiſtunt, quis conſilium tuum, Vir clariſſime, non commendabit, tuamque elucubrationem utiliſſimam non agnoſcet ad eos præcavendos errores, quibus ex adeo præpoſtera, & ab Eccleſiæ mente aliena inſtituti feſti explicatione Fidelium animus imbui poteſt? Profecto unitas Eccleſiæ in integritate Corporis Chriſti, docente Apoſtolo Paullo, præſignata, non amplius per idem Corpus ſignificabitur, ſi per publicum cultum corpus ipſum dividere licebit. Inſuper ſi Cor Chriſti materiale tanquam proximum cultus objectum ſtatuatur, timendum maxime, ne materiali huic objecto ita inhæreant fideles, ut ad primarium, quod eſt perſona Verbi incarnati, minime attendant; Et conſequenter Chriſti humanitatem in ſe *directe* & *in recto* adorabunt ſupremo latriæ cultu juxta Iſaaci Berruyerii doctrinam tanto antea a Patribus damnatam, quorum una vox eſt cum Athanaſio (*a*): *Corpus Domini non creaturæ propriam adorationem reportare, quippe quod increati Verbi factum eſt corpus, nam cujus eſt corpus, huic exhibetur adoratio*, cumque natura eo nos ducat, ut intelligamus adorationem proprie non reddi niſi perſonæ ſubſiſtenti, humanitatem Chriſti *in ſe directe, & in recto* adorantes, ipſam tamquam perſonam a Verbo diſtinctam paulatim concipient, & ſic octavo Cyrilli anathematiſmo contra Neſtorianos in Concilio Epheſino prolato ſubjicientur. (*b*)

Scio fautores cultus cordis carnei reſpondere ſolitos, hæc & ſimilia abſurda poſſe timeri, ſi Cor Chriſti materiale, nude, & ſolitarie ſumptum

(a) *Lib. de Incar. Chr. contra Apollinar.*

(b) *Siquis Hominem aſſumptum una cum ipſo Dei Verbo adorandum, una cum illo glorificandum, una cum illo, tanquam alterum ex altero exiſtentem, Deum appellandum dicere auſus fuerit, & non una potius adoratione Emanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum eſt Caro, anathema ſit.*

ptum tamquam proximum adorationis objectum concipiatur; at ipſos cor conſiderare ut unitum Corpori Hominis-Dei, quatenus principium eſt vitæ ſenſitivæ, & veluti centrum ardentiſſimæ illius charitatis, qua idem Homo-Deus nos dilexit. Quot principia falſa, & erronea hæc reſponſio contineat, non eſt cur ego exponere velim, cum & in primo tuo Opere, Vir ornatiſſime, id demonſtraveris, & in hoc ipſum nervos omnes intendas in ſecunda, quam paras elucubratione. Quod ſilentio præterire non poſſum, utpote tua etiam conſideratione digniſſimum, eſt fautores cultus cordis carnei de illis ipſis limitibus, cautionibuſque, quibus tanquam fulcimentis licet ruinoſis, collabeſcens ædificium, cum a viris doctis premuntur, ſuſtentare ſatagunt, parum admodum ſollicitos eſſe, ſive dum imagines Cordis Jeſu, quæ ad ſcindendam Corporis Chriſti integritatem data opera factæ videntur, inter populares homines ſpargunt, ſive dum de ipſomet cultu Cordis Jeſu Chriſtianæ plebi ex ſuggeſtu verba faciunt. Ita profecto ſe geſſit ille, qui proxime elapſo quadrageſimali tempore, non ita longe ab alma Urbe conciones habens, Apoſtolicoſque labores panegyrica oratione de Corde Jeſu concludere volens, ſibi demonſtrandum aſſumpſiſſe ab iis qui aderant, audivi, Cor Jeſu conſummatorem eſſe charitatis Jeſu. Hæc propoſitio, ſi aliquid ſapio, tantum abeſt, ut cautionem aliquam contineat, qua errores præcaveantur, qui in celebrando feſto Cordis Jeſu irrepere poſſunt, ut potius excludat apertiſſime. Ita enim dividit Cor Jeſu Chriſti ab ipſo Jeſu Chriſto, ut actionem perſonalem cordi adſcribens, diſtinctam ab actione perſonali ipſius Jeſu Chriſti, non aliam poſſit ingerere ideam, niſi duplicis in Chriſto principii undequaque completi, ſeu duplicis perſonæ. Neque dicatur in ea propoſitione actionem perſonalem cordi, licet perſona non ſit, figurata locutione attribui. Concedo enim libertiſſime res inanimatas tanquam perſonas loquentes, & agentes induci poſſe, idque profanis, ſacriſque Scriptoribus eſſe conforme, dummodo tamen in iis fiat circumſtantiis, iiſque verbis, quibus figurata locutio dignoſcitur facillime, nulluſque erroribus aditus præbetur. At quod rei inanimatæ tribuatur actio propria perſonæ in una eademque propoſitione, in qua & perſona ipſa, quam figurate innuere volumus, expreſſe nominatur, & de ipſa actio eadem prædicatur, ut fit in caſu noſtro, novum eſt, inauditum, erroremque auditoribus inſinuat; quod unicuique manifeſtum fiet, ſi propoſitio, de qua eſt quæſtio, abſque figura enuncietur. Planum ſiquidem eſt nomine cordis, ſi figurate charitas ipſi adſcribitur, venire Jeſu Chriſti perſonam,

de

de qua charitas proprie prædicatur. Propoſitio ergo naturaliter enunciata hæc erit: *Jeſus Chriſtus conſummavit charitatem Jeſu Chriſti*, in qua cum Jeſus Chriſtus utrobique pro eadem perſona ſupponere non poſſit, ut patet: propoſitio enim inepta foret: conſequens eſt Jeſum Chriſtum, qui charitatem conſummavit, alteram eſſe perſonam a Jeſu Chriſto, cujus charitas fuit conſummata, ea ferme ratione qua ſiquis propoſitionem Apocalypſis (*a*): *Vicit Leo de tribu Juda*, in qua nomine leonis figurate Chriſtum innui, qui potentia ſua infernum confregit, unuſquiſque facile aſſequitur, in hanc aliam verteret: *Leo de tribu Juda complevit victoriam Chriſti*, duplicem induceret perſonam; de leone enim & de Chriſto unam eamdemque perſonalem actionem prædicans in una eademque propoſitione, nonniſi de duplici perſonali ſubjecto uno proprie, altero figurate leonis vocabulo indicto, intelligi poſſet.

Homo porro, qui de cultu Cordis Chriſti ex profeſſo agens ita diſſeruit, quid ſibi vellet? dum ab auditoribus ſuis expoſcebat, ut quotidie ſymbolum fidei *ad Cor Jeſu* recitarent, tibi, Vir clariſſime, cogitandum relinquo. Illud addere juvabit rectiſſime dixiſſe Concionatorem eumdem, cultum Cordis Jeſu, quem prædicabat, novum eſſe; certe enim novum eſt in Eccleſia, quod Cor Chriſti colatur ea ratione, quæ vel errores ſupponit, vel iiſdem viam pandit latiſſimam. At hoc ipſo, quod fatebatur novum eſſe cultum, quem prædicabat, agnoſcere debebat illegitimum eſſe, quia Eccleſia novos quidem modos colendi Deum, novoſque titulos permittit, at novos cultus non agnoſcit; & ſaltem ſibi temperare poterat, ne novi iſtius cultus immediatum auctorem faceret ipſum Jeſum Chriſtum, aſſertis quibuſdam revelationibus innixus, quas utpote ab Eccleſia nunquam examinatas, nefas eſt ex Cathedra veritatis proferre, ex qua nihil niſi ſanctum, niſi inconcuſſum, niſi ex ſacris, infallibilibuſque doctrinis derivatum Chriſtianæ plebi debet enunciari.

Si a me quæras, Vir ornatiſſime, quo animo inſtituti feſti Cordis objecto a S. Congregatione perſpicue tradito, aliud ſubſtituant ab Eccleſiæ doctrina alienum, qui de cultu ejuſdem Sanctiſſimi Cordis adeo ſolliciti videri volunt; fateor me neſcire, utrum ita agendo *in aperta falſitate deceptos populos ridere velint, vel occultam falſitatem deceptis perſuadere, quam plerumque etiam ipſi exiſtimant veritatem*, ut de falſis dialecticis olim ajebat Auguſtinus (*b*). Quidquid ſit illud ſummopere exoptandum, ut gliſcenti malo efficax afferatur remedium,

Rr quo

(a) *Apoc. 5. v. 5.* (b) *Aug. contra Creſconium lib. 1. num. 19.*

quo Eccleſiæ univerſæ in Concilio Tridentino congregatæ votis ſatisfiat, quæ ſi in ſanctas, & ſalutares obſervationes abuſus irrepſerint, prorſus aboleri vehementer cupit. Tu interim perge, atque opus explendis Sanctæ Matris deſideriis accommodatum feliciter abſolve, quod in ſummam fidelium utilitatem eſſe ceſſurum nullatenus dubito. Vale.

THEO-

Digitized by Google

VII.

THEODORI KATHÆRONTIS

CIVIS JANUENSIS

AD AMICUM ROMANUM

DE MIRACULO CORDIS JESU

NOVII, UT AJUNT, PATRATO

NON. APRIL. AN. ÆRÆ CHR. CIↃ IↃCCLXX.

EPISTOLA.

TE beatum! Amice mi ſuaviſſime, qui quod Novii anno ſuperiore die Aprilis quinto accidiſſe fertur, id tu labente Aprili hujus anni ex proximis Urbi *Velitris* nunc tandem ſcire feliciter potuiſti. Ego qui non ita procul a Novio penates colo, murmur confuſum, ac mirabiliter varium de nato prodigio ex garularum quarumdam muliercularum colloquiis forte fortuna ſemel iterumque audieram. Nunc autem beneficio tuo maximo totius rei geſtæ narrationem *Veliternis* typis impreſſam accipio. Pro quo munere multas atque immortales tibi gratias ago. Eo namque me quoque participem feciſti fortunæ tuæ. Utinam vero, quam lætus fui in hac nova ignotaque hiſtoria accipienda, tam etiam felix in ejus veritate cognoſcenda fuiſſem; multo enim majori beneficio me tibi obſtrictum teſtarer. Sed, mihi crede, ſuſpecta in ea ſunt omnia.

Ac primo quidem aſpectu oculos mihi ſtatim perſtrinxit, magnamque ſuſpicandi cauſſam attulit frons ipſa narrationis, quæ eam Genuæ primum impreſſam, deinde Velitris recuſam enuntiat: *Relazione d' una prodigioſa guarigione operata dal Sacratiſſimo Cuor di Gesù Criſto in Novi la ſera de' 5. Aprile 1770. In Genova, ed in Velletri nella Stamperia di Ceſare Sartori Stamp. Pubbl. con licenza de' Superiori*. Neque enim ſimile quiddam ante hos menſes decem, Genuæ qui verſor, evulgatum noram, etſi ne viliores quidem nugæ

ex prelis hiſce prodire conſueverint, quin vel mea, vel Amicorum induſtria, brevi mihi innotuerint. Ac ne hodie quidem de hoc noſtro Genuenſi typographo quidquam mihi reſcire licuit. Sunt qui credant miſerum, ſpectrorum more, in auras evanuiſſe, aut beatum in elyſium migraſſe, aut certe protomyſtam fuiſſe aliquem, qui a Dædali ſecretis ſacram opellam clandeſtinis formis, fallacia præſide, exornarit.

Nec mihi certe ſuaſerim unquam in hac noſtra Ligurum Metropoli, uno permittente Derthonenſi Epiſcopo, hiſtoriam iſtam potuiſſe cudi; quanquam in ejus calce teſtimonium legatur, quo idem ille Epiſcopus *decrevit dandam eſſe licentiam typis edendi relationem iſtius inſtantaneæ ſanitatis ad majorem gloriam SS. Cordis Jeſu*. Quid enim juris habet Derthonenſis in ſacra Genuenſium? Hoc totum eſt Archiepiſcopi noſtri *Lercarii*, qui ſumma cum laude Genuenſem Eccleſiam adminiſtrat.

Hinc itaque in mentem mihi venit ſuſpicari, an callidior aliquis Derthonenſium Typographorum Januenſis nomen mentitus forte fuiſſet? Sed quantacumque uſus ſim diligentia, nihil mihi certi conjicere Derthonæ licuit, quo Tibi hoc ænigma ſolvam. Alibi tibi forte meliores erunt hujus arcani Interpretes. Tu eos conſule; & quære in vicinia qua tandem ex terræ cælive plaga Januenſia exemplaria advolarint Velitras. Vide præterea num quid affinitatis habeat Veliternus Typographus, *Volſcus Sartor* cum *Ligure Sartrice*? Sed poſtrema hæc joco dicta ſunto. Itaque omni amoto ludo redeamus ad ſeria. Nam quando a me petis, quid ego de hoc miraculo ſentiam, ſatisfaciendum tibi eſt.

Miraculum autem, ut in Veliterna narratione exſtat, his plane coloribus pingitur. Juvenis Sartrix *Novienſis*, viro matura *Angela Maria Çavanna* annos nata quatuor atque triginta ex ſtomacho capiteque laborans, aliiſque etiam de cauſſis non ſane levibus, incommoda valetudine utens decumbebat lecto. Eam febris tanta vi identidem aggrediebatur, ut *inflammatoriæ* typum æmulari quandoque videretur. Vomitus ab initio frequens; crebrior deinde & gravior; in extrema vero morbi periodo continuus, & concitatiſſimus: at ejectiones bilioſæ. Præcordiorum tenſiones ad dexteri ſiniſtrique hypochondrii ſedem, immaniſſimæ: convulſiones ſpaſmodicæ, dolores vehementiſſimi: ſtomachus omnino ſolutus, non cibo, non potui, ac ne aquæ quidem guttulis, ſed exiguis tantum ex coccolacte ſorbillis excipiendis idoneus. Lienis & hepatis *obſtructiones*, in ſpeciem duræ & prominentes, tamquam antiquæ tertianæ febris reliquiæ malæ, morbo originem præbuiſſe putabantur. Animi deliquia

liquia noctu præſertim frequentia erant. Ob hos repentinos caſus accitus Sacerdos ab exomologeſi Sacramentali feſtinus aliquando accurrit opem Ei quaſi vita pericliтanti laturus. Pluries ita pœnitentiæ Sacramento ſuum ægra expiavit animum; ſed Euchariſtiam ſumere ob præſentiſſimæ vomitionis periculum nunquam potuit. Eidem interea in memoriam revocabatur devotio & fiducia in Cor Jeſu amabiliſſimum: & jam ſolemne Triduum ad Aram Sacri Cordis in Templo Patrum Soc. Jeſu celebratum fuerat. De medicamentis quantumvis idoneis & opportunis nil quæras. Omnia equidem ſunt adhibita, ſed omnia fruſtra.

Itaque nonis Aprilibus ad Veſperam curriculum dierum quadraginta, ex quo morbus cœperat, abſolvebatur. Hac hora jacebat Angela extreme debilis, confecta viribus, cruciatu capitis acerbius afflicta, & tanta ſpirandi difficultate oppreſſa, ut pene jam ſuffocari videretur. Fratris uxori ſuadenti ut vel tantillum vires reficeret coccolactis ſorbillo, quòd nauſeans cibum potumque omnem faſtidiret, negavit; dum interim intus in animo viſa ſibi eſt ſubſentire vocem ſubito natam, quæ ſic ei diceret: *Tu ora rifiuti tutto quello, che ti è ſtato eſibito: eppure fra poco mangerai una zuppa.*

Et ecce vix vox divina in *zomidio* ſilet, quum ſacræ icunculæ tres de pariete ſuſpenſæ, & dextrorſum a lecto diſſitæ per interſtitium palmorum quatuor, uno ſimul momento de ſede ſua refixæ volitando repente corruunt, & una, quæ *Sacri Cordis effigies erat*, lectum verſus volatum dirigens *quaſi ſuper ſtomachum* ægrotantis inſedit, duabus reliquis recta in pavimentum cadentibus. Non ventus, non aura flabat ex janua feneſtriſque jam clauſis, non denique ſoror, uxorque fratris, ambæ ſimul in eodem cubiculo labori intentæ, quieteque ſedentes, vel leviſſimo motu aerem agitabant: ſed ubi ſuis ipſæ auribus ſacræ chartulæ volatum diſtincte perceperunt, Angelam rogarunt, undenam hic volatus eſſet? At illa ſtatim perfectiſſime ſana, arrepta digitulis effigie, eamque oſtentans, ſine anhelitu libera expeditaque voce reſpondit: *Il Sacro Cuor di Gesù mi ha fatta la grazia, andate, fatemi una zuppa, che la voglio mangiar tutta.*

Totum id accidit hora ſecunda noctis;& neſcio equidem an ardente, an vero magis extincta lucerna; nihil enim de re iſta commemoratur. Tum ſtatim Angela abjectis fomentis alacris e lecto deſcendit: collegit imagunculas duas in pavimento jacentes, inde rurſus ad cubitum: paullo poſt cibum ex jure copioſe paratum ſumſit, nec eo ſatura novum

ſibi

ſibi dari appetivit duabus tribuſve horis antequam ſomnum caperet.

Mitto nuncium de patrato prodigio ad Patres Jeſuitas e veſtigio miſſum: mitto Reverendum Exomologiſtam tanto avidius ad miraculi locum iter accelerantem, quanto ſibi optabilior offerebatur occaſio, ut eſſet: *Teſtimonio dell' operato prodigio, e delle circoſtanze, che l' accompagnarono*. Mitto cætera quæ fœmellarum magis levitate, quam prudentum hominum gravitate digna videntur; & ad judicium venio quod a me exſpectas.

At ego, qui uni hactenus ſacræ Philologiæ operam dedi, de ingenio tantum & vultu totius narrationis aliquid tibi dicere poſſum. Nam de re ipſa medicæ artis periti judicant, judicant & Theologi. Tractant enim, ut ſcis, fabrilia fabri.

Quod igitur ad me attinet, tibi perſancte dejero, amice mi ſpectatiſſime, nihil in hoc narrationum genere, me vidiſſe putidius. Ut affectata ſunt omnia! ut implexa, involuta, & illuſionum laqueis plena! Ingenium undique ſcatet Sartricum mulierculárum, quæ ut centones, ſic etiam fabellæ ſuæ partes conſarcinarint. Fallaciſſimæ denique opinionis conjecturis princeps, ac tota plane origo morbi ſignificatur: & ex ea tamen certa hujus miraculi cognitio repetenda in primis eſſet.

Nec ſinas tibi fallaciam obtrudi ex decreto Epiſcopi Derthonenſis. Novi ego quanta ſit iſtius Præſtantiſſimi Præſulis doctrina, eruditio, prudentia, pietas, & judicii gravitas. Non potuit huic commento ſacræ auctoritatis ſuæ pondus adjungere. Mentitur quiſquis aliter ſentiat, & ſcribat: nobilemque tanto Viro impoſturam affingit.

Technam, ut capias, vide, quæſo te, & paullo curioſius expende jactatum Derthonenſe decretum. Judicium de veritate miraculi editum in eo dicitur, & *concluſum* a DD. Theologis. Epiſcopus vero non definit, non amplectitur, non approbat, neque confirmat judicium, ſed tantum facultatem impertitur edendi *relationem inſtantaneæ ſanitatis*. Quis deinde divinaverit, an hæc noſtra *relatio* eadem ſit cum illa, quæ vel viſa, vel audita ab Epiſcopo fuit? Non eandem eſſe vel hoc uno argumento facile deprehenditur, quod in priori illa, una *ſanationis* hiſtoria referri poterat; in hac vero, quæ *Velitris* edita eſt, de ſtatu perſeveranti recuperatæ ſalutis plures poſt menſes a die viſi prodigii, teſtimonium datur. Quid? quod ne ipſum quidem decretum ab Epiſcopo recognitum, ſubſcriptumve appareat? Neque enim tam doctus Antiſtes pro *relatione inſtantaneæ ſanationis*, ſcribi permiſiſſet, *relationem inſtantaneæ ſanitatis*. Solœcum

lœcum philoſophicum eſt, dele. Inſtans namque temporis, quo ex Divino imperio miraculum accidit, in *actum* ſanationis cadit, non in *ſtatum* ſanitatis, qui poſt prodigium communi providentiæ ordine conſervatur, & temporis ſucceſſione perennat. Hoc uni peccarunt conſarcinatores decreti, qui quanto artificioſius in Derthonenſem Curiam mores ſanctiſſimos Eccleſiæ Romanæ in Apoſtolicis judiciis de miraculis Beatorum hominum inſtituendis, tranſducere ſtuduerunt, tanto etiam turpius errarunt. Erit fortaſſe & ſuſpicio hæc, de *ſutela* ultro oblata venerando Viro fere jam octogenario. Noſti enim quid & Sancto ſeni Iſaaco jam caliganti olim acciderit.

Sed quod in his piis fraudibus maxime doleo, offenſio eſt, quæ datur inimicis Catholici nominis. Anſam hinc maximam arripiunt non modo irridendi, ſed etiam infamandi vera ipſa miracula, quæ in Sancta Romana Eccleſia Apoſtolicæ Sedis judicio probantur. Verum hæc aliis graviori ſtylo tractanda relinqno.

Quod nunc ago iſtud eſt, ut intelligas quid Genuenſis philologia adferre tibi lucis potuerit ad novum hocce Novienſe miraculum cognoſcendum. Audi nunc *Critobulum* Medicum, auditurus deinde *Cyriacum* Theologum, qui duo ad me heſterna luce venerunt, poſtquam ea ſcripſeram, quæ tibi reſpondere parabam.

At *Critobulum* quum dico, Virum dico Amicum meum ſingularem in omni re Medica verſatiſſimum. Is vero vix dum a carcere ad calcem tacitus ac meditabundus univerſam oculis percurrerat narratiunculam, quam Ei a prima ſtatim ſalutatione legendam obtuleram; (ego enim & Cyriacus interea de rebus aliis ſeorſum colloquebamur;) manu ſubjectam tabulam tanto ictu percuſſit; ut nos ad ſe quaſi territos repente retorſerit, & in hanc veluti exclamationem inopinato erupit. Proh Deum immortalem! Hoccine eſt miraculorum genus, quod in Eccleſia ad majorem gloriam SS. Cordis Jeſu prædicandum permittitur! cætera, quæ longa, ac vehementi oratione de miraculo diſſeruit; quod & nimis multa fuerint, & ſubtiliter ex Hypocrate, Galeno, Aretæo, Aureliano, Schenkio, Sennerto, Zacchia, Riverio, Willio, Boneto, Vanſvvieteno, Boheravio, Sydenhamo, aliiſque pluribus quaſi totidem ipſius Æſculapii oraculis copioſe deducta, referre ſingillatim nequeo, præſertim quum non admodum mihi tenax memoria ſit. Sed nec criticas obſervationes in duos Novienſes Medicos ſatis acriter in medium productas fas eſt mihi commemorare.

Una

Digitized by Google

Una tamen rerum ſumma hæc eſt : Sartricis Cavannæ morbum hyſtericam paſſionem fuiſſe ſatis vulgarem & quotidianam ; a qua naturæ in primis vi, & medicamentorum beneficio ſine ulla miraculi neceſſitate proſpere feliciterque ægra convaluerit : exempla harum ſanationum adeo frequentiſſima eſſe, ut adhuc mirer eorum numerum, quæ ſuis ipſe oculis viderat, quæque nobis memoriter & ex ordine recitavit : Angelam præterea ſanatam fuiſſe ante caſum ſacræ icunculæ dubitari non poſſe. Monuerat enim nos *Critobulus*, ut diligenter attenderetur vox illa interior ſanæ & valentis naturæ, quæ ſtomacho, ac ventriculo a moleſtis congeſtionibus jam probe expurgatis cibi appetitum ciebat. Quid tandem ? jocum Medicum memini, quo totam orationem concluſit. Miraculum liquidi pulpamenti & jurulentiæ hoc eſt : *Miracolo di brodetto, e zuppa*. O parum religioſe dictum ! ſed apage, mox ſeſe mma revocans, inquit, apage, impiæ deriſionis ſcelus ! impatiens fabulæ incogitanter dixi. Hæc *Critobulus*.

Cyriacus poſtea, naſutus, ſi quis alius, Theologus, quum jam diſputante Medico ſemel & iterum totam perluſtraſſet miraculi narrationem, ubi paullulum ad finem orationis Critobuli riſerat, priſtina Theologica ſeveritate ad ſupercilia, totamque frontem revocata, in hæc aut certe ſimilia verba animi ſui ſenſa explicare ſuſcepit. Deus unus omnipotens auctor miraculorum eſt ; opera hæc inuſitata, & ſupra omnem naturæ ordinem poſita ad pravæ doctrinæ confirmationem nunquam effecit, neque vero efficere poteſt. At vero ſi Novienſe miraculum verum eſſet, illud effeciſſet Deus ad doctrinam propagandam, quæ in magna erroris ſuſpicione verſatur. Videſis iterum, Theodore, ad me inquit, quid ſtatim ab initio Velitrenſis narrationis dicatur : *Baſta ſapere, che queſta divozione*, (pro qua miraculum patratum traditur), *ha per oggetto un Cuore vero, e reale, a cui è unita ipoſtaticamente la Divinità, e perciò è Cuor Divino*. An non vos ipſi ex his cernitis, quantum erroris in hac *devotione* lateat ? Introducitur neſcio quis Chriſtus alius ab eo, quem Catholica Religio hucuſque adoravit. Audite monſtrum, & tu *Critobule*, & tu *Theodore*, exhorreſcite. *Cordeificatum*, & inverſis terminis, *Deus incordatus*, is eſt novus iſte Chriſtus, quem nobis hujuſmodi devotionis auctores tantis molitionibus inſinuare conantur. Decernite vos jam, num vel paululum credibile ſit Chriſtum, qui Deus ipſe eſt, Novienſe miraculum perpetrare voluiſſe ad iſtius tam periculoſæ, ne dicam monſtroſæ devotionis, propagationem ? Multis hoc argumentum, (ſubdidit),

Digitized by Google

didit), amplificare poſſem. Prætęrquamquod ea quæ mox lecta ſunt, in libris etiam jam antea Romæ damnatis totidem fetme verbis inveniuntur. Sed pergite mecum cætera obſervare. Ignotum ſemper fuiſſet, an Angela opem *Cordis Jeſu* vel ſemel ante miraculi horam invocaſſet? Caſus imagunculæ, unde prodigium petitur, improviſus omnino, & inopinatus fingitur. Itaque ne invocationis titulus ei deeſſet, incredibili arte architecti miraculi inſerere illius narrationi ſtuduerunt memoriam *devotionis, & fiduciæ in Cor Jeſu Chriſti amabiliſſimum*; lege hæc ad lin. 20. pag. IV. Adde & ſacrum Triduum, ſic mox artificioſiſſime intruſum ſequentibus eius paginæ lineis, ut videri poſſit celebratum pro valetudine ægrotæ impetranda, ſed quod reapſe ad alia quævis vota concipienda præter quam ad ea, quæ heic intelligi vellent narrationis auctores, peractum fuit, ut attente locum conſideranti patet. Deſuit igitur invocatio.

Ubi vero modum, rationemque meditor, quam Deus in miraculo patrando tenuiſſe fingitur, horror neſcio quis me repente invadit ob formidandæ ſuperſtitionis ſpeciem, quæ mihi ante mentis oculos obverſatur. Nam videte primum quid feciſſe putetur imago Cordis Jeſu, ut ſibi uni, non aliis duabus *devotis*, ſacriſque imaginibus miraculum tribueretur. Ambabus juſſit ut quo momento Princeps ipſa Imago cordis ſe ipſam e pariete refigeret, & deorſum caderet, eodem modo & illæ refigerent ſe, & caderent. Caverent tamen, ne cadendo idem tenerent iter, quod una ipſa tenuiſſet; nam locus, quo corruere debebant, pavimentum erat, ſcirentque *quaſi-ſtomachum* Angelæ mox ſanandæ, ſibi uni reſervatum eſſe. Hæc imaginem cordis indixiſſe oportuit duabus aliis, ſi non fortuito ac cœco eventui, ſed miraculo tribuendus erat volatus ille ſuus, quo erat in pectus Angelæ deſcenſura. Itaque ad decretum temporis momentum, ut equi curſorii e carcere, ita & tres iſtæ imagines ſeſe ſimul de loco movent, & ad præfixam metam, ut indictum erat, volando labuntur. Fortaſſe etiam arcanus ventus, cui, ſive *Iconoclaſtæ*, ſive *Iconomachi* nomen eſſet, ſuas in hoc miraculo partes geſſit, nam Deus omnipotens qui ex malis bona facere novit, uſus fortaſſe eſt ad evellendas e pariete duas illas anonymas effigies, eaſque in pavimentum ferendas, interea dum una *ſacri Cordis* imago nutu ſuo ad Angelam deſcendebat. Quid, ſi altera ex duabus illis imaginibus totus Chriſtus erat crucifixus, altera vero Deipara Virgo de *Corde Jeſu*, ſic alicubi Januæ, nuncupata? Dicam ne imaginem *Cordis Jeſu* noluiſſe in miraculo comi-

Ss tem

tem imaginem totius Chriſti crucifixi, vel Sanctiſſimæ Matris *de Corde Jeſu*? Horrendum dictu!

Mittamus hæc. Alia intuemini, quamquam & ea, ſatis indigna, quæ ad miraculum confluant, videantur. Nam quis ferat paullo ante miraculum Cor Jeſu intus illapſum in pectus Angelæ aliud nihil ad aures illius interiores præcentoria voce cantaſſe, quam pulpamentum, quam juſculum, quam polentam? Abigite, quæſo vos, ſpectra iſta illuſionum a veri miraculi dignitate.

Tota iſta humanarum deceptionum caterva relinquenda eſt, neſcio quibus, Derthonenſibus Peripateticis, qui, quod Novienſes Medici nigro & ipſi Epitogio inſigniti, ut liberales eſſent, *grazia* ad ſummum *ſpeciale* ex opinione appellaverant, utpote aſſueti ſyllogiſticis formis *reducibilibus ad impoſſibile*, totum hoc ſanationis genus concluſerunt: *reduci poſſe ad verum miraculum in tertio genere*.

Hic finem dicendi fecit *Cyriacus* noſter, & nos ſimul omnes concluſimus indignam eſſe relationem hanc Veliternam, quæ a Viris piis, & de Religione bene ſentientibus recipiatur. Hinc ad alia venimus, quæ ad te nihil ſpectant. Ego quæ tua tantum intereſſe putavi, litteris fortaſſe paullo prolixioribus ad te ſcribere ſtatui. His tu utere in rem tuam, & ad Principis Apoſtolorum ſepulcrum, eo interceſſore, non *Cordi hypoſtatice* Divinitati conjuncto, ſed toti Chriſto pro nobis paſſo, mortuo, & crucifixo, me quæſo, vehementer commenda.

Januæ ad Portum Prid. Non. Maji An. 1771.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
ARGUMENTORUM, ET RERUM.

DE FESTO CORDIS JESU Diſſertatio Commonitoria. Pag. 1
CAP. I. Mendacium maxime turpe, ac pernicioſum eſt, quod cadit in cultum religionis. Hujus mendacii ſpeciem ſubrepere in Feſtum Cordis Jeſu demonſtratur. ibid.
II. Qua ſint nota digni, qui pervertunt objectum cultus in Feſto Cordis Jeſu. Vanæ illorum excuſationes auctoritate Eccleſiæ refelluntur. 3
III. Non conſtare apud Philoſophos, an humanarum affectionum fons & origo in corde magis, quam in cerebro collocanda ſit. Ob ejus etiam tam incertæ rei metum nec ante, nec modo conceſſum fuit quod petebatur Officium, & Miſſa pro cultu cordis carnei. Non minus Eccleſiæ adverſantur, qui objectum cultus in corde ſtatuunt proprie ſumpto, quam qui forte auderent ipſum Feſtum reprehendere prout ab Eccleſia inſtitutum eſt. 5
IV. Cultus non cadit proprie, niſi in perſonam, quæ totum quid exprimit in rationali, vel intellectuali natura ſubſiſtens. Hinc dividitur in abſolutum, & relativum. Humanitas Chriſti conſiderari poteſt, vel ut id, quod ſimul adoratur cum Verbo Dei; vel in hypotheſi mere ſpeculativa & abſtracta, ut id, quod eſt adorationis cauſſa. 9
V. Cor Chriſti carneum reſpici nequit ut adorationis cauſa. Humanitas Chriſti non adoratur cultu latriæ niſi ratione Divinæ Perſonæ, cui juncta eſt, & ad quam nos deducit. Cor ejus materiale ſi ſumatur ut res adorata, cultum reſpuit abſolutum quantum eſt ex propria ſui vi; non eum quippe pars ulla ſuſcipit, ſed unum totum. 13
VI. Chriſtus Dominus ratione ſuppoſiti æterni, quod carnem ſumpſit in tempore, totus eſt ſub qualibet parte naturæ aſſumptæ. Cultus Cordis non poteſt eſſe abſolutus, niſi materialiter tantum, formaliter vero nonniſi relativus. Eoque ſenſu non habet objectum reale, ſed ſolum ideale contra conſtantem Eccleſiæ morem. 16
VII. Corpus Chriſti naturale ſemper integrum manſit, ac indiviſum. Et propterea typus eſt unitatis in ejus Corpore myſtico. Cultus Cordis, utpote tendens in unam corporis partem, falſam ingerit diviſionis ſpeciem, eòque ducit, ut putetur fuiſſe aliquando diviſum a corpore. 19
VIII. Idea totius integralis non patitur, ut in cultu cordis eminenter dicatur intentio totum colendi Corpus Chriſti. Ad mendacium pertinet facti, quod ſignum exterius datum, diſſonum ab eo ſit, quod quis habet in mente. 23
IX. Judæorum ritus uſurpari non poſſunt ſine crimine, quia falſam exhibent ſignificationem, quaſi Chriſtus necdum venerit, ſed venturus eſſet. Partialis cultus Cordis Jeſu ſpecie ipſa falſum quid enunciat de vero ac reali Corpore Chriſti, ejuſque integritati penitus adverſatur. 25

Cap. X. Non ſufficit fides interna, dum quid agitur, quod ad infidelitatem pertinere videatur. Ita nec ſufficit integritatem Corporis Chriſti ſervate actu mentis interno. Cultus Cordis, quâ pars eſt corporis, ex inditis cujuſque menti principiis primis, interpretativam infert diviſionem in Corpus Chriſti. Pars non accipitur pro toto, nec accipi poteſt, ſi proprie ſumatur, ſed tantum ſi figurate. Pag. 28

XI. Quod colitur totum in Reliquiis Sanctorum, non eſt totum ejuſdem generis. Non ex coluntur, niſi cultu relativo, qui reſpicit Animas Sanctorum degentes in Cælo. Neque ſtant pro toto ad ſervandam integritatem corporis, de qua quæritur, ſed ut adſtruant conditionem cultus, qui totum requirit in rationali, vel intellectuali natura ſubſiſtens. 31

XII. Cor Jeſu proprie, & per ſe ſumptum ob hypoſtaticam unionem capax eſt adorationis latriæ. Hinc in ea falſa hypotheſi, qua Cor Chriſti coli poſſet ut ſejunctum ab anima & a corpore, nihilo plus præferret cultus ejus, quam præferat cultus Cordis avulſi e corpore puri hominis in Album Sanctorum relati. Pars accepta confuſe ſub forma totius, non lædit integritatem corporis, ſecus vero ſi diſtincte ſumatur ſub una ſui ſpecie. 33

XIII. Interpretativa diviſio, quam infert Corpori Chriſti cultus cordis ejus carnei, oſtenditur comparatione inſtitura inter cor ipſum intra latus, & ſanguinem extra latus in triduo mortis ejus adoratum. Veritas ſigni non pendet ex intentione utentis, ſed ex proportione illius cum re ſignificata. 36

XIV. Quodvis mendacium eſt intrinſece malum, licet inde nullus decipiatur: Maxime vero in cultu religionis, ubi præter virtutem veritatis, offendit etiam virtutem fidei; & ipſius religionis. 39

XV. Quod agitur quotannis Paſſionis, ac Mortis Dominicæ Feſtum, nullam exhibet ſignificationem falſam, quia Dominus vere paſſus, & mortuus eſt ſemel pro nobis. In cultu cordis carnei non concordat ſignum cum re ſignificata. Cor uti pars corporis, atque adeo minus toto, non repræſentat corpus indiviſum, prout re ipſa ſemper fuit Corpus Chriſti. 41

XVI. Pars opponitur toti tam ſi conſideretur ſeorſum a toto, quam ſi in eo ſpectetur. Concomitantia realis ſupplet veritatem rei, ſed non veritatem ſigni. In Sacramento Altaris veritas ſigni ſervatur ſub utraque ſpecie, quia vere Corpus Chriſti in ejus paſſione, & morte ſeparatum fuit a Sanguine. 44

XVII. Peculiaris cultus Cordis in Sacramento Altaris ſignificationem intercipit totius Corporis Ex inſtitutione Chriſti ſub ſpeciebus panis totum venit Corpus ejus vi verbi, non ſola vi concomitantiæ. Sicuti in Sacramento, ita & in propria ſpecie non venit Cor Chriſti directe, & per concomitantiam reliquæ corporis ejus partes. 46

XVIII. Sub ſpeciebus panis non ſola Chriſti caro, ſed totum venit Corpus ejus, quantumvis præparatum in modum cibi. Nefas eſt in propria Chriſti ſpecie æque ac ſub ſpecie Sacramenti, ſecernere Cor a toto, etiamſi conſideretur tamquam proprium quoddam amoris pabulum. 49

XIX. Fractio Hoſtiæ in Sacrificio Miſſæ nihil facit ad cultum Cordis; tum quia præſcindere poteſt a genere ſigni, tum quia concluſa etiam intra ſigni genus, nullam innuit diviſionem Corporis Chriſti. 53

Cap. XX.

CAP. XX. Per diviſionem ſpecierum panis, & vini, & admixtionem aquæ in conſecratione calicis, commendavit Dominus unitatem corporis myſtici. Hujuſque unitas & integritas reſpondet unitati & integritati illius corporis phyſici. Qui ad Sacramentum accedunt indigne, falſi etiam crimen committunt, quia mens eorum diſſidet a ſigno. Pag. 56

XXI. In cultu cordis carnei ſignum diſſidet a mente. Diſcrimen affertur inter Feſtum Corporis, & Feſtum Cordis Chriſti. Objectum cultus nil a veritate alienum in primo, ſed habet in ſecundo. In Feſto Corporis ſenſus hominis aſſequitur quicquid aſſequi poteſt intra propriam ſphæram; ſecus in Feſto Cordis. 59

XXII. Naturale Corpus Chriſti non ſpectat ad Feſtum Corporis, prout eſt in propria ſpecie, ſed in ſpecie Sacramenti. Quantitas dimenſiva, quæ ſub Sacramento eſt in modum ſubſtantiæ, tota eſt in toto, & totæ in qualiber parte. 63

XXIII. Cor Jeſu quod intruditur in novum Feſtum, prout eſt in propria ſpecie, non poteſt ineſſe toti, nec ſuas facere dimenſiones totius. 65

XXIV. Ratio formalis non ſumitur ex fine, ſed ex objecto. Cor Jeſu, prout eſt in Sacramento, non pertinet ad Feſtum Cordis, ſed ad Feſtum Corporis. Abuſio novi Feſti ſubrepere facit ideale quoddam Sacramentum Cordis. Cultus ejus in propria ſpecie geminam lædit integritatem Dominici corporis naturalem, ac myſticam. Utraque integritas repræſentatur in tunica inconſutili Chriſti. 69

XXV. Propheticum oraculum de fractione oſſium in Chriſto, vero & immaculato Agno, nunquam futura, impletum in eo eſt. Hoc ad myſterium pertinere oſtendit illius tum phyſici tum myſtici corporis integritatem; quæ ſimul illuſtri etiam miraculo conſervata fuit. 72

XXVI. Prævia, ac mira mors Chriſti, ne crura ejus frangerentur, omne frangit argumentum, quod pro cultu cordis duci ſolet a vulnere, lateri ejus poſt mortem inflicto. Qui Chriſto defertur cultus in Feſto Cordis ejus, ne ſignificativam inferat diviſionem cordis a corpore, neceſſe eſt, ut abſtrahat a carnali, & in cor ſpirituale feratur. 79

XXVIII. Circumciſio Domini, nihil officit integritati corporis ejus, ut nec Adæ corpori quidquam obfuit abſciſſio coſtæ. Veneratio Præputii nihil facit pro cultu Cordis. Circumciſionis Feſtum non exhibet aliquid, quod re ipſa geſtum non fuerit, nec ſuum habet objectum in parte corporis, ſed in toto Chriſto. 83

XEIX. Explicatur abſurdum ſignificativæ diviſionis quod invehitur cultu cordis carnalis, nec illud diluit inanis prætextus cultus relativi. 89

XXX. Incommoda, quæ ex ficta Adverſariorum hypotheſi de cultu cordis carnei in unitatem & integritatem Corporis Chriſti neceſſario proficiſcuntur, evitari nequeunt ope cultus, quem relativum appelant. Is latriæ cultus omnino abſolutus eſſe deberet, non relativus. 93

XXXI. Idealis diviſio cordis carnei Chriſti nullum habet fundamentum in re. Prærogativæ cordis ad excellentiam capitis revocari debent; & nihilo pluris, quin etiam minoris habendæ ſunt. 105

XXXII. Exagitatur peculiaris quædam propoſitio, qua Cordi Jeſu proprietas adſcribitur filiationis æternæ. Improba hæc loquendi licentia veritatem offendit Incarnatio-

tionis, & aliud affine Incarnationi myſterium, hoc eſt maternitatem divinam B. Virginis. Pag. 112

Cap. XXXIII. Tertium exponitur abſurdiſſimum conſectarium, quod ex precibus ad Cor Chriſti tamquam Dei Filium directis infertur. Subjectum Filiationis non eſt natura, ſed Perſona. Cor proprie ſumptum non poteſt ſtare pro Perſona, ſed myſtice tantum ac figurate acceptum. 115

XXXIV. Chriſtus dici non poteſt de carne Dominica, niſi prout unita eſt cum Anima, & Verbo Dei. Pars carnis non conſtituit individuum cum Anima. Tota caro cum Anima, nedum caro animata, ſed eſt ſimul animal, pars vero non animal, ſed tantum animata, & in rationali natura non homo, ſed tantum humana. Corpus Chriſti, non Cor Chriſti, habet ab anima quod ſit Filius hominis. Filius autem hominis, hoc eſt Chriſti Corpus & Anima, non Cor ejus animarum, habet a Verbo, prout ſubſiſtit in natura creata, quod ſit Filius Dei. 121

XXXV. Periculo plenus eſt piarum imaginationum impetus, niſi intra rectæ rationis limites coerceatur. Ea quæ ſunt ſpiritus, non poſſunt tribui Cordi carnis, neque per proprietatem, neque per appropriationem. Symbola cordi carnis applicita, dum res ipſæ toti inſunt, & ſunt præſentes in toto, ſignificativam fovent diviſionem Cordis a reliquis Chriſti. 126

XXXVI. Meditatio Cordis Chriſti nullam redolet falſitatem, quia ſit actione intellectus, qui non tendit in res, ſed res trahit ad ſe ipſum, eaſque conſiderare poteſt abſtractione ſimplici per ſingulas partes. 130

XXXVII. Cultus religionis fertur in proprium objectum, prout eſt in ſe, non ſecundum ſimilitudinem ejus, uti ſit in meditatione. Quæ ſit in cultu præciſio cordis a corpore, non eſt mere objectiva, ſed etiam ſubjectiva. Licet abſtractive meditari humanitatem Chriſti ſeorſum a perſona Divina, non licet autem eam ſeorſum adorare. 133

XXXVIII. Quod toti tribui non poteſt humanitati Chriſti, multo minus tribui poteſt uni cordi. Recenſentur, & exploduntur quæ cordi exadverſo dantur, & ſunt animæ propria. Quid ſit proprie, & perfecte ſubſiſtens, quid ſubſiſtens improprie, & imperfecte. Actus potentiæ apprehenſivæ, qualis eſt meditatio, aſſimilatur quieti; appetitivæ vero, & executivæ, qualis eſt exercitatio cultus, magis aſſimilatur motui. 136

XXXIX. Motus religionis cur inveniat in Corde Jeſu titulum cultus, non autem cultus objectum. Meditatio cordis Chriſti ſuum habet fructum pios excitando devotionis affectus. In cultu religionis debet eſſe conformitas inter actus internos, & externos. Adſciſcitur huc affine exemplum a Chriſti lingua mutuatum, quod rem totam præclare confirmat. 141

XL. Attributa Dei licet ſint una res, ſunt tamen plura ratione. Ob hanc pluralitatem rationis, nulla incidit diviſionis imago in eorum diſcreta acceptione. Cor Chriſti quod eſt unum cum corpore, ne ratione quidem dividi poteſt a conceptu corporis integri. Nullum in Eccleſia Feſtum agitur de divinis attributis. Quod nuper admiſſum fuit de corde Jeſu ſymbolice ſumpto, injuria trahitur ad cor carnis, unde læditur veritas cultus, & integritas Dominici Corporis. 146

XLI. Objectum cultus in Feſto Cordis Jeſu

Digitized by Google

Jeſu etiam ſymbolice ſumpti, per abuſum ſenſim traducitur ad cor carnis. Æquivocum ſymboli uſum præcidendum in radice. Quo ſenſu cor in ſymboli morem ſit objectum cultus. Pag. 150

CAP XLII. Cultus objectum ſumi etiam poteſt ex puris ſymbolis. Connexio, quæ ponitur a Patronis cordis, inter ſymbolum, & ipſum cor, purgari non ſinit novum feſtum a nota cultus falſi. Idque multis evincitur argumentis. 154

XLIII. Cultus Cordis carnei falſus comprobarur comparatione ducta ex hypotheſi novi cultus, quo veneranda proponeretur anima Chriſti, vel pars ejus. Non decet cultum duci ab excellentia minori in concurſu majoris. Excellentia major non derogat minori, ſed ejus auget dignitatem. 158

XLIV. Regula novi cultus in his, quæ indifferenter ſe habent ad fidem, eſt judicium ſobrium, eligens quod rationabile præſefert obſequium; in iis vero quæ connexionem habent cum fide, eadem eſt cum regula fidei. Cultus cordis carnei ſub poſteriori cadit regula; attamen tum ab hac, tum ab illa deflectit. Hinc falſus arguitur, interiori ſpiritu vacuus, & abnormis. 163

XLV. Sacræ Imagines non proponuntur Fidelibus ad ſolum cultum, ſed etiam ad ſignificationem, & inſtructionem. Imagines Cordis Jeſu ad ſignificationem detortæ cordis carnalis, apertam contrahunt erroris notam contra integritatem Corporis Chriſti. 168

XLVI. Ad tollendam ſignificativam diviſionem cordis a corpore in illius imagine carnaliter intellecta nil juvat confugere ad circumſeſſionem aliarum partium. Id convincitur exemplo petito ex imagine Deiparæ Trinitatem gerentis in utero. Erroris monſtrum, quod & in hac ſimiliter cubat, non tollitur per circuminſeſſionem divinarum Perſonarum. 172

XLVII. Tabula picta, quæ cor Chriſti introrſum conſpiciendum exhibeat per apertum pectoris ejus oſtium, non infert in habitudine partis diviſionem a toto, ſed eam infert in habitudine objecti. Hæc una habitudo objecti ſpectanda eſt in Imagine, quæ cor Chriſti repræſentet ſive a corpore avulſum, ſive in propria corporis ſede collocatum. Quod intelligitur ſub propria ſpecie, non intelligitur ſimul cum alio. 174

XLVIII. Ea tantum ſimul intelligi poſſunt, quæ poſſunt convenire ſimul in unam ſpeciem. Quod ſpecies cordis ſpeciem complectatur totius corporis, directam contradictionem involuit. Ratio cultus in ſententia Adverſariorum fertur in cor, ut in objectum proximum; in corpus autem, ut in remotum. Præpoſterum eſt, ut a parte ſumatur objectum, vel motivum cultus. 178

XLIX. Præter Imaginem Virginis cum Trinitate in utero, damnata fuit etiam illius imago cum parvulo Jeſu in medio ventris. Ob eaſdem cauſas proſcribi mereretur Imago, quæ cor Chriſti inteſtinum per ſciſſi pectoris hiatum viſendum ſatis immodeſte, & contra rei ipſius veritatem exhibet. 181

L. Periculum quod injicit ſacrarum Imaginum immodeſtia, non imminuitur ex ſanctitate prototypi, neque ex bona fide colentium. Maximum remedium ad vitandam concupiſcentiæ vim, eſt abſtinere a ſingularium conſideratione. Imagini Cordis Jeſu præferenda cum Apoſtolo Imago crucifixi. Integritati, & unitati Corporis Chriſti naturalis, ac myſtici minus congruunt voca-

vocabula partium : Pag. 185
Cap. LI. Reprobatur, quæ alicubi viſitur imago, cor cruci affixum repræſentans. Alia item ejuſdem formæ, ſeriem exhibens XII. myſteriorum Incarnationis, & Paſſionis Chriſti: Eaque monſtroſa effigies eſt, in qua non Perſona, ſed unum Cor Chriſti incarnatur, patitur, crucifigitur, & ſingula illa myſteria perficit. Cordis incarnati figmentum ex imaginatione, & ore Margaritæ Alacoque tegit ſub melle venenum. Si cor incarnatum pro charitate ſtat eſſentiali, incarnationem refert ad totam Trinitatem, ſi pro perſonali, ad Spiritum Sanctum. 190
LII. Charitas eſſentialis ſupponens pro perſona Verbi in duodecim cordis Chriſti imagunculis recens confictis, non ſe habet ad incarnationem, ut terminus, ſed ut principium. Sapientia eſſentialis, quum ſit *appropriatum* Verbi, quod eſt ſapientia genita, invenit in eo præter principium etiam terminum incarnationis. Recte dicitur ſapientia incarnata; non recte dicitur cor incarnatum, ſive ſumatur pro charitate increata, quæ non appropriatur Filio, ſed Spiritui Sancto, ſive pro charitate creata, quæ non eſt ſubſiſtens, nec unionem patitur phyſicam, & ſubſtantialem cum carne. Duodecim illa cordis myſteria, duodecies dividunt corpus Chriſti, aut ad unum redigunt membrum. 194
LIII. Quo ſenſu recte dicatur Chriſtus membrum Eccleſiæ. Totum Eccleſiæ bonum perfecte reperitur in ſolo Chriſto. Ratio membri non aufert a capite quas habet prærogativas in corpore naturali. 200
LIV. Spiritus Sanctus dicitur cor Eccleſiæ, & ſic etiam Chriſtus ſecundum divinitatem ratione influentiæ occultæ, ſed ejus Caput dicitur Chriſtus ſecundum humanitatem ratione influentiæ manifeſtæ. Humanitas Chriſti, ut organum divinitatis, eſt inſtrumentalis cauſa gratiæ. Nomen membri, capitis, & cordis dictum de Chriſto, non dicitur proprie, ſed figurate, ſeu ſymbolice. Qualibet pars naturaliter plus amat bonum totius, quam bonum ſui ipſius. 203
LV. In generatione viventium S. Thomæ, & veterum opinione primum inter membra formatur cor; & ideo operatur ad generationem aliorum membrorum, rationemque ſortitur cujuſdam totius; non illud tamen eſt totum rei, ſed virtutis tantum. 206
LVI Cor Jeſu non præceſſit alia membra, nec ad illorum formationem cooperatum eſt, quia conceptio Chriſti non fuit ſucceſſiva, ſed inſtantanea. 209
LVII. Ob inſtantaneam conceptionem Corporis Chriſti non fuit unquam cor ejus ſine cæteris membris, nec ad illorum formationem quicquam contulit. Cultus & imagines Cordis falſitate laborant dum hanc unam partem deſignant. Iterum illuſtratur inſtantanea conceptio Chriſti. Cordi ejus tribui non poteſt *totalitas* illa virtualis, quæ tribuitur aliorum hominum cordibus. 212
LVIII. Virtualis *totalitas* cordis, cæteroquin aliena a Corde Jeſu, nihil facit ad ſervandam ſive integritatem corporis ejus, ſive etiam veritatem cultus ipſius cordis. Quod Cor Jeſu nonniſi ſymbolice ſumptum erectum fuerit in objectum cultus, teſtatur etiam Officium proprium novi Feſti. Opportune diſtinguitur inter ſymbolum ſimplex, & compoſitum, & utriuſque declaratur diſcrimen ac vis. 215

Cap. LIX.

Digitized by Google

CAP.LIX. Symbolum cordis ipſa ſui vi abſtrahit a corde carnis,& ad unum cor ſpirituale contrahitur. Cor carnale, & cor ſpirituale non poſſunt ambo coire in unum objectum. Cor carnis aut totum facit objectum cultus, aut nullum. Cor figurate poſitum pro corde ſpirituali, non tranſit in ſymbolum compoſitum cum corde carnali. Symboli vis in una ſola ſtat imagine rerum, unde ducitur. Metaphora non transfert omnia, ſed ea tantum, quæ rem ſignificatam aſſimilant ſigno. Compoſitio cordis carnalis cum ſymbolo quam ſit abſurda, declaratur ex myſterio Corporis Chriſti. Pag. 219

LX. Nihil intereſſe, utrum colatur Chriſti cor, ut res ſignificata & ſignificans, an ut ſignificata tantum. Par ſubeſt diviſionis Corporis Chriſti argumentum in utroque caſu excogitata. Sub ſymbolorum compoſitione nudum latitat cor carnis. 222

LXI. Commentum ſymboli compoſiti cum corde carnis, non habet Auctores Sanctos Viros, & præſertim S. Bernardum. Probe diſtinguit S. Doctor, imo vero alius quidam Auctor incertus, inter cultum, & contemplationem cordis, eaque non utitur ad miſcendum ſpiritum carni, ſed ad aſcendendum in totum Jeſum. Quid de Adverſariorum ſeutentia cenſendum ſit, ex verbis S. Bernardi concluditur. 226

LXII. Mixtura carnis ac ſpiritus in cultu cordis Chriſti, nullum poteſt mutuari præſidium, neque a S. Bonaventura, neque a S. Franciſco Saleſio. 231

LXIII. Expenduntur latius quæ ſuis tradidit ſcriptis S. Franciſcus Saleſius, in commendationem Cordis Jeſu, eaque nullo modo ſpectare demonſtrantur ad peculiarem aliquem cultum cordis carnei, ſive nude ſumpti, ſive cum ſymbolo conjuncti. 235

LXIV. Quæ S. Franciſcus Saleſius pro peculiari cultu Cordis Chriſti geſſiſſe traditur, falſo eidem tribuuntur, nihilque præterea probant 244

LXV. Revelatio, quæ de cultu Cordis Jeſu facta dicitur Ven. Margaritæ Alacoque, nihili penditur a Pontifice Maximo Benedicto XIV. Fidem ejus enervat alia revelatio ejuſdem Margaritæ, qua non odiſſe Deum pro ſufficienti dat prædeſtinationis indicio. Sed & certum præterea, nec uſquam defecturum beatæ prædeſtinationis ſignum in iis omnibus ſtatuit, qui ſpeciali cultu mancipati eſſent Cordi Jeſu. 248

LXVI. Revelatio Ven. Margaritæ de partiali cultu Cordis adverſari videtur Sac. Scripturæ, eoque nullam fidem promereri poteſt. Verba, quæ Chriſtus dixiſſe traditur ad Ven. Margaritam de cultu cordis ſui, non ſunt carnaliter intelligenda, ſed ſpiritualiter. Chriſtus Dominus ſe totum coli vult, non autem per partes. Prodigioſæ apparitiones ejus in Sacramento Altaris ſub ſpecie carnis, vel ſanguinis, cur abſint a nota falſæ ſignificationis, nec ullum præbeant diviſionis judicium, explicatur. 253

LXVII. Cor Jeſu proprie ſumptum, & diviſionem ſui præferens ſub carnali cultus objecto, non eſt minus impar ad repræſentandam charitatem Chriſti, quam cor avulſum, aut caput amputatum ad influendum vitalem motum, ac ſenſum in cætera membra. Carnale Chriſti Cor comparatur ad Corpus ejus prout eſt in propria ſpecie, ad modum nempe quantitatis dimenſivæ, non ad modum ſubſtantiæ, prout eſt in Sacramento. Ne miraculo quidem fieri poteſt, ut moles corporis,

poris; prout eſt in proprla ſpecie, tota concludatur in corde. Pag 257

Cap.LXVIII. Quod corpus glorioſum ſeſe ſpectandum offerat mortalium oculis vel ſecundum totum, vel ſecundum partem, nihil facit ad rem præſentem. Chriſtus Dominus nunquam de corpore ſuo conſpiciendum præbuit aut cor ſolum, aut aliam quamvis partem quaſi ſejunctam a toto. Ad myſterium pertinet quod aliquando totus apparuerit in alia effigie. Cuncta quæ ſunt Chriſti, Patroni cordis oſtendunt, & circumſcribunt cum Ven. Margarita per cor. Cultus cordis ſic acceptus, & involutus, rimam parat introductioni ſuppoſiti creati, quod redivivum faceret Neſtorianiſmum. 261

LXIX. Prædictio Ven. Margaritæ de propagatione cultus Cordis per totum Orbem nil miri præfert, quia modum adjicit, unde ſequi facillime poterat. Ea propagatio incidit in tempus, quo cultus cordis carnei Romanis adverſabatur, ut & nunc adverſatur, decretis. Hinc male refertur ad conſilium Dei, quod totum humanum eſſe apparet. Deſcribitur character, & officium hominis vere cordati. 265

LXX. An liceat uſurpare cultum cordis internum. Quæſtio relinquitur in medio. Si tamen id forte liceat, ſatius eſt ab eo cultu abſtinere, ne tranſeat in cultum externum, qui natura ſua diviſionis infert ſpeciem in Corpus Chriſti. Retorquetur argumentum a meditatione cordis deſumptum. Hinc evincitur cor ideale proponi in objectum cultus. Cor illud ideale proſequentes falluntur, & fallunt, quorum utrumque falſi arguit cultum, de quo agitur. Cultus falſus pernicioſum redolet mendacium contra veritatem religionis. 271

LXXI. Falſum evincitur propheticum quoddam, ac recens præconium latiſſime exadverſo divulgatum in commendationem cordis carnalis. Hinc in ſuſpicionem revocatur etiam Alacoquitana revelatio habita primum ut præclarum ejuſdem cultus auſpicium. Quid metuendum iis ſit, qui dividunt Chriſtum. Summatim repetuntur cauſæ cultus falſi, & indebiti, qui religioni admiſcetur ſub objecto cordis carnalis. 279

FINIS.